This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Lucretius Carus, Titus

T. LUCRETI CARI

DE RERUM NATURA

2653

LIBRI SEX

CAROLUS LACHMANNUS

RECENSUIT ET EMENDAVIT

EDITIO ALTERA

BEROLINI
IMPENSIS GEORGII REIMERI
MDCCCLIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

T. LUCRETI CARI

DE RERUM NATURA

LIBER PRIMUS.

Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas,
alma Venus, caeli subter labentia signa
quae mare navigerum, quae terras frugiferentis
concelebras, per te quoniam genus omne animantum
concipitur visitque exortum lumina solis.
te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli
adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus
summittit flores, tibi rident aequora ponti
placatumque nitet diffuso lumine caelum.
10 nam simul ac species patefactast verna diei
et reserata viget genitabilis aura favoni,
aëriae primum volucres te, diva, tuumque
significant initum perculsae corda tua vi.
15 inde ferae pecudes persultant pabula laeta
14 et rapidos tranant amnis: ita capta lepore
16 te sequitur cupide quo quamque inducere pergis.
denique per maria ac montis fluviosque rapacis

---

16 tergis.

Digitized by Google

frondiferasque domos avium camposque virentis
omnibus incutiens blandum per pectora amorem
20 efficis ut cupide generatim saecla propagent.
quae quoniam rerum naturam sola gubernas,
nec sine te quicquam dias in luminis oras
exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam,
te sociam studeo scribendis versibus esse,
25 quos ego de rerum natura pangere conor
Memmiadae nostro, quem tu, dea, tempore in omni
omnibus ornatum voluisti excellere rebus.
quo magis aeternum da dictis, diva, leporem.
effice ut interea fera moenera militiai
30 per maria ac terras omnis sopita quiescant:
nam tu sola potes tranquilla pace iuvare
mortalis, quoniam belli fera moenera Mavors
armipotens regit, in gremium qui saepe tuum se
reicit aeterno devictus vulnere amoris,
35 atque ita suspiciens, tereti cervice reposta,
pascit amore avidos, inhians in te, dea, visus,
eque tuo pendet resupini spiritus ore.
hunc tu, diva, tuo recubantem corpore sancto
circum fusa super, suavis ex ore loquellas
40 funde petens placidam Romanis, incluta, pacem:
nam neque nos agere hoc patriai tempore iniquo
possumus aequo animo nec Memmi clara propago
talibus in rebus communi desse saluti.

*

50 quod super est, vacuas auris animumque sagacem
semotum a curis adhibe veram ad rationem;

---

27 oralatum || 32 monera || 33 regium in gremiumque || 35 teriti || 43 id esse || 44—49 = II, 646—651. || 50 ut vacuas || animumque sagacem *omissa*.

Digitized by Google

ne mea dona tibi studio disposta fideli,
intellecta prius quam sint, contempta relinquas.
nam tibi de summa caeli ratione deumque
5 disserere incipiam, et rerum primordia pandam,
unde omnis natura creet res, auctet, alatque,
quove eadem rursum natura perempta resolvat;
quae nos materiem et genitalia corpora rebus
reddunda in ratione vocare et semina rerum
10 appellare suëmus et haec eadem usurpare
corpora prima, quod ex illis sunt omnia primis.
Humana ante oculos foede cum vita iaceret
in terris oppressa gravi sub religione,
quae caput a caeli regionibus ostendebat
15 horribili super aspectu mortalibus instans,
primum Graius homo mortalis tendere contra
est oculos ausus primusque obsistere contra;
quem neque fama deum nec fulmina nec minitanti
murmure compressit caelum, sed eo magis acrem
70 inritat animi virtutem, effringere ut arta
naturae primus portarum claustra cupiret.
ergo vivida vis animi pervicit, et extra
processit longe flammantia moenia mundi
atque omne immensum peragravit mente animoque;
75 unde refert nobis victor quid possit oriri,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
qua nam sit ratione atque alte terminus haerens.
quare religio pedibus subiecta vicissim
opteritur, nos exaequat victoria caelo.
80 Illud in his rebus vereor, ne forte rearis
inpia te rationis inire elementa viamque
indugredi sceleris. quod contra saepius illa

---

66 tollere || 68 fama || 70 confringere || 71 cuperet. || 74 omnem || 77 Quantum

Digitized by Google

religio peperit scelerosa atque impia facta.
Aulide quo pacto Triviai virginis aram
85 Iphianassai turparunt sanguine foede
ductores Danaum delecti, prima virorum.
cui simul infula virgineos circum data comptus
ex utraque pari malarum parte profusast,
et mestum simul ante aras adstare parentem
90 sensit, et hunc propter ferrum celare ministros,
aspectuque suo lacrimas effundere civis,
muta metu terram genibus summissa petebat:
nec miserae prodesse in tali tempore quibat
quod patrio princeps donarat nomine regem:
95 nam sublata virum manibus tremibundaque ad aras
deductast, non ut sollemni more sacrorum
perfecto posset claro comitari Hymenaeo,
sed casta inceste, nubendi tempore in ipso,
hostia concideret mactatu maesta parentis,
100 exitus ut classi felix faustusque daretur.
tantum religio potuit suadere malorum.
Tutemet a nobis iam quovis tempore vatum
terriloquis victus dictis desciscere quaeres.
quippe etenim quam multa tibi iam fingere possunt
105 somnia, quae vitae rationes vertere possint
fortunasque tuas omnis turbare timore!
et merito: nam si certam finem esse viderent
aerumnarum homines, aliqua ratione valerent
religionibus atque minis obsistere vatum:
110 nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas,
aeternas quoniam poenas in morte timendumst.
ignoratur enim quae sit natura animai,
nata sit, an contra nascentibus insinuetur,
et simul intereat nobiscum morte dirempta,

---

84 triviat || 102 quodvis || 104 possum. || 111 timendum.

Digitized by Google

115 an tenebras Orci visat vastasque lacunas,
an pecudes alias divinitus insinuet se,
Ennius ut noster cecinit, qui primus amoeno
detulit ex Helicone perenni fronde coronam,
per gentis Italas hominum quae clara clueret;
120 etsi praeterea tamen esse Acherusia templa
Ennius aeternis exponit versibus eidem,
quo neque permaneant animae neque corpora nostra,
sed quaedam simulacra modis pallentia miris;
unde sibi exortam semper florentis Homeri
125 commemorat speciem lacrimas effundere salsas
coepisse et rerum naturam expandere dictis.
qua propter bene cum superis de rebus habenda
nobis est ratio, solis lunaeque meatus
qua fiant ratione, et qua vi quaeque gerantur
130 in terris, tum cum primis ratione sagaci
unde anima atque animi constet natura videndum,
et quae res nobis vigilantibus ob[illegible]mentes
terrificet morbo adfectis somnoque sepultis,
cernere uti videamur eos [illegible]eque coram,
135 morte obita quorum tel[illegible]plectitur ossa.
Nec me animi fallit Graiorum obscura reperta
difficile inlustrare Latinis versibus esse,
multa novis verbis praesertim cum sit agendum
propter egestatem linguae et rerum novitatem:
140 sed tua [illegible]irtus tamen et sperata voluptas
suavis amicitiae quemvis sufferre laborem
suadet et inducit noctes vigilare serenas,
quaerentem dictis quibus et quo carmine demum
clara tuae possim praepandere lumina menti,
145 res quibus occultas penitus convisere possis.
Hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest

---

121 edens. || 126 Coepisset rerum || 130 tunc || 141 efferre

Digitized by Google

non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.
principium cuius hinc nobis exordia sumet,
150 nullam rem e nilo gigni divinitus umquam.
quippe ita formido mortalis continet omnis,
quod multa in terris fieri caeloque tuentur,
quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur.
156 quas ob res ubi viderimus nil posse creari
de nilo, tum quod sequimur iam rectius inde
perspiciemus, et unde queat res quaeque creari
155 et quo quaeque modo fiant opera sine divom.
159 Nam si de nilo fierent, ex omnibu' rebus
omne genus nasci posset, nil semine egeret.
e mare primum homines, e terra posset oriri
squamigerum genus et volucres erumpere caelo:
armenta atque aliae pecudes, genus omne ferarum,
incerto partu culta ac de[illegible]a tenerent:
165 nec fructus idem arboribus constare solerent,
sed mutarentur, ferre omnes [illegible] possent.
quippe, ubi non essent genitali[illegible]ora cuique,
qui posset mater rebus consistere certa?
at nunc seminibus quia certis quaeque creantur,
170 inde enascitur atque oras in luminis exit,
materies ubi inest cuiusque et corpora prima:
atque hac re nequeunt ex omnibus omnia gigni,
quod certis in rebus inest secreta facultas.
praeterea cur vere rosam, frumenta calore,
175 vites autumno fundi suadente videmus,
si non, certa suo quia tempore semina rerum
cum confluxerunt, pate fit quod cumque creatur,
dum tempestates adsunt et vivida tellus

158 ut || 168 derta. || 176 qui || 177 orcatu.

Digitized by Google

tuto res teneras effert in luminis oras?
quod si de nilo fierent, subito exorerentur
incerto spatio atque alienis partibus anni;
quippe ubi nulla forent primordia, quae genitali
concilio possent arceri tempore iniquo.
nec porro augendis rebus spatio foret usus,
seminis ad coitum, si e nilo crescere possent:
nam fierent iuvenes subito ex infantibu' parvis,
e terraque exorta repente arbusta salirent.
quorum nil fieri manifestum est, omnia quando
paulatim crescunt, ut par est semine certo
crescere, resque genus servant; ut noscere possis
quicque sua de materia grandescere alique.
huc accedit uti sine certis imbribus anni
laetificos nequeat fetus submittere tellus,
nec porro secreta cibo natura animantum
propagare genus possit vitamque tueri;
ut potius multis communia corpora rebus
multa putes esse, ut verbis elementa videmus,
quam sine principiis ullam rem existere posse.
denique cur homines tantos natura parare
non potuit, pedibus qui pontum per vada possent
transire et magnos manibus divellere montis
multaque vivendo vitalia vincere saecla,
si non, materies quia rebus reddita certast
gignundis, e qua constat quid possit oriri?
nil igitur fieri de nilo posse fatendumst,
semine quando opus est rebus, quo quaeque creatae
aëris in teneras possint proferrier auras.
postremo quoniam incultis praestare videmus
culta loca et manibus melioris reddere fetus,
esse videlicet in terris primordia rerum,

---

190 Crescentesque || 207 possent

Digitized by Google

quae nos fecundas vertentes vomere glebas
terraique solum subigentes cimus ad ortus:
quod si nulla forent, nostro sine quaeque labore
sponte sua multo fieri meliora videres.
215 Huc accedit uti quicque in sua corpora rursum
dissoluat natura neque ad nilum interemat res.
nam siquid mortale e cunctis partibus esset,
ex oculis res quaeque repente erepta periret:
nulla vi foret usus enim, quae partibus eius
220 discidium parere et nexus exsolvere posset.
quod nunc, aeterno quia constant semine quaeque,
donec vis obiit, quae res diverberet ictu
aut intus penetret per inania dissoluatque,
nullius exitium patitur natura videri.
225 praeterea quae cumque vetustate amovet aetas,
si penitus peremit consumens materiem omnem,
unde animale genus generatim in lumina vitae
redducit Venus, aut redductum daedala tellus
unde alit atque auget generatim pabula praebens?
230 unde mare, ingenuei fontes, extentaque longe
flumina suppeditant? unde aether sidera pascit?
omnia enim debet, mortali corpore quae sunt,
infinita aetas consumpse ante acta diesque.
quod si in eo spatio atque ante acta aetate fuere
235 e quibus haec rerum consistit summa refecta,
inmortali sunt natura praedita certe,
haut igitur possunt ad nilum quaeque reverti.
denique res omnis eadem vis causaque volgo
conficeret, nisi materies aeterna teneret,
240 inter se nexu minus aut magis indupedita:
tactus enim leti satis esset causa profecto;
quippe, ubi nulla forent aeterno corpore, quorum

---

215 quicquid in || 217 c *omissum*. || 230 cxternaque || 240 nexus

Digitized by Google

contextum vis deberet dissolvere quaeque.
at nunc, inter se quia nexus principiorum
dissimiles constant aeternaque materies est,
incolumi remanent res corpore, dum satis acris
vis obeat pro textura cuiusque reperta.
haud igitur redit ad nilum res ulla, sed omnes
discidio redeunt in corpora materiai.
postremo pereunt imbres, ubi eos pater aether
in gremium matris terrai praecipitavit:
at nitidae surgunt fruges, ramique virescunt
arboribus, crescunt ipsae fetuque gravantur:
hinc alitur porro nostrum genus atque ferarum:
hinc laetas urbes pueris florere videmus,
frondiferasque novis avibus canere undique silvas:
hinc fessae pecudes pingui per pabula laeta
corpora deponunt, et candens lacteus umor
uberibus manat distentis: hinc nova proles
artubus infirmis teneras lasciva per herbas
ludit lacte mero mentes perculsa novellas.
haud igitur penitus pereunt quae cumque videntur;
quando alid ex alio reficit natura, nec ullam
rem gigni patitur, nisi morte adiuta aliena.
Nunc age, res quoniam docui non posse creari
de nilo neque item genitas ad nil revocari,
ne qua forte tamen coeptes diffidere dictis,
quod nequeunt oculis rerum primordia cerni,
accipe praeterea quae corpora tute necessest
confiteare esse in rebus nec posse videri.
principio venti vis verberat incita cautes
ingentisque ruit navis et nubila differt,
inter dum rapido percurrens turbine campos
arboribus magnis sternit montisque supremos

257 pinguis || 263 ex allo || 264 adluta || 271 cortus.

Digitized by Google

275 silvifragis vexat flabris: ita perfurit acri
cum fremitu saevitque minaci murmure ventus.
sunt igitur venti, ni mirum, corpora caeca,
quae mare, quae terras, quae denique nubila caeli
verrunt ac subito vexantia turbine raptant,
280 nec ratione fluunt alia stragemque propagant,
et cum mollis aquae fertur natura repente
flumine abundanti, quam largis imbribus auget
montibus ex altis magnus decursus aquai,
fragmina conicjens silvarum arbustaque tota,
285 nec validi possunt pontes venientis aquai
vim subitam tolerare: ita magno turbidus imbri
molibus incurrit, validis cum viribus, amnis,
dat sonitu magno stragem, volvitque sub undis
grandia saxa, ruitque ita quidquid fluctibus obstat.
290 sic igitur debent venti quoque flamina ferri,
quae vel uti validum cum flumen procubuere
quam libet in partem, trudunt res ante ruuntque
impetibus crebris, inter dum vertice torto
corripiunt rapideque rotanti turbine portant.
295 quare etiam atque etiam sunt venti corpora caeca,
quandoquidem factis et moribus aemula magnis
amnibus inveniuntur, aperto corpore qui sunt.
tum porro varios rerum sentimus odores,
nec tamen ad naris venientis cernimus umquam,
300 nec calidos aestus tuimur, nec frigora quimus
usurpare oculis, nec voces cernere suemus;
quae tamen omnia corporea constare necessest
natura, quoniam sensus inpellere possunt:
tangere enim et tangi, nisi corpus, nulla potest res.
305 denique fluctifrago suspensae in litore vestes

---

276 pontus. || 282 quem || 286 turbibus || 289 ruit qua quidquid || 294 rapidique

Digitized by Google

uvescunt, eaedem dispansae in sole serescunt.
at neque quo pacto persederit umor aquai
visumst, nec rursum quo pacto fugerit aestu.
in parvas igitur partis dispergitur umor,
quas oculi nulla possunt ratione videre.
quin etiam multis solis redeuntibus annis
anulus in digito subter tenuatur habendo,
stilicidi casus lapidem cavat, uncus aratri
ferreus occulte decrescit vomer in arvis,
strataque iam volgi pedibus detrita viarum
saxea conspicimus: tum, portas propter, aëna
signa manus dextras ostendunt adtenuari
saepe salutantum tactu praeterque meantum.
haec igitur minui, cum sint detrita, videmus:
sed quae corpora decedant in tempore quoque,
invida praeclusit spatium natura videndi.
postremo quae cumque dies naturaque rebus
paulatim tribuit, moderatim crescere cogens,
nulla potest oculorum acies contenta tueri,
nec porro quae cumque aevo macieque senescunt:
nec, mare quae inpendent, vesco sale saxa peresa
quid quoque amittant in tempore cernere possis.
corporibus caecis igitur natura gerit res.
Nec tamen undique corporea stipata tenentur
omnia natura: namque est in rebus inane.
quod tibi cognosse in multis erit utile rebus,
nec sinet errantem dubitare et quaerere semper
de summa rerum et nostris diffidere dictis.
quod si non esset, nulla ratione moveri
res possent: namque officium quod corporis exstat,
officere atque obstare, id in omni tempore adesset

---

321 praecluset speciem || 334 Qua propter locus est intactus inane vacansque.

Digitized by Google

omnibus: haud igitur quicquam procedere posset,
principium quoniam cedendi nulla daret res.
340 at nunc per maria ac terras sublimaque caeli
multa modis multis varia ratione moveri
cernimus ante oculos; quae, si non esset inane,
non tam sollicito motu privata carerent
quam genita omnino nulla ratione fuissent,
345 undique materies quoniam stipata quiesset.
praeterea quamvis solidae res esse putentur,
hinc tamen esse licet raro cum corpore cernas.
in saxis ac speluncis permanat aquarum
liquidus umor et uberibus flent omnia guttis.
350 dissipat in corpus sese cibus omne animantum:
crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt,
quod cibus in totas usque ab radicibus imis
per truncos ac per ramos diffunditur omnis.
inter saepta meant voces et clausa domorum
355 transvolitant, rigidum permanat frigus ad ossa.
quod nisi inania sint, qua possent corpora quaeque
transire haud ulla fieri ratione videres.
denique cur alias aliis praestare videmus
pondere res rebus nilo maiore figura?
360 nam si tantundemst in lanae glomere quantum
corporis in plumbo est, tantundem pendere par est;
corporis officiumst quoniam premere omnia deorsum,
contra autem natura manet sine pondere inanis.
ergo quod magnumst aeque leviusque videtur,
365 ni mirum, plus esse sibi declarat inanis:
at contra gravius plus in se corporis esse
dedicat et multo vacuum minus intus habere.

---

347 liceret || 349 fient || 352 radicimus || 357 ulla valerent ratione || 366 Aut

Digitized by Google

est igitur, ni mirum, id quod ratione sagaci
quaerimus, admixtum rebus, quod inane vocamus.
Illud in his rebus ne te deducere vero
possit, quod quidam fingunt, praecurrere cogor.
cedere squamigeris latices nitentibus aiunt
et liquidas aperire vias, quia post loca pisces
linquant, quo possint cedentes confluere undae:
sic alias quoque res inter se posse moveri
et mutare locum, quamvis sint omnia plena.
scilicet, id falsa totum ratione receptumst.
nam quo squamigeri poterunt procedere tandem,
ni spatium dederint latices? concedere porro
quo poterunt undae, cum pisces ire nequibunt?
aut igitur motu privandumst corpora quaeque,
aut esse admixtum dicundumst rebus inane,
unde initum primum capiat res quaeque movendi.
postremo duo de concursu corpora lata
si cita dissiliant, nempe aër omne necessest,
inter corpora quod fiat, possidat inane:
is porro quamvis circum celerantibus auris
confluat, haud poterit tamen uno tempore totum
compleri spatium: nam primum quemque necessest
occupet ille locum, deinde omnia possideantur.
quod si forte aliquis, cum corpora dissiluere,
tum putat id fieri quia se condenseat aër,
errat: nam vacuum tum fit quod non fuit ante,
et repletur item vacuum quod constitit ante,
nec tali ratione potest denserier aër,
nec, si iam posset, sine inani posset, opinor,
ipse in se trahere et partis conducere in unum.
Qua propter, quamvis causando multa moreris,

---

372 alunt. || 383 initium || 384 concurso || 386 flat || 389 quisque || 395 condenserier

Digitized by Google

esse in rebus inane tamen fateare necessest.
400 multaque praeterea tibi possum commemorando
argumenta fidem dictis conradere nostris.
verum animo satis haec vestigia parva sagaci
sunt, per quae possis cognoscere cetera tute:
namque canes ut montivagae persaepe ferai
405 naribus inveniunt intectas fronde quietes,
cum semel institerunt vestigia certa viai,
sic alid ex alio per te tute ipse videre
talibus in rebus poteris caecasque latebras
insinuare omnis et verum protrahere inde.
410 quod si pigraris paulumve recesseris ab re,
hoc tibi de plano possum promittere, Memmi:
usque adeo largos haustus e fontibu' magnis
lingua meo suavis diti de pectore fundet,
ut verear ne tarda prius per membra senectus
415 serpat et in nobis vitai claustra resolvat,
quam tibi de quavis una re versibus omnis
argumentorum sit copia missa per auris.
Sed nunc ut repetam coeptum pertexere dictis,
omnis, ut est, igitur per se natura duabus
420 constitit in rebus: nam corpora sunt, et inane,
haec in quo sita sunt et qua diversa moventur.
corpus enim per se communis dedicat esse
sensus; cui nisi prima fides fundata valebit,
haut erit occultis de rebus quo referentes
425 confirmare animi quicquam ratione queamus.
tum porro locus ac spatium, quod inane vocamus,
si nullum foret, haut usquam sita corpora possent
esse neque omnino quoquam diversa meare;
id quod iam supera tibi paulo ostendimus ante.
430 praeterea nil est quod possis dicere ab omni

---

404 ferare. || 411 ptano || 412 magnes. || 414 urear

Digitized by Google

corpore seiunctum secretumque esse ab inani,
quod quasi tertia sit numero natura reperta.
nam quod cumque erit, esse aliquid debebit id ipsum;
35 cui si tactus erit quamvis levis exiguusque,
34 augmine vel grandi vel parvo denique, dum sit,
36 corporis augebit numerum summamque sequetur:
sin intactile erit, nulla de parte quod ullam
rem prohibere queat per se transeire meantem,
scilicet, hoc id erit, vacuum quod inane vocamus.
40 praeterea per se quod cumque erit, aut faciet quid
aut aliis fungi debebit agentibus ipsum,
aut erit ut possint in eo res esse gerique:
at facere et fungi sine corpore nulla potest res,
nec praebere locum porro nisi inane vacansque.
45 ergo, praeter inane et corpora, tertia per se
nulla potest rerum in numero natura relinqui,
nec quae sub sensus cadat ullo tempore nostros,
nec ratione animi quam quisquam possit apisci.
Nam quae cumque cluent, aut his coniuncta duabus
50 rebus ea invenies aut horum eventa videbis.
coniunctum est id quod nusquam sine perniciali
discidio potis est seiungi seque gregari;
pondus uti saxist, calor ignis, liquor aquai.
55 servitium contra, paupertas, divitiaeque,
libertas, bellum, concordia, cetera quorum
adventu manet incolumis natura abituque,
haec soliti sumus, ut par est, eventa vocare.
tempus item per se non est, sed rebus ab ipsis
60 consequitur sensus, transactum quid sit in aevo,
tum quae res instet, quid porro deinde sequatur:

---

438 transere || 442 possunt || 449 civent || coniuncto duobus. || 451 permitiali. || 452 greagari. || 453 saxis || aquae. || 454 Tactus corporibus cunctis intactus inani. || 455 diviaeque. || 458 evento

Digitized by Google

nec per se quemquam tempus sentire fatendumst
semotum ab rerum motu placidaque quiete.
denique Tyndaridem raptam belloque subactas
465 Troiiugenas gentis cum dicunt esse, videndumst
ne forte haec per se cogant nos esse fateri,
quando ea saecla hominum, quorum haec eventa fuerunt,
inrevocabilis abstulerit iam praeterita aetas:
namque aliut per sest, aliut regionibus ipsis
470 eventum dici poterit quod cumque erit actum.
denique materies si rerum nulla fuisset,
nec locus ac spatium, res in quo quaeque geruntur,
numquam Tyndaridis formae conflatus amore
ignis, Alexandri Phrygio sub pectore gliscens,
475 clara accendisset saevi certamina belli,
nec clam durateus Troiianis Pergama partu
inflammasset equos nocturno Graiiugenarum;
perspicere ut possis res gestas funditus omnis
non ita uti corpus per se constare neque esse,
480 nec ratione cluere eadem qua constet inane,
sed magis ut merito possis eventa vocare
corporis, atque loci, res in quo quaeque gerantur.
Corpora sunt porro partim primordia rerum,
partim concilio quae constant principiorum.
485 sed quae sunt rerum primordia, nulla potest vis
stinguere: nam solido vincunt ea corpore demum.
etsi difficile esse videtur credere quicquam
in rebus solido reperiri corpore posse.
transit enim fulmen caelum, per saepta domorum
490 clamor it ac voces, ferrum candescit in igni,
dissiliuntque fero ferventia saxa vapore:
tum labefactatus rigor auri solvitur aestu:

---

467 fuerit. || 469 aliut terris || 473 forma || 480 luere || 484 qua || 489 flumen caeli || 490 ut ad || 491 ferventi || 492 Cum

Digitized by Google

tum glacies aeris flamma devicta liquescit,
permanat calor argentum penetraleque frigus,
quando utrumque manu retinentes pocula rite
sensimus infuso lympharum rore superne.
usque adeo in rebus solidi nil esse videtur.
sed quia vera tamen ratio naturaque rerum
cogit, ades, paucis dum versibus expediamus
esse ea quae solido atque aeterno corpore constent,
semina quae rerum primordiaque esse docemus,
unde omnis rerum nunc constet summa creata.
Principio quoniam duplex natura duarum
dissimilis rerum longe constare repertast,
corporis, atque loci, res in quo quaeque geruntur,
esse utramque sibi per se puramque necessest.
nam qua cumque vacat spatium, quod inane vocamus,
corpus ea non est: qua porro cumque tenet se
corpus, ea vacuum nequaquam constat inane.
sunt igitur solida ac sine inani corpora prima.
praeterea quoniam genitis in rebus inanest,
materiem circum solidam constare necessest:
nec res ulla potest vera ratione probari
corpore inane suo celare atque intus habere,
si non, quod cohibet, solidum constare relinquas:
id porro nil esse potest nisi materiai
concilium, quod inane in rebu' queat cohibere.
materies igitur, solido quae corpore constat,
esse aeterna potest, cum cetera dissoluantur.
tum porro si nil esset quod inane vacaret,
omne foret solidum: nisi contra corpora certa
essent, quae loca complerent quae cumque tenerent,
omne quod est, spatium vacuum constaret inane.
alternis igitur, ni mirum, corpus inani

500 constet || 517 inane queat rerum || 520 est || vocaret.

Digitized by Google

525 distinctum quoniam nec plenum naviter extat
nec porro vacuum, sunt ergo corpora certa,
quae spatium pleno possint distinguere inane.
haec neque dissolui plagis extrinsecus icta
possunt, nec porro penitus penetrata retexi
530 nec ratione queunt alia temptata labare;
id quod iam supra tibi paulo ostendimus ante.
nam neque conlidi sine inani posse videtur
quicquam nec frangi nec findi in bina secando,
nec capere umorem neque item manabile frigus
535 nec penetralem ignem, quibus omnia conficiuntur:
et quo quaeque magis cohibet res intus inane,
tam magis his rebus penitus temptata labascit.
ergo si solida ac sine inani corpora prima
sunt ita uti docui, sint haec aeterna necessest.
540 praeterea nisi materies aeterna fuisset,
ante hac ad nilum penitus res quaeque redissent,
de niloque renata forent quae cumque videmus.
at quoniam supra docui nil posse creari
de nilo neque quod genitum est ad nil revocari,
545 esse immortali primordia corpore debent,
dissolui quo quaeque supremo tempore possint,
materies ut subpeditet rebus reparandis.
sunt igitur solida primordia simplicitate,
nec ratione queunt alia servata per aevom
550 ex infinito iam tempore res reparare.
Denique si nullam finem natura parasset
frangendis rebus, iam corpora materiai
usque redacta forent aevo frangente priore,
ut nil ex illis a certo tempore posset
555 conceptum summa aetatis pervadere finis.

---

527 poena || inani. || 533 fundi || 542 ranta || 552 materiae. || 553 fovent || 555 summum

Digitized by Google

nam quidvis citius dissolvi posse videmus
quam rursus refici; qua propter longa diei
infinita aetas ante acti temporis omnis
quod fregisset adhuc disturbans dissoluensque,
560 numquam relicuo reparari tempore posset.
at nunc, ni mirum, frangendi reddita finis
certa manet, quoniam refici rem quamque videmus
et finita simul generatim tempora rebus
stare, quibus possint aevi contingere florem.
565 huc accedit uti, solidissima materiai
corpora cum constant, possint tamen omnia reddi
mollia quae fiunt, aër, aqua, terra, vapores,
569 admixtum quoniam semel est in rebus inane:
at contra si mollia sint primordia rerum,
unde queant validi silices ferrumque creari
non poterit ratio reddi: nam funditus omnis
principio fundamenti natura carebit.
sunt igitur solida pollentia simplicitate,
575 quorum condenso magis omnia conciliatu
artari possunt validasque ostendere viris.
Porro si nullast frangendis reddita finis
corporibus, tamen ex aeterno tempore quaedam
nunc etiam superare necessest corpora rebus,
580 quae non dum clueant ullo temptata periclo:
at quoniam fragili natura praedita constant,
discrepat aeternum tempus potuisse manere
innumerabilibus plagis vexata per aevom.
denique iam quoniam generatim reddita finis
585 crescendi rebus constat vitamque tenendi,
568 quo pacto fiant et qua vi quaeque gerantur,
586 et quid quaeque queant per foedera naturai,

---

562 refice || demus. || 569 Admixtumque || 578 quaeque. || 580 civeant || 584 generatin || 585 Crescendis

Digitized by Google

quid porro nequeant, sancitum quandoquidem extat,
nec commutatur quicquam, quin omnia constent
usque adeo, variae volucres ut in ordine cunctae
590 ostendant maculas generalis corpore inesse,
inmutabili' materiae quoque corpus habere
debent, ni mirum: nam si primordia rerum
commutari aliqua possent ratione revicta,
incertum quoque iam constet quid possit oriri,
595 quid nequeat, finita potestas denique cuique
qua nam sit ratione atque alte terminus haerens,
nec totiens possent generatim saecla referre
naturam mores victum motusque parentum.
Tum porro quia nam est extremum quodque cacumen
600 corporis ullius, quod nostri cernere sensus
iam nequeunt? id, ni mirum, sine partibus extat
et minima constat natura, nec fuit umquam
per se secretum neque post hac esse valebit,
alterius quoniamst ipsum pars, primaque et una
605 inde aliae atque aliae similes ex ordine partes
agmine condenso naturam corporis explent;
quae quoniam per se nequeunt constare, necessest
haerere unde queant nulla ratione revelli.
sunt igitur solida primordia simplicitate,
610 quae minimis stipata cohaerent partibus arte,
non ex ullorum conventu conciliata,
sed magis aeterna pollentia simplicitate,
unde neque avelli quicquam neque deminui iam
concedit natura reservans semina rebus.
615 praeterea nisi erit minimum, parvissima quaeque
corpora constabunt ex partibus infinitis;
quippe ubi dimidiae partis pars semper habebit

---

588 comitatur || constant. || 591 Inmutabiles || 599 quoniam || 600 illius || 606 explet. || 608 ulla || 611 illorum || 613 tam.

Digitized by Google

dimidiam partem, nec res praefiniet ulla.
ergo rerum inter summam minimamque quid escit?
nil erit ut distet: nam quamvis funditus omnis
summa sit infinita, tamen, parvissima quae sunt,
ex infinitis constabunt partibus aeque.
quod quoniam ratio reclamat vera negatque
credere posse animum, victus fateare necessest
esse ea quae nullis iam praedita partibus extent
et minima constent natura. quae quoniam sunt,
illa quoque esse tibi solida atque aeterna fatendum.
denique ni minimas in partis cuncta resolvi
cogere consuesset rerum natura creatrix,
iam nil ex illis eadem reparare valeret
propterea quia, quae multis sunt partibus aucta,
non possunt ea quae debet genitalis habere
materies, varios conexus, pondera, plagas,
concursus, motus, per quae res quaeque geruntur.
Qua propter qui materiem rerum esse putarunt
ignem atque ex igni summam consistere solo,
magno opere a vera lapsi ratione videntur.
Heraclitus init quorum dux proelia primus,
clarus ob obscuram linguam magis inter inanis
quamde gravis inter Graios, qui vera requirunt:
omnia enim stolidi magis admirantur amantque,
inversis quae sub verbis latitantia cernunt,
veraque constituunt quae belle tangere possunt
auris et lepido quae sunt fucata sonore.
Nam cur tam variae res possent esse, requiro,
ex uno si sunt igni puroque creatae?
nil prodesset enim calidum denserier ignem
nec rare fieri, si partes ignis eandem

---

619 quod || 626 constant || 628 si || 631 nullis || 634 quas || 639 ob *omissum*. || 646 Ex uro

Digitized by Google

naturam quam totus habet super ignis haberent.
650 acrior ardor enim conductis partibus esset,
languidior porro disiectis disque supatis:
amplius hoc fieri nil est quod posse rearis
talibus in causis, ne dum variantia rerum
tanta queat densis rarisque ex ignibus esse.
655 id quoque, si faciant admixtum rebus inane,
denseri poterunt ignes rarique relinqui:
sed quia multa sibi cernunt contraria adesse
et fugitant in rebus inane relinquere purum,
ardua dum metuunt, amittunt vera viai,
660 nec rursum cernunt exempto rebus inani
omnia denseri fierique ex omnibus unum
corpus, nil ab se quod possit mittere raptim;
aestifer ignis uti lumen iacit atque vaporem,
ut videas non e stipatis partibus esse.
665 quod si forte alia credunt ratione potesse
ignis in coetu stingui mutareque corpus,
scilicet, ex nulla facere id si parte reparcent,
occidet ad nilum, ni mirum, funditus ardor
omnis et e nilo fient quae cumque creantur:
670 nam quod cumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
proinde aliquit superare necesse est incolume ollis,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes
de niloque renata vigescat copia rerum.
675 nunc igitur quoniam certissima corpora quaedam
sunt, quae conservant naturam semper eandem,
quorum abitu aut aditu mutatoque ordine mutant
naturam res et convertunt corpora sese,

---

649 haberet. || 651 Langidior || 657 musc. || 659 ver aula. || 660 inane. || 662 raptis. || 665 mia || 666 coetus || musareque || 668 funditur arbor. || 669 e *omissum*. || 670 mutuatum || 674 vivescat

Digitized by Google

scire licet non esse haec ignea corpora rerum.
nil referret enim quaedam decedere, abire,
atque alio adtribui, mutarique ordine quaedam,
si tamen ardoris naturam cuncta tenerent:
ignis enim foret omnimodis quod cumque crearent.
verum, ut opinor, itast: sunt quaedam corpora, quorum
concursus motus ordo positura figurae
efficiunt ignis, mutatoque ordine mutant
naturam, neque sunt igni simulata neque ulli
praeterea rei quae corpora mittere possit
sensibus et nostros adiectu tangere tactus.
Dicere porro ignem res omnis esse, neque ullam
rem veram in numero rerum constare nisi ignem,
quod facit hic idem, perdelirum esse videtur.
nam contra sensus ab sensibus ipse repugnat,
et labefactat eos, unde omnia credita pendent,
unde hic cognitus est ipsi quem nominat ignem:
credit enim sensus ignem cognoscere vere,
cetera non credit, quae nilo clara minus sunt.
quod mihi cum vanum tum delirum esse videtur:
quo referemus enim? quid nobis certius ipsis
sensibus esse potest, qui vera ac falsa notemus?
praeterea quare quisquam magis omnia tollat
et velit ardoris naturam linquere solam,
quam neget esse ignis, quidvis tamen esse relinquat?
aequa videtur enim dementia dicere utrumque.
Qua propter qui materiem rerum esse putarunt
ignem atque ex igni summam consistere posse,
et qui principium gignundis aëra rebus
constituere, aut umorem qui cumque putarunt
fingere res ipsum per se, terramve creare

680 descendere || 683 crearet. || 690 iquenem || 694 laebefactat || 703 quidvis *omissum*. || 708 putantur.

Digitized by Google

710 omnia et in rerum naturas vertier omnis,
magno opere a vero longe derrasse videntur.
adde etiam qui conduplicant primordia rerum,
aëra iungentes igni, terramque liquori,
et qui quattuor ex rebus posse omnia rentur
715 ex igni terra atque anima procrescere et imbri.
quorum Acragantinus cum primis Empedocles est
insula quem triquetris terrarum gessit in oris,
quam fluitans circum magnis anfractibus aequor
Ionium glaucis aspargit virus ab undis,
720 angustoque fretu rapidum mare dividit undans
Italiae terrarum oras a finibus eius.
hic est vasta Charybdis, et hic Aetnaea minantur
murmura flammarum rursum se colligere iras,
faucibus eruptos iterum vis ut vomat ignis
725 ad caelumque ferat flammai fulgura rursum.
quae cum magna modis multis miranda videtur
gentibus humanis regio visendaque fertur,
rebus opima bonis, multa munita virum vi,
nil tamen hoc habuisse viro praeclarius in se
730 nec sanctum magis et mirum carumque videtur.
carmina quin etiam divini pectoris eius
vociferantur et exponunt praeclara reperta,
ut vix humana videatur stirpe creatus.
Hic tamen et supra quos diximus inferiores
735 partibus egregie multis multoque minores,
quamquam multa bene ac divinitus invenientes
ex adyto tam quam cordis responsa dedere
sanctius et multo certa ratione magis quam
Pythia quae tripodi a Phoebi lauroque profatur,
740 principiis tamen in rerum fecere ruinas

---

710 verti || 711 longi || 716 Agragantinus || 720 undis. || 721 Haeliae || 724 ut omniat || 725 flammae || 739 prosatur.

Digitized by Google

et graviter magni magno cecidere ibi casu;
primum quod motus exempto rebus inani
constituunt, et res mollis rarasque relinquont,
aëra, solem, ignem, terras, animalia, fruges,
nec tamen admiscent in eorum corpus inane;
deinde quod omnino finem non esse secandis
corporibus faciunt, neque pausam stare fragori,
nec prorsum in rebus minimum consistere quicquam;
cum videamus id extremum cuiusque cacumen
esse quod ad sensus nostros minimum esse videtur,
conicere ut possis ex hoc, quae cernere non quis
extremum quod habent, minimum consistere prorsum.
huc accedit utei, quoniam primordia rerum
mollia constituunt, quae nos nativa videmus
esse et mortali cum corpore, funditus usque
debeat ad nilum iam rerum summa reverti
de niloque renata vigescere copia rerum;
quorum utrumque quid a vero iam distet habebis.
deinde inimica modis multis sunt atque veneno
ipsa sibi inter se; quare aut congressa peribunt,
aut ita diffugient ut tempestate coacta
fulmina diffugere atque imbris ventosque videmus.
Denique quattuor ex rebus si cuncta creantur
atque in eas rursum res omnia dissoluuntur,
qui magis illa queunt rerum primordia dici
quam contra res illorum retroque putari?
alternis gignuntur enim mutantque colorem
et totam inter se naturam tempore ab omni.
sin ita forte putas ignis terraeque coire
corpus et aërias auras roremque liquoris.

---

741 causa. || 744 frugis. || 747 facient || 748 qui. || 752 prorsum *omissum*. || 753 accidit item || 755 utqui. || 758 habes. || 759 vene. || 767 Aternis || 769=762.

Digitized by Google

nil in concilio naturam ut mutet eorum,
nulla tibi ex illis poterit res esse creata,
non animans, non exanimo cum corpore, ut arbos:
775 quippe suam quicque in coetu variantis acervi
naturam ostendet, mixtusque videbitur aër
cum terra simul atque ardor cum rore manere.
at primordia gignundis in rebu' necessest
naturam clandestinam caecamque adhibere;
780 emineat nequid, quod contra pugnet et obstet
quo minus esse queat proprie quod cumque creatur.
Quin etiam repetunt a caelo atque ignibus eius,
et primum faciunt ignem se vertere in auras
aëris, hinc imbrem gigni, terramque creari
785 ex imbri, retroque a terra cuncta reverti,
umorem primum, post aëra, deinde calorem,
nec cessare haec inter se mutare, meare
a caelo ad terram, de terra ad sidera mundi.
quod facere haud ullo debent primordia pacto.
790 immutabile enim quiddam superare necessest,
ne res ad nilum redigantur funditus omnes:
nam quod cumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
qua propter quoniam quae paulo diximus ante
795 in commutatum veniunt, constare necessest
ex aliis ea, quae nequeant convertier usquam,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
quin potius tali natura praedita quaedam
corpora constituas, ignem si forte crearint,
800 posse eadem, demptis paucis paucisque tributis,
ordine mutato et motu, facere aëris auras.

---

772 et || 774 animas || 775 quisque in coetum || 776 ostendit || 777 et quodam cum || manare. || 778 oportet. || 779 glandestinam || 780 Demineat || 781 creatas. || 784 ignem || 785 igni || in terram || 789 facto.

Digitized by Google

sic alias aliis rebus mutarier omnis?
'At manifesta palam res indicat' inquis 'in auras
aëris e terra res omnis crescere alique:
et nisi tempestas indulget tempore fausto
solque sua pro parte fovet tribuitque calorem,
imbribus et tabe nimborum ambusta vacillent,
crescere non possint fruges arbusta animantis.'
scilicet, et nisi nos cibus aridus et tener umor
adiuvet, amisso iam corpore vita quoque omnis
omnibus e nervis atque ossibus exsoluatur:
adiutamur enim dubio procul atque alimur nos
certis ab rebus, certis aliae atque aliae res.
ni mirum, quia multa modis communia multis
multarum rerum in rebus primordia mixta
sunt, ideo variis variae res rebus aluntur.
atque eadem magni refert primordia saepe
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque:
namque eadem caelum mare terras flumina solem
constituunt, eadem fruges arbusta animantis,
verum aliis alioque modo commixta moventur.
quin etiam passim nostris in versibus ipsis
multa elementa vides multis communia verbis,
cum tamen inter se versus ac verba necessest
confiteare et re et sonitu distare sonanti.
tantum elementa queunt permutato ordine solo:
at rerum quae sunt primordia, plura adhibere
possunt unde queant variae res quaeque creari.
Nunc ut Anaxagorae scrutemur homoeomerian
quam Grai memorant nec nostra dicere lingua
concedit nobis patrii sermonis egestas,
sed tamen ipsam rem facilest exponere verbis,

---

806 arbusta || 814 multimodis || 824 bellis. || 830 et

Digitized by Google

principio, rerum quom dicit homoeomerian,
835 ossa, videlicet, e pauxillis atque minutis
ossibus hic et de pauxillis atque minutis
visceribus viscus gigni sanguenque creari
sanguinis inter se multis coëuntibu' guttis
ex aurique putat micis consistere posse
840 aurum et de terris terram concrescere parvis,
ignibus ex ignis, umorem umoribus esse,
cetera consimili fingit ratione putatque.
nec tamen esse ulla idem ex parte in rebus inane
concedit, neque corporibus finem esse secandis.
845 quare in utraque mihi pariter ratione videtur
errare atque illi, supra quos diximus ante.
adde quod inbecilla nimis primordia fingit;
si primordia sunt, simili quae praedita constant
natura atque ipsae res sunt, aequeque laborant
850 et pereunt, neque ab exitio res ulla refrenat.
nam quid in oppressu valido durabit eorum,
ut mortem effugiat, leti sub dentibus ipsis?
ignis, an umor, an aura? quid horum? sanguen, os, aurum?
nil, ut opinor, ubi ex aequo res funditus omnis
855 tam mortalis erit quam quae manifesta videmus
ex oculis nostris aliqua vi victa perire.
at neque reccidere ad nilum res posse neque autem
crescere de nilo testor res ante probatas.
praeterea quoniam cibus auget corpus alitque,
860 scire licet nobis venas et sanguen et ossa
. . . . . .
sive cibos omnis commixto corpore dicent
esse et habere in se nervorum corpora parva

---

834 quam || 835 de || 837 sanguemque || 843 iden parte || 846 suira quod || 847 inbecilia || 852 efficiat || 853 sanguis an os. || aurum *omissum*. || 860 sanguin || 861 Sine || core || 862 Esset habere

Digitized by Google

ossaque et omnino venas partisque cruoris,
fiet uti cibus omnis, et aridus et liquor ipse,
ex alienigenis rebus constare putetur,
ossibus et nervis venisque et sanguine mixto.
praeterea quae cumque e terra corpora crescunt
si sunt in terris, terram constare necessest
ex alienigenis, quae terris exoriuntur.
transfer item, totidem verbis utare licebit.
in lignis si flamma latet fumusque cinisque,
ex alienigenis consistant ligna necessest.
praeterea tellus quae corpora cumque alit, auget
ex alienigenis, quae alienigenis oriuntur.
Linquitur hic quaedam latitandi copia tenvis,
id quod Anaxagoras sibi sumit, ut omnibus omnis
res putet inmixtas rebus latitare, sed illud
apparere unum, cuius sint plurima mixta
et magis in promptu primaque in fronte locata.
quod tamen a vera longe ratione repulsumst.
conveniebat enim fruges quoque saepe, minaci
robore cum saxi franguntur, mittere signum
sanguinis aut aliquid, nostro quae corpore aluntur;
cum lapidi lapidem terimus, manare cruorem.
consimili ratione herbas quoque saepe decebat
et laticis dulcis guttas similique sapore
mittere, lanigerae quali sunt ubere lactis,
scilicet, et glebis terrarum saepe friatis
herbarum genera et fruges frondesque videri
dispertita inter terram latitare minute,
postremo in lignis cinerem fumumque videri,
cum praefracta forent, ignisque latere minutos.
quorum nil fieri quoniam manifesta docet res,

---

866 sanieque || mixta. || 874 quae lignis || 882 cum in || 884 in lapidem tenemus || 885 herbis || 886 latices || 890 in || 893 res *omissum*.

Digitized by Google

scire licet non esse in rebus res ita mixtas,
895 verum semina multimodis inmixta latere
multarum rerum in rebus communia debent.
'At saepe in magnis fit montibus' inquis 'ut altis
arboribus vicina cacumina summa terantur
inter se, validis facere id cogentibus austris,
900 donec flammai fulserunt flore coorto.'
scilicet, et non est lignis tamen insitus ignis,
verum semina sunt ardoris multa, terendo
quae cum confluxere, creant incendia silvis:
quod si facta foret silvis abscondita flamma,
905 non possent ullum tempus celarier ignes,
conficerent volgo silvas, arbusta cremarent.
iamne vides igitur, paulo quod diximus ante,
permagni referre eadem primordia saepe
cum quibus et quali positura contineantur
910 et quos inter se dent motus accipiantque,
atque eadem paulo inter se mutata creare
ignes et lignum? quo pacto verba quoque ipsa
inter se paulo mutatis sunt elementis,
cum ligna atque ignes distincta voce notemus.
915 denique iam quae cumque in rebus cernis apertis
si fieri non posse putas, quin materiai
corpora consimili natura praedita fingas,
hac ratione tibi pereunt primordia rerum:
fiet uti risu tremulo concussa cachinnent
920 et lacrimis salsis umectent ora genasque.
Nunc age, quod super est cognosce et clarius audi.
nec me animi fallit quam sint obscura: sed acri
percussit thyrso laudis spes magna meum cor
et simul incussit suavem mi in pectus amorem

---

900 flammae || 906 Conficeret || 909 contingantur. || 912 c || 918 Haec || 919 taemulo

Digitized by Google

5 musarum, quo nunc instinctus mente vigenti
avia Pieridum peragro loca nullius ante
trita solo. iuvat integros accedere fontis
atque haurire, iuvatque novos decerpere flores
insignemque meo capiti petere inde coronam,
0 unde prius nulli velarint tempora musae;
primum quod magnis doceo de rebus et artis
religionum animum nodis exsolvere pergo,
deinde quod obscura de re tam lucida pango
carmina, musaeo contingens cuncta lepore:
5 id quoque enim non ab nulla ratione videtur;
sed vel uti pueris absinthia taetra medentes
cum dare conantur, prius oras, pocula circum,
contingunt mellis dulci flavoque liquore,
ut puerorum aetas inprovida ludificetur
0 labrorum tenus, interea perpotet amarum
absinthi laticem, deceptaque non capiatur,
sed potius tali pacto recreata valescat,
sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
tristior esse quibus non est tractata, retroque
5 volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti
carmine Pierio rationem exponere nostram
et quasi musaeo dulci contingere melle;
si tibi forte animum tali ratione tenere
versibus in nostris possem, dum perspicis omnem
0 naturam rerum, qua constet compta figura.
Sed quoniam docui solidissima materiai
corpora perpetuo volitare invicta per aevom,
nunc age, summai quaedam sit finis eorum,
necne sit, evolvamus: item quod inane repertumst
5 seu locus ac spatium, res in quo quaeque gerantur,
pervideamus utrum finitum funditus omne

931 magis || 932 porgo. || 942 facto || 943 videt. || 954 Nec sit

Digitized by Google

constet, an immensum pateat vasteque profundum.
Omne quod est igitur nulla regione viarum
finitumst: namque extremum debebat habere:
960 extremum porro nullius posse videtur
esse, nisi ultra sit quod finiat; ut videatur
quo non longius haec sensus natura sequatur.
nunc extra summam quoniam nil esse fatendum,
non habet extremum, caret ergo fine modoque.
965 nec refert quibus adsistas regionibus eius:
usque adeo, quem quisque locum possedit, in omnis
tantundem partis infinitum omne relinquit.
praeterea si iam finitum constituatur
omne quod est spatium, siquis procurrat ad oras
970 ultimus extremas iaciatque volatile telum,
id validis utrum contortum viribus ire
quo fuerit missum mavis longeque volare,
an prohibere aliquid censes obstareque posse?
alterutrum fatearis enim sumasque necessest.
975 quorum utrumque tibi effugium praecludit et omne
cogit ut exempta concedas fine patere.
nam sive est aliquit quod probeat efficiatque
quo minu' quo missum est veniat finique locet se,
sive foras fertur, non est a fine profectum.
980 hoc pacto sequar atque, oras ubi cumque locaris
extremas, quaeram quid telo denique fiat.
fiet uti nusquam possit consistere finis,
effugiumque fugae prolatet copia semper.
Praeterea spatium summai totius omne
985 undique si inclusum certis consisteret oris
finitumque foret, iam copia materiai
undique ponderibus solidis confluxet ad imum,

---

957 imensum || 966 omnus. || 971 In || 981 fiet. || 984 scatium || 985 inclusus || 987 confluxit

Digitized by Google

nec res ulla geri sub caeli tegmine posset,
nec foret omnino caelum neque lumina solis;
quippe ubi materies omnis cumulata iaceret
ex infinito iam tempore subsidendo.
at nunc, ni mirum, requies data principiorum
corporibus nullast, quia nil est funditus imum,
quo quasi confluere et sedes ubi ponere possint.
semper in adsiduo motu res quaeque geruntur
partibus e cunctis, aeternaque suppeditantur
ex infinito cita corpora materiai.
Postremo ante oculos res rem finire videtur:
aër dissaepit collis atque aëra montes,
terra mare et contra mare terras terminat omnis:
omne quidem vero nil est quod finiat extra.
est igitur natura loci spatiumque profundi,
quod neque clara suo percurrere fulmina cursu
perpetuo possint aevi labentia tractu
nec prorsum facere ut restet minus ire meando:
usque adeo passim patet ingens copia rebus,
finibus exemptis, in cunctas undique partis.
ipsa modum porro sibi rerum summa parare
ne possit, natura tenet, quae corpus inani
et quod inane autem est finiri corpore cogit,
ut sic alternis infinita omnia reddat.
aut etiam alterutrum, nisi terminet alterum, eorum

*

simplice natura pateat tamen inmoderatum,
nec mare nec tellus neque caeli lucida templa
nec mortale genus nec divum corpora sancta
exiguum possent horai sistere tempus:

993 nullas || 994 possit. || 996 e *omissum*. || infernaque || 1008 Ipso || 1009 inane.

Digitized by Google

nam dispulsa suo de coetu materiai
copia ferretur magnum per inane soluta,
sive adeo potius numquam concreta creasset
1020 ullam rem, quoniam cogi disiecta nequisset.
nam certe neque consilio primordia rerum
ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt
nec quos quaeque darent motus pepigere profecto,
sed quia multa modis multis mutata per omne
1025 ex infinito vexantur percita plagis,
omne genus motus et coetus experiundo
tandem deveniunt in talis disposituras,
qualibus haec rerum consistit summa creata,
et multos etiam magnos servata per annos
1030 ut semel in motus coniectast convenientis,
efficit ut largis avidum mare fluminis undis
integrent amnes et solis terra vapore
fota novet fetus summissaque gens animantum
floreat et vivant labentes aetheris ignes;
1035 quod nullo facerent pacto, nisi materiai
ex infinito suboriri copia posset,
unde amissa solent reparare in tempore quaeque.
nam vel uti privata cibo natura animantum
diffluit amittens corpus, sic omnia debent
1040 dissolui simul ac defecit suppeditare
materies aliqua ratione aversa viaque.
nec plagae possunt extrinsecus undique summam
conservare omnem, quae cumque est conciliata.
cudere enim crebro possunt partemque morari,
1045 dum veniant aliae ac suppleri summa queatur:
inter dum resilire tamen coguntur et una

1017 coetum || 1019 oreasset || 1023 quaeque sagaci mente locarunt. || 1028 rebus || 1033 summaque || 1034 Floreant || 1037 ammissa || 1040 Dissoluit || 1041 via.

Digitized by Google

principiis rerum spatium tempusque fugai
largiri, ut possint a coetu libera ferri.
quare etiam atque etiam suboriri multa necessest,
0 et tamen ut plagae quoque possint suppetere ipsae,
infinita opus est vis undique materiai.
Illud in his rebus longe fuge credere, Memmi,
in medium summae quod dicunt omnia niti,
atque ideo mundi naturam stare sine ullis
5 ictibus externis neque quoquam posse resolvi
summa atque ima, quod in medium sint omnia nixa;
ipsum si quicquam posse in se sistere credis,
et quae pondera sunt sub terris omnia sursum
nitier in terraque retro requiescere posta.
0 ut per aquas quae nunc rerum simulacra videmus,
adsimili ratione animalia suppa vagari
contendunt, neque posse e terris in loca caeli
reccidere inferiora magis quam corpora nostra
sponte sua possint in caeli templa volare:
65 illi cum videant solem, nos sidera noctis
cernere, et alternis nobiscum tempora caeli
dividere et noctes parilis agitare diebus.
sed vanus stolidis haec
amplexi quod habent perv
70 nam medium nil esse potest
infinita. neque omnino, si iam medium sit,
possit ibi quicquam consistere
quam quavis alio longe ratione
omnis enim locus ac spatium, quod inane vocamus,
75 per medium, per non medium, concedere debet
aeque ponderibus, motus qua cumque feruntur.

1047 Principium || 1061 Et simili || 1068 stollidis || 1071 denique || medium sit *omissa*. || 1073 alia || 1074 quod in. || vocamus *omissum*. || 1075 debet *omissum*. || 1076 Aequis

Digitized by Google

nec quisquam locus est, quo corpora com venerunt,
ponderis amissa vi possint stare in inani:
nec quod inane autem est ulli subsistere debet,
1080 quin, sua quod natura petit, concedere pergat.
haud igitur possunt tali ratione teneri
res in concilium medii cuppedine vectae.
Praeterea quoniam non omnia corpora fingunt
in medium niti, sed terrarum atque liquoris,
1085 et quasi terreno quae corpore contineantur,
umorem ponti magnasque e montibus undas,
at contra tenuis exponunt aëris auras
et calidos simul a medio differrier ignis,
atque ideo totum circum tremere aethera signis
1090 et solis flammam per caeli caerula pasci,
quod calor a medio fugiens se ibi conligat omnis,
nec prorsum arboribus summos frondescere ramos
posse, nisi a terris paulatim cuique cibatum
. . . . . .
1095 . . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
. . . . . .
1100 . . . . . .
. . . . . .
ne volucri ritu flammarum moenia mundi
diffugiant subito magnum per inane soluta,
et ne cetera consimili ratione sequantur,
1105 neve ruant caeli penetralia templa superne
terraque se pedibus raptim subducat et omnia
inter permixtas rerum caelique ruinas

1077 vener. || 1078 in *omissum*. || 1082 victac. || 1091 sibi || 1105 tonctralia || 1106 omnis.

Digitized by Google

corpora solventes abeant per inane profundum,
temporis ut puncto nil extet reliquiarum,
desertum praeter spatium et primordia caeca.
nam qua cumque prius de parti corpora desse
constitues, haec rebus erit pars ianua leti:
hac se turba foras dabit omnis materiai.

Haec, scio, pernosces parva perdoctus opella.
namque alid ex alio clarescet, nec tibi caeca
nox iter eripiet, quin ultima naturai
pervideas: ita res accendent lumina rebus.

1114 sic || perductus

Digitized by Google

T. LUCRETI CARI

DE RERUM NATURA

LIBER SECUNDUS.

Suave, mari magno turbantibus aequora ventis,
e terra magnum alterius spectare laborem;
non quia vexari quemquamst iucunda voluptas,
sed quibus ipse malis careas quia cernere suave est:
6 suave etiam belli certamina magna tueri
5 per campos instructa, tua sine parte pericli:
7 sed nil dulcius est, bene quam munita tenere
edita doctrina sapientum templa serena,
despicere unde queas alios passimque videre
10 errare atque viam palantis quaerere vitae,
certare ingenio, contendere nobilitate,
noctes atque dies niti praestante labore
ad summas emergere opes rerumque potiri.
o miseras hominum mentes, o pectora caeca!
15 qualibus in tenebris vitae quantisque periclis
degitur hoc aevi quod cumquest! nonne videre
nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, cui

---

12 plabore. || 15 perictis. || 17 qui.

Digitized by Google

corpore seiunctus dolor absit, menti' fruatur
iucundo sensu, cura semotu' metuque?
ergo corpoream ad naturam pauca videmus
esse opus omnino, quae demant cumque dolorem,
delicias quoque uti multas substernere possint.
gratius inter dum neque natura ipsa requirit,
si non aurea sunt iuvenum simulacra per aedes
lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
lumina nocturnis epulis ut suppeditentur,
nec domus argento fulgenti auroque renidet,
nec citharae reboant laqueata aurataque tecta,
cum tamen inter se prostrati in gramine molli
propter aquae rivum sub ramis arboris altae
non magnis opibus iucunde corpora curant,
praesertim cum tempestas adridet et anni
tempora conspergunt viridantis floribus herbas.
nec calidae citius decedunt corpore febres,
textilibus si in picturis ostroque rubenti
iacteris, quam si in plebeia veste cubandum est.
qua propter quoniam nil nostro in corpore gazae
proficiunt neque nobilitas nec gloria regni,
quod super est, animo quoque nil prodesse putandum;
si non forte tuas legiones per loca campi
fervere cum videas, belli simulacra cientis,
subsidiis magnisque elephantis constabilitas,
ornatas armis, validas, pariterque animatas,
fervere cum videas classem lateque vagari,
his tibi tum rebus timefactae religiones
effugiunt animo pavide, mortisque timores
tum vacuum pectus lincunt curaque solutum.
quod si ridicula haec ludibriaque esse videmus,

---

18 mente || 19 semota || 27 fulget || 28 iaqueata || templa. || 39 super
es || 41 Fruere || 42 magnis epicuri || 43 itastuas tariterque || 46 tempus

Digitized by Google

re veraque metus hominum curaeque sequaces
nec metuunt sonitus armorum nec fera tela,
50 audacterque inter reges rerumque potentis
versantur, neque fulgorem reverentur ab auro
nec clarum vestis splendorem purpureai,
quid dubitas quin omni' sit haec rationi' potestas?
omnis cum in tenebris praesertim vita laboret:
55 nam vel uti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
inter dum, nilo quae sunt metuenda magis quam
quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.
hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
60 non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.

Nunc age, quo motu genitalia materiai
corpora res varias gignant genitasque resolvant,
et qua vi facere id cogantur, quaeque sit ollis
65 reddita mobilitas magnum per inane meandi,
expediam: tu te dictis praebere memento.
nam certe non inter se stipata cohaeret
materies, quoniam minui rem quamque videmus,
et quasi longinquo fluere omnia cernimus aevo
70 ex oculisque vetustatem subducere nostris,
cum tamen incolumis videatur summa manere
propterea quia, quae decedunt corpora cuique,
unde abeunt minuunt, quo venere augmine donant,
illa senescere at haec contra florescere cogunt,
75 nec remorantur ibi. sic rerum summa novatur
semper, et inter se mortales mutua vivunt.
augescunt aliae gentes, aliae minuuntur,
inque brevi spatio mutantur saecla animantum
et quasi cursores vitai lampada tradunt.

52 purpura. || 54 raboret. || 62 materiae. || 68 quamquidemus. || 73 agmine

Digitized by Google

Si cessare putas rerum primordia posse
cessandoque novos rerum progignere motus,
avius a vera longe ratione vagaris.
nam quoniam per inane vagantur, cuncta necessest
aut gravitate sua ferri primordia rerum,
aut ictu forte alterius. nam cum cita saepe
obvia conflixere, fit ut diversa repente
dissiliant: neque enim mirum, durissima quae sint
ponderibus solidis neque quicquam a tergo ibus obstet.
et quo iactari magis omnia materiai
corpora pervideas, reminiscere totius imum
nil esse in summa, neque habere ubi corpora prima
consistant; quoniam spatium sine fine modoquest,
inmensumque patere in cunctas undique partis
pluribus ostendi et certa ratione probatumst.
quod quoniam constat, ni mirum, nulla quies est
reddita corporibus primis per inane profundum,
sed magis adsiduo varioque exercita motu
partim intervallis magnis confulta resultant,
pars etiam brevibus spatiis vexantur ab ictu.
et quae cumque magis condenso conciliatu
exiguis intervallis convecta resultant,
indupedita suis perplexis ipsa figuris,
haec validas saxi radices et fera ferri
corpora constituunt, et cetera de genere horum
paucula quae porro magnum per inane vagantur.
cetera dissiliunt longe, longeque recursant
in magnis intervallis: haec aëra rarum
sufficiunt nobis et splendida lumina solis,
multaque praeterea magnum per inane vagantur,
conciliis rerum quae sunt reiecta nec usquam

---

84 terri || 85 cum *omissum*. || 86 conflexere || uti || 88 tergibus || 94 ostendit et || 95 multa || 99 brevius || 104 de *omissum*. || 105 Paucuia

Digitized by Google

consociare etiam motus potuere recepta.
cuius, uti memoro, rei simulacrum et imago
ante oculos semper nobis versatur et instat.
contemplator enim, cum solis lumina cumque
115 inserti fundunt radii per opaca domorum:
multa minuta modis multis per inane videbis
corpora misceri, radiorum lumine in ipso,
et vel ut aeterno certamine proelia pugnas
edere turmatim certantia nec dare pausam,
120 conciliis et discidiis exercita crebris;
conicere ut possis ex hoc, primordia rerum
quale sit in magno iactari semper inani.
dum taxat, rerum magnarum parva potest res
exemplare dare et vestigia notitiai.
125 hoc etiam magis haec animum te advertere par est
corpora quae in solis radiis turbare videntur,
quod tales turbae motus quoque materiai
significant clandestinos caecosque subesse.
multa videbis enim plagis ibi percita caecis
130 commutare viam retroque repulsa reverti,
nunc huc nunc illuc, in cunctas undique partis.
scilicet, hic a principiis est omnibus error.
prima moventur enim per se primordia rerum:
inde ea quae parvo sunt corpora conciliatu
135 et quasi proxima sunt ad viris principiorum,
ictibus illorum caecis inpulsa cientur,
ipsaque proporro paulo maiora lacessunt.
sic a principiis ascendit motus et exit
paulatim nostros ad sensus, ut moveantur
140 illa quoque, in solis quae lumine cernere quimus
nec quibus id faciant plagis apparet aperte.
Nunc quae mobilitas sit reddita materiai

---

112 memoror || simulacra || 134 conciliata. || 136 gientur. || 137 porro

Digitized by Google

corporibus, paucis licet hinc cognoscere, Memmi.
primum aurora novo cum spargit lumine terras,
et variae volucres nemora avia pervolitantes
aëra per tenerum liquidis loca vocibus opplent,
quam subito soleat sol ortus tempore tali
convestire sua perfundens omnia luce,
omnibus in promptu manifestumque esse videmus.
at vapor is quem sol mittit lumenque serenum,
non per inane meat vacuum; quo tardius ire
cogitur, aërias quasi dum diverberet undas:
nec singillatim corpuscula quaeque vaporis
sed complexa meant inter se conque globata;
qua propter simul inter se retrahuntur et extra
officiuntur, uti cogantur tardius ire.
at quae sunt solida primordia simplicitate,
cum per inane meant vacuum, nec res remoratur
ulla foris, atque ipsa suis e partibus unum,
unum, in quem coepere locum conixa feruntur,
debent, ni mirum, praecellere mobilitate,
et multo citius ferri quam lumina solis,
multiplexque loci spatium transcurrere eodem
tempore quo solis pervolgant fulgura caelum.

*

[nec persectari primordia singula quaeque,
ut videant qua quicque geratur cum ratione.
At quidam contra haec, ignari materiai,
naturam non posse, deum sine numine, rentur
tanto opere humanis rationibus atmoderate
tempora mutare annorum, frugesque creare,
et iam cetera, mortalis quae suadet adire

---

144 novor || 147 solea || 152 quosi || 155 trahuntur || 158 remoravit. || 160 conexa || 163 Multiplesque || 166 Ut deant || 168 reddi.

Digitized by Google

ipsaque deducit dux vitae dia voluptas
et res per Veneris blanditur saecla propagent,
ne genus occidat humanum: quorum omnia causa
175 constituisse deos cum fingunt, omnibu' rebus
magno opere a vera lapsi ratione videntur.
nam quamvis rerum ignorem primordia quae sint,
hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus reddere multis,
180 nequaquam nobis divinitus esse creatam
naturam mundi: tanta stat praedita culpa.
quae tibi posterius, Memmi, faciemus aperta:
nunc id quod super est de motibus expediemus.]

Nunc locus est, ut opinor, in his illud quoque rebus
185 confirmare tibi, nullam rem posse sua vi
corpoream sursum ferri sursumque meare;
ne tibi dent in eo flammarum corpora fraudem.
sursus enim versus gignuntur et augmina sumunt
et sursum nitidae fruges arbustaque crescunt,
190 pondera, quantum in se est, cum deorsum cuncta ferantur.
nec cum subsiliunt ignes ad tecta domorum
et celeri flamma degustant tigna trabesque,
sponte sua facere id sine vi subigente putandum est.
quod genus est, nostro com missus corpore sanguis
195 emicat exultans alte spargitque cruorem.
nonne vides etiam quanta vi tigna trabesque
respuat umor aquae? nam quo magis ursimus alte
deiecta et magna vi multi pressimus aegre,
tam cupide sursum removit magis atque remittit,
200 plus ut parte foras emergant exiliantque.
nec tamen haec, quantum est in se, dubitamus, opinor,
quin vacuum per inane deorsum cuncta ferantur.

---

181 quamquam predita || 184 quoque illud || 192 signa || 193 subiecta || 194 e || 197 altu. || 198 Derecta || 199 removet || 200 exillantque.

Digitized by Google

sic igitur debent flammae quoque posse per auras
aëris expressae sursum succedere, quamquam
pondera, quantum est in se, deorsum ducere pugnent.
nocturnasque faces caeli, sublime volantis,
nonne vides longos flammarum ducere tractus
in quas cumque dedit partis natura meatum?
non cadere in terram stellas et sidera cernis?
sol etiam summo de vertice dissipat omnis
ardorem in partis et lumine conserit arva:
in terras igitur quoque solis vergitur ardor.
transversosque volare per imbris fulmina cernis,
nunc hinc nunc illinc abrupti nubibus ignes
concursant: cadit in terras vis flammea volgo.

Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus,
corpora cum deorsum rectum per inane feruntur,
ponderibus propriis incerto tempore ferme
incertisque loci spatiis decellere paulum,
tantum quod momen mutatum dicere possis.
quod nisi declinare solerent, omnia deorsum,
imbris uti guttae, caderent per inane profundum.
nec foret offensus natus nec plaga creata
principiis: ita nil umquam natura creasset.

Quod si forte aliquis credit graviora potesse
corpora, quo citius rectum per inane feruntur,
incidere ex supero levioribus, atque ita plagas
gignere, quae possint genitalis reddere motus,
avius a vera longe ratione recedit.
nam per aquas quae cumque cadunt atque aëra rarum,
haec pro ponderibus casus celerare necessest
propterea quia corpus aquae naturaque tenvis

---

203 quoque debent flamme || 205 quantum inest || 209 caderem in terra || 210 summo *omissum*. || 218 firme. || 219 locis spatio depellere || 222 Imbres || 227 plag. || 229 Aulus*

Digitized by Google

aëris haut possunt aeque rem quamque morari,
sed citius cedunt gravioribus exsuperata:
235 at contra nulli de nulla parte neque ullo
tempore inane potest vacuum subsistere rei,
quin, sua quod natura petit, concedere pergat;
omnia qua propter debent per inane quietum
aeque ponderibus non aequis concita ferri.
240 haud igitur poterunt levioribus incidere umquam
ex supero graviora, neque ictus gignere per se,
qui varient motus, per quos natura gerat res.
quare etiam atque etiam paulum inclinare necessest
corpora; nec plus quam minimum, ne fingere motus
245 obliquos videamur et id res vera refutet.
namque hoc in promptu manifestumque esse videmus,
pondera, quantum in se est, non posse obliqua meare,
ex supero cum praecipitant, quod cernere possis:
sed nil omnino nulla regione viai
250 declinare quis est qui praestet cernere sese?
Denique si semper motus conectitur omnis
et vetere exacto exoritur novus ordine certo,
nec declinando faciunt primordia motus
principium quoddam, quod fati foedera rumpat,
255 ex infinito ne causam causa sequatur,
libera per terras unde haec animantibus exstat,
unde est haec, inquam, fatis avolsa potestas,
per quam progredimur quo ducit quemque voluntas,
declinamus item motus nec tempore certo
260 nec regione loci certa, sed ubi ipsa tulit mens?
nam dubio procul his rebus sua cuique voluntas
principium dat, et hinc motus per membra rigantur.

---

233 Haeraut || 234 exsuperate. || 240 potuerunt || 247 se *omissum*. || 249 nulla *omissum*. || 250 possit || 251 motu || 252 exacto *omissum*. || 257 voluptas.

Digitized by Google

nonne vides etiam patefactis tempore puncto
carceribus non posse tamen prorumpere equorum
vim cupidam tam de subito quam mens avet ipsa?
omnis enim, totum per corpus, materiai
copia conciri debet, concita per artus
omnis ut studium mentis conixa sequatur;
ut videas initum motus a corde creari,
ex animique voluntate id procedere primum,
inde dari porro per totum corpus et artus.
nec similest ut cum impulsi procedimus ictu,
viribus alterius magnis magnoque coactu:
nam tum materiem totius corporis omnem
perspicuumst nobis invitis ire rapique,
donec eam refrenavit per membra voluntas.
iamne vides igitur, quamquam vis extera multos
pellat et invitos cogat procedere saepe
praecipitesque rapi, tamen esse in pectore nostro
quiddam quod contra pugnare obstareque possit?
cuius ad arbitrium quoque copia materiai
cogitur inter dum flecti per membra per artus,
et proiecta refrenatur retroque residit.
quare in seminibus quoque idem fateare necessest,
esse aliam praeter plagas et pondera causam
motibus, unde haec est nobis innata potestas;
de nilo quoniam fieri nil posse videmus.
pondus enim prohibet ne plagis omnia fiant
externa quasi vi: sed ne mens ipsa necessum
intestinum habeat cunctis in rebus agendis
et devicta quasi id cogatur ferre patique,

---

264 quorum. || 266 materiae. || 268 conexa || 275 Perspicuum nobisst || 278 Pallat || 279 rapit || iectore no. || 281 cona || 283 residia. || 289 ne res || 291 quaci cogatur

Digitized by Google

id facit exiguum clinamen principiorum
nec regione loci certa nec tempore certo.
Nec stipata magis fuit umquam materiai
295 copia nec porro maioribus intervallis:
nam neque adaugescit quicquam neque deperit inde.
qua propter quo nunc in motu principiorum
corpora sunt, in eodem ante acta aetate fuere
et post haec semper simili ratione ferentur,
300 et quae consuerint gigni gignentur eadem
condicione et erunt et crescent vique valebunt,
quantum cuique datum est per foedera naturai.
nec rerum summam commutare ulla potest vis:
nam neque quo possit genus ullum materiai
305 effugere ex omni quicquam est, neque in omne seorsum
unde coorta queat nova vis inrumpere et omnem
naturam rerum mutare et vertere motus.
Illud in his rebus non est mirabile, quare,
omnia cum rerum primordia sint in motu,
310 summa tamen summa videatur stare quiete,
praeter quam siquid proprio dat corpore motus.
omnis enim longe nostris ab sensibus infra
primorum natura iacet; qua propter, ubi ipsa
cernere iam nequeas, motus quoque surpere debent;
315 praesertim cum, quae possimus cernere, celent
saepe tamen motus, spatio diducta locorum.
nam saepe in colli tondentes pabula laeta
lanigerae reptant pecudes quo quamque vocantes
invitant herbae gemmantes rore recenti,
320 et satiati agni ludunt blandeque coruscant;
omnia quae nobis longe confusa videntur
et vel ut in viridi candor consistere colli.

---

294 fult || 301 viquo || 305 in omnes. || 313 ipsum. || 314 asurpere || 318 quam || 320 satiat || 322 uti

Digitized by Google

praeterea magnae legiones cum loca cursu
camporum complent, belli simulacra cientes,
5 fulgor ibi ad caelum se tollit, totaque circum
aere renidescit tellus, supterque virum vi
excitur pedibus sonitus, clamoreque montes
icti reiectant voces ad sidera mundi,
et circum volitant equites mediosque repente
0 tramittunt valido quatientes impete campos:
et tamen est quidam locus altis montibus, unde
stare videntur et in campis consistere fulgor.
Nunc age, iam deinceps cunctarum exordia rerum
qualia sint et quam longe distantia formis
5 percipe, multigenis quam sint variata figuris;
non quo multa parum simili sint praedita forma,
sed quia non volgo paria omnibus omnia constent.
nec mirum: nam cum sit eorum copia tanta,
ut neque finis, uti docui, neque summa sit ulla,
10 debent, ni mirum, non omnibus omnia prorsum
esse pari filo similique adfecta figura.
parturiunt genus humanum mutaeque natantes
squamigerum pecudes et laeta armenta feraeque,
et variae volucres, laetantia quae loca aquarum
15 concelebrant circum ripas fontisque lacusque,
et quae pervolgant nemora avia pervolitantes;
quorum unum quidvis generatim sumere perge:
invenies tamen inter se differre figuris.
nec ratione alia proles cognoscere matrem
50 nec mater posset prolem; quod posse videmus,
nec minus atque homines inter se nota cluere.
nam saepe ante deum vitulus delubra decora
turicremas propter mactatus concidit aras,

---

325 ubi || 331 unde *omissum*. || 337 constat. || 342 Praetere || 343 arbusta || 347 quodvis

Digitized by Google

sanguinis expirans calidum de pectore flumen:
355 at mater viridis saltus orbata peragrans
noscit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,
omnia convisens oculis loca, si queat usquam
conspicere amissum fetum, completque querellis
frondiferum nemus adsidueis, et crebra revisit
360 ad stabulum, desiderio perfixa iuvenci,
nec tenerae salices atque herbae rore vigentes
fluminaque illa queunt summis labentia ripis
oblectare animum solitamque avertere curam,
nec vitulorum aliae species per pabula laeta
365 derivare queunt animum curaque levare:
usque adeo quiddam proprium notumque requirit.
praeterea teneri tremulis cum vocibus haedi
cornigeras norunt matres, agnique petulci
balantum pecudes: ita, quod natura reposcit,
370 ad sua quisque fere decurrunt ubera lactis.
postremo quodvis frumentum non tamen omne
quique suo genere inter se simile esse videbis,
quin intercurrat quaedam distantia formis.
concharumque genus parili ratione videmus
375 pingere telluris gremium, qua mollibus undis
litoris incurvi bibulam pavit aequor harenam.
quare etiam atque etiam simili ratione necessest,
natura quoniam constant neque facta manu sunt
unius ad certam formam primordia rerum,
380 dissimili inter se quaedam volitare figura.
Perfacile est tali ratione exsolvere nobis
quare fulmineus multo penetralior ignis
quam noster fuat e taedis terrestribus ortus:

---

354 callidum || 356 Nonquit || 359 adsittens et revisit crebra. || 363 subitamque || 371 quodviis || 372 Quidque || 381 animi || 382 igne. || 383 fluat

Digitized by Google

dicere enim possis caelestem fulminis ignem
suptilem magis e parvis constare figuris,
atque ideo transire foramina quae nequit ignis
noster hic e lignis ortu taedaque creatus.
praeterea lumen per cornum transit, at imber
respuitur. quare? nisi luminis illa minora
corpora sunt quam de quibus est liquor almus aquarum.
et quamvis subito per colum vina videmus
perfluere: at contra tardum cunctatur olivom,
aut quia, ni mirum, maioribus est elementis
aut magis amatis inter se perque plicatis,
atque ideo fit uti non tam diducta repente
inter se possint primordia singula quaeque
singula per cuiusque foramina permanare.
Huc accedit uti mellis lactisque liquores
iucundo sensu linguae tractentur in ore:
at contra taetra absinthi natura ferique
centauri foedo pertorquent ora sapore;
ut facile agnoscas e levibus atque rutundis
esse ea quae sensus iucunde tangere possunt,
at contra quae amara atque aspera cumque videntur,
haec magis amatis inter se nexa teneri,
proptereaque solere vias rescindere nostris
sensibus introituque suo perrumpere corpus.
Omnia postremo bona sensibus et mala tactu
dissimili inter se pugnant perfecta figura;
ne tu forte putes serrae stridentis acerbum
horrorem constare elementis levibus aeque
ac musaea mele, per chordas organici quae
mobilibus digitis expergefacta figurant;
neu simili penetrare putes primordia forma

---

384 fulmines || 387 ortus || 390 alimus || 396 singulta || 403 iucundet tacere || 403 Nobilibus || 414 penetrale

Digitized by Google

sanguinis expirans calidum de pectore flumen:
355 at mater viridis saltus orbata peragrans
noscit humi pedibus vestigia pressa bisulcis,
omnia convisens oculis loca, si queat usquam
conspicere amissum fetum, completque querellis
frondiferum nemus adsidueis, et crebra revisit
360 ad stabulum, desiderio perfixa iuvenci,
nec tenerae salices atque herbae rore vigentes
fluminaque illa queunt summis labentia ripis
oblectare animum solitamque avertere curam,
nec vitulorum aliae species per pabula laeta
365 derivare queunt animum curaque levare:
usque adeo quiddam proprium notumque requirit.
praeterea teneri tremulis cum vocibus haedi
cornigeras norunt matres, agnique petulci
balantum pecudes: ita, quod natura reposcit,
370 ad sua quisque fere decurrunt ubera lactis.
postremo quodvis frumentum non tamen omne
quique suo genere inter se simile esse videbis,
quin intercurrat quaedam distantia formis.
concharumque genus parili ratione videmus
375 pingere telluris gremium, qua mollibus undis
litoris incurvi bibulam pavit aequor harenam.
quare etiam atque etiam simili ratione necessest,
natura quoniam constant neque facta manu sunt
unius ad certam formam primordia rerum,
380 dissimili inter se quaedam volitare figura.
Perfacile est tali ratione exsolvere nobis
quare fulmineus multo penetralior ignis
quam noster fuat e taedis terrestribus ortus:

---

354 callidum || 356 Nonquit || 359 adsittens et revisit crebra. || 363 subitamque || 371 quodviis || 372 Quidque || 381 animi || 382 igne. || 383 fluat

Digitized by Google

dicere enim possis caelestem fulminis ignem
suptilem magis e parvis constare figuris,
atque ideo transire foramina quae nequit ignis
noster hic e lignis ortu taedaque creatus.
praeterea lumen per cornum transit, at imber
respuitur. quare? nisi luminis illa minora
corpora sunt quam de quibus est liquor almus aquarum.
et quamvis subito per colum vina videmus
perfluere: at contra tardum cunctatur olivom,
aut quia, ni mirum, maioribus est elementis
aut magis amatis inter se perque plicatis,
atque ideo fit uti non tam diducta repente
inter se possint primordia singula quaeque
singula per cuiusque foramina permanare.
Huc accedit uti mellis lactisque liquores
iucundo sensu linguae tractentur in ore:
at contra taetra absinthi natura ferique
centauri foedo pertorquent ora sapore;
ut facile agnoscas e levibus atque rutundis
esse ea quae sensus iucunde tangere possunt,
at contra quae amara atque aspera cumque videntur,
haec magis amatis inter se nexa teneri,
proptereaque solere vias rescindere nostris
sensibus introituque suo perrumpere corpus.
Omnia postremo bona sensibus et mala tactu
dissimili inter se pugnant perfecta figura;
ne tu forte putes serrae stridentis acerbum
horrorem constare elementis levibus aeque
ac musaea mele, per chordas organici quae
mobilibus digitis expergefacta figurant;
neu simili penetrare putes primordia forma

---

384 fulmines || 387 ortus || 390 alimus || 396 singulta || 403 iucundet tacere || 403 Nobilibus || 414 penetrale

Digitized by Google

415 in nares hominum, cum taetra cadavera torrent,
et cum scena croco Cilici perfusa recens est
araque Panchaeos exhalat propter odores;
neve bonos rerum simili constare colores
semine constituas, oculos qui pascere possunt,
420 et qui conpungunt aciem lacrimareque cogunt
aut foeda specie diri turpesque videntur.
omnis enim, sensus quae mulcet cumque, figura
haut sine principiali aliquo levore creatast:
at contra quae cumque molesta atque aspera constat,
425 non aliquo sine materiae squalore repertast.
sunt etiam quae iam nec levia iure putantur
esse neque omnino flexis mucronibus unca,
sed magis angellis paulum prostantibu', quaeque
titillare magis sensus quam laedere possunt;
430 fecula iam quo de genere est inulaeque sapores.
denique iam calidos ignis gelidamque pruinam
dissimili dentata modo conpungere sensus
corporis, indicio nobis est tactus uterque.
tactus enim, tactus, pro, divum numina sancta,
435 corporis est sensus, vel cum res extera sese
insinuat, vel cum laedit quae in corpore natast
aut iuvat egrediens genitalis per Veneris res.
atque ex offensu cum turbant corpore in ipso
semina, confundunt inter se concita sensum;
440 ut si forte manu quamvis iam corporis ipse
tute tibi partem ferias atque experiare.
qua propter longe formas distare necessest
principiis, varios quae possint edere sensus.
Denique quae nobis durata ac spissa videntur,

---

421 di || 422 videntur. || 423 Aut || leviore || 427 uncaque. || 428 angeliis || quaeque *omissum*. || 429 Titiliare || 430 quod || inviaeque || 437 grediens || 438 Aut

Digitized by Google

haec magis amatis inter sese esse necessest
et quasi ramosis alte compacta teneri.
in quo iam genere in primis adamantina saxa
prima acie constant, ictus contemnere sueta,
et validi silices, ac duri robora ferri,
aeraque quae claustris restantia vociferantur.
illa quidem debent e levibus atque rutundis
esse magis, fluvido quae corpore liquida constant.
namque papaveris haustus itemst facilis quasi aquarum:
nec retinentur enim inter se glomeramina quaeque,
et procursus item proclive volubilis exstat.
omnia postremo quae puncto tempore cernis
diffugere, ut fumum nebulas flammasque, necessest,
si minus omnibu' sunt e levibus atque rutundis,
at non esse tamen perplexis indupedita,
pungere uti possint corpus penetrareque sese,
nec tamen haerere inter se; quod cumque venenumst
sensibu', sed rarum, facile ut cognoscere possis
non e perplexis sed acutis esse elementis.
sed quod amara vides eadem quae fluvida constant,
sudor uti maris est, minime mirabile habebis:
nam quod fluvidus est, e levibus atque rutundis
est, et levibu' sunt aliunde admixta doloris
corpora. nec tamen haec retineri hamata necessumst:
scilicet esse globosa tamen, cum squalida constent,
provolvi simul ut possint et laedere sensus.
et quo mixta putes magis aspera levibus esse
principiis, unde est Neptuni corpus acerbum,
est ratio secernendi seorsumque videndi:
linquit enim supera taetri primordia viri

---

450 voce ferantur. || 451 ex || 452 corpora || 453 quod || 455 perculsus || 458 omnia || 460 saxa. || 461 videmus. || 462 sedatum || 465 debet. || 467 e levibus atque rutundi || 468 retinere hamat necessu. || 469 constet. || 471 quod || 476 Inquit || mordia

Digitized by Google

474 umor dulcis, ubi per terras crebrius idem
percolatur, ut in foveam fluat ac mansuescat,
477 aspera quo magis in terris haerescere possint.
Quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum
480 finita variare figurarum ratione.
quod si non ita sit, rursum iam semina quaedam
esse infinito debebunt corporis auctu.
namque eadem unius cuiusvis in brevitate
corporis inter se multum variare figurae
485 non possunt. fac enim minimis e partibus esse
corpora prima tribus, vel paulo pluribus auge:
nempe ubi eas partis unius corporis omnis,
summa atque ima locans, transmutans dextera laevis,
omnimodis expertus eris, quam quisque det ordo
490 formai speciem totius corporis eius,
quod super est, si forte voles variare figuras,
addendum partis alias erit. inde sequetur,
adsimili ratione alias ut postulet ordo,
si tu forte voles etiam variare figuras.
495 ergo formarum novitatem corporis augmen
subsequitur. quare non est ut credere possis
esse infinitis distantia semina formis,
ne quaedam cogas inmani maximitate
esse, supra quod iam docui non posse probari.
500 iam tibi barbaricae vestes Meliboeaque fulgens
purpura Thessalico concharum tacta colore,
aurea, pavonum ridenti imitata lepore
saecla, novo rerum superata colore iacerent
et contemptus odor smyrnae mellisque sapores,

---

483 in eadem una || 486 paula || 488 transmutas || 489 Omnimodi || 495 augimen. || 497 femina || 499 probare. || 501 tecta || 502 rident imbuta || 503 nova || 504 udor

Digitized by Google

et cycnea mele Phoebeaque daedala chordis
carmina consimili ratione oppressa silerent:
namque aliis aliud praestantius exoreretur.
cedere item retro possent in deteriores
omnia sic partis, ut diximus in melioris:
namque aliis aliud retro quoque taetrius esset
naribus auribus atque oculis orisque sapori.
quae quoniam non sunt, sed rebus reddita certa
finis utrimque tenet summam, fateare necessest
materiem quoque finitis differre figuris.
denique ab ignibus ad gelidas iter usque pruinas
finitumst retroque pari ratione remensumst.
ambit enim calor ac frigus, mediique tepores
interutraque iacent explentes ordine summam:
ergo finita distant ratione creata,
ancipiti quoniam mucroni utrimque notantur,
hinc flammis illinc rigidis infesta pruinis.
[Quod quoniam docui, pergam conectere rem quae
ex hoc apta fidem ducat, primordia rerum,
inter se simili quae sunt perfecta figura,
infinita cluere. etenim distantia cum sit
formarum finita, necesse est quae similes sint
esse infinitas, aut summam materiai
finitam constare, id quod non esse probavi.]
Protinus ostendam corpuscula materiai
ex infinito summam rerum usque tenere,
undique protelo plagarum continuato.
nam quod rara vides magis esse animalia quaedam,
fecundamque minus naturam cernis in illis,
at regione locoque alio terrisque remotis

---

512 sed *omissum*. || 514 infinitis || 515 hiemisque || 517 Omnis || 518 Inter utrasque || 520 Ancipi || 521 Hin flammps || infessa || 529 Versibus || 533 magis

Digitized by Google

535 multa licet genere esse in eo numerumque repleri;
sicut quadripedum cum primis esse videmus
in genere anguimanus elephantos, India quorum
milibus e multis vallo munitur eburno,
ut penitus nequeat penetrari: tanta ferarum
540 vis est; quarum nos perpauca exempla videmus.
sed tamen id quoque uti concedam, quam lubet esto
unica res quaedam nativo corpore sola,
cui similis toto terrarum nulla [illegible] orbi:
infinita tamen nisi erit vis materiai,
545 unde ea progigni possit concepta, creari
non poterit, neque, quod super est, procrescere alique.
quippe etenim si manticuler finita per omne
corpora iactari unius genitalia rei,
unde ubi qua vi et quo pacto congressa coibunt
550 materiae tanto in pelago turbaque aliena?
non, ut opinor, habent rationem concili[illegible]
sed quasi naufragiis magnis multisque coortis
disiectare solet magnum mare transtra, guberna,
antemnas, proram, malos, tonsasque natantis,
555 per terrarum omnis oras fluitantia aplustra
ut videantur et indicium mortalibus edant,
infidi maris insidias virisque dolumque
ut vitare velint, neve ullo tempore credant,
subdola cum ridet placidi pellacia ponti,
560 sic tibi si finita semel primordia quaedam
constitues, aevom debebunt sparsa per omnem
disiectare aestus diversi materiai,
numquam in concilium ut possint compulsa coire
nec remorari in concilio nec crescere adaucta;
565 quorum utrumque palam fieri manifesta docet res,

---

535 genera || 536 Sic uti || 541 iubet. || 543 nulla *omissum*. || 547 sumant oculi || 553 caverna. || 554 prorem || 555 plaustra. || 560 infinita

Digitized by Google

et res progigni et genitas procrescere posse.
esse igitur genere in quovis primordia rerum
infinita palam est, unde omnia suppeditantur.
Nec superare queunt motus itaque exitiales
perpetuo neque in aeternum sepelire salutem,
nec porro rerum genitales auctificique
motus perpetuo possunt servare creata.
sic aequo geritur certamine principiorum
ex infinito cont[illegible]tum tempe[illegible] bellum.
nunc hic nunc illic superant vitalia rerum,
et superantur item. miscetur funere vagor,
quem pueri tollunt visentis luminis oras:
nec nox ulla diem neque noctem aurora secutast,
quae non audierit mixtos vagitibus aegris
ploratus, mortis comites et funeris atri.
Illud in his [illegible]signatum quoque rebus habere
convenit et memo[illegible]mandatum mente tenere,
nil esse, in promptu quorum natura videtur,
quod genere ex uno consistat principiorum,
nec quicquam quod non permixto semine constet:
et quod cumque magis vis multas possidet in se
atque potestates, ita plurima principiorum
in sese genera ac varias docet esse figuras.
principio tellus habet in se corpora prima,
unde mare inmensum volventes frigora fontes
adsidue renovent, habet ignes unde oriantur:
nam multis succensa locis ardent sola terrae,
eximiis vero furit ignibus impetus Aetnae:
tum porro nitidas fruges arbustaque laeta
gentibus humanis habet unde extollere possit,
unde etiam fluvios frondes et pabula laeta
montivago generi possit praebere ferarum.

---

586 Et quae || 593 Ex imis

Digitized by Google

quare magna deum mater materque ferarum
et nostri genetrix haec dicta est corporis una.
600 Hanc veteres Graium docti cecinere poëtae
. . . . . .
sedibus in curru biiugos agitare leones,
aëris in spatio magnam pendere docentes
tellurem, neque posse in terra sistere terram.
adiunxere feras, quia quamvis effera proles
605 officiis debet molliri victa parentum.
muralique caput summum cinxere corona,
eximiis munita locis quia sustinet urbes;
quo nunc insigni per magnas praedita terras
horrifice fertur divinae matris imago.
610 hanc variae gentes antiquo more sacrorum
Idaeam vocitant matrem, Phrygiasque catervas
dant comites, quia primum ex illis finibus edunt
per terrarum orbem fruges coepisse creari.
gallos attribuunt, quia, numen qui violarint
615 matris et ingrati genitoribu' sint inventi,
significare volunt indignos esse putandos,
vivam progeniem qui in oras luminis edant.
tympana tenta tonant palmis et cymbala circum
concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
620 et Phrygio stimulat numero cava tibia mentis,
telaque praeportant, violenti signa furoris,
ingratos animos atque impia pectora volgi
conterrere metu quae possint numini' divae.
ergo cum primum magnas invecta per urbis
625 munificat tacita mortalis muta salute,
aere atque argento sternunt iter omne viarum,
largifica stipe ditantes, ninguntque rosarum

---

605 moliri || 607 Ex imis || 613 orbes || 615 Matri et ingati || inventi sint. || 623 numine || 626 ite omnia virum.

Digitized by Google

floribus umbrantes matrem comitumque catervas.
hic armata manus, Curetas nomine Grai
quos memorant Phrygios, inter se forte quod armis
ludunt in numerumque exultant sanguinolenti,
terrificas capitum quatientes nomine cristas,
Dictaeos referunt Curetas, qui Iovis illum
vagitum in Creta quondam occultasse feruntur,
cum pueri circum puerum pernice chorea
armatei in numerum pulsarent aeribus aera,
ne Saturnus eum malis mandaret adeptus
aeternumque daret matri sub pectore volnus.
propterea magnam armati matrem comitantur,
aut quia significant divam praedicere ut armis
ac virtute velint patriam defendere terram,
praesidioque parent decorique parentibus esse.
quae bene et eximie quamvis disposta ferantur,
longe sunt tamen a vera ratione repulsa.
omnis enim per se divom natura necessest
inmortali aevo summa cum pace fruatur
semota ab nostris rebus seiunctaque longe:
nam privata dolore omni, privata periclis,
ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri,
nec bene promeritis capitur neque tangitur ira.
terra quidem vero caret omni tempore sensu,
et quia multarum potitur primordia rerum,
multa modis multis effert in lumina solis.
hic siquis mare Neptunum Cereremque vocare
constituit fruges et Bacchi nomine abuti
mavolt quam laticis proprium proferre vocamen,
concedamus ut hic terrarum dictitet orbem
esse deum matrem, dum vera re tamen ipse

---

628 caterva. || 630 forte catervas. || 631 sanguine fleti. || 632 numine || 636 Armat et in numerum pernice chorea. || 637 Armat || 656 Constituet

Digitized by Google

680 religione animum turpi contingere parcat.
660 Saepe itaque ex uno tondentes gramina campo
lanigerae pecudes et equorum duellica proles
buceriaeque greges eodem sub tegmine caeli
ex unoque sitim sedantes flumine aquai
dissimili vivont specie, retinentque parentum
665 naturam et mores generatim quaeque imitantur.
tanta est, in quovis genere herbae, materiai
dissimilis ratio, tanta est in flumine quoque.
hinc porro quamvis animantem ex omnibus unam
ossa cruor venae calor umor viscera nervi
670 constituunt; quae sunt porro distantia longe,
dissimili perfecta figura principiorum.
tum porro quae cumque igni flammata cremantur,
si nil praeterea, tamen haec in corpore celant,
unde ignem iacere et lumen summittere possint
675 scintillasque agere ac late differre favillam.
cetera consimili mentis ratione peragrans
invenies igitur multarum semina rerum
corpore celare et varias cohibere figuras.
denique multa vides, quibus et color et sapor una
681 reddita sunt cum odore, in privis pluraque dona.
haec igitur variis debent constare figuris:
nidor enim penetrat qua fucus non it in artus,
fucus item sorsum, sorsum sapor insinuatur
685 sensibus; ut noscas privis differe figuris.
dissimiles igitur formae glomeramen in unum
conveniunt, et res permixto semine constant.
quin etiam passim nostris in versibus ipsis
multa elementa vides multis communia verbis,

---

680 parato. || 663 sedentes || 664 retinente parente. || 668 una. || 673 traduntur. || 674 igne || 681 primis pleraque || 683 sucus || 684 Sucus || sorsum *semel*. || 685 primis

Digitized by Google

cum tamen inter se versus ac verba necesse est
confiteare alia ex aliis constare elementis;
non quo multa parum communis littera currat
aut nulli inter se duo sint ex omnibus idem,
sed quia non volgo paria omnibus omnia constent.
sic aliis in rebus item communia multa
multarum rerum cum sint primordia, verum
dissimili tamen inter se consistere summa
possunt; ut merito ex aliis constare feratur
humanum genus et fruges arbustaque laeta.
Nec tamen omnimodis conecti posse putandum est
omnia: nam volgo fieri portenta videres,
semiferas hominum species existere, et altos
inter dum ramos egigni corpore vivo,
multaque conecti terrestria membra marinis,
tum flammam taetro spirantis ore Chimaeras
pascere naturam per terras omniparentis.
quorum nil fieri manifestum est, omnia quando
seminibus certis certa genetrice creata
conservare genus crescentia posse videmus.
scilicet, id certa fieri ratione necessust.
nam sua cuique cibis ex omnibus intus in artus
corpora discedunt conexaque convenientis
efficiunt motus: at contra aliena videmus
reicere in terras naturam, multaque caecis
corporibus fugiunt e corpore, percita plagis,
quae neque conecti quoquam potuere neque intus
vitalis motus consentire atque imitari.
sed ne forte putes animalia sola teneri
legibus his, quaedam ratio disterminat omnia.
nam vel uti tota natura dissimiles sunt

---

693 nulla || 696 primordia rerum. || 706 omnia parentis. || 716 inte. || 719 omnis.

Digitized by Google

inter se genitae res quaeque, ita quamque necessest
dissimili constare figura principiorum;
non quo multa parum simili sint praedita forma,
sed quia non volgo paria omnibus omnia constent:
725 semina cum porro distent, differre necessust
intervalla, vias, conexus, pondera, plagas,
concursus, motus; quae non animalia solum
corpora seiungunt, sed terras ac mare totum
secernunt caelumque a terris omne retentant.
730 Nunc age dicta meo dulci quaesita labore
percipe, ne forte haec albis ex alba rearis
principiis esse, ante oculos quae candida cernis,
aut ea quae nigrant nigro de semine nata;
nive alium quemvis, quo sunt inbuta colore,
735 propterea gerere hunc credas, quod materiai
corpora consimili sint eius tincta colore:
nullus enim color est omnino materiai
corporibus, neque par rebus neque denique dispar.
in quae corpora si nullus tibi forte videtur
740 posse animi iniectus fieri, procul avius erras.
nam cum caecigeni, solis qui lumina numquam
dispexere, tamen cognoscant corpora tactu,
744 scire licet nostrae quoque menti corpora posse
vorti in notitiam nullo circum lita fuco.
denique nos ipsi caecis quae cumque tenebris
tangimus, haud ullo sentimus tincta colore.
quod quoniam vinco fieri, nunc esse docebo
743 ex ineunte aevo nullo coniuncta colore.
749 omnis enim color omnino mutatur in omnis;
quod facere haud ullo debent primordia pacto.
immutabile enim quiddam superare necessest,

---

721 cumque || 730 dulce || 734 que || 736 colose. || 741 numina || 742 Despexere || 749 et omnis.

Digitized by Google

ne res ad nilum redigantur funditus omnes:
nam quod cumque suis mutatum finibus exit,
continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
proinde colore cave contingas semina rerum,
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
Praeterea si nulla coloris principiis est
reddita natura et variis sunt praedita formis,
e quibus omne genus gignunt variantque colores
propterea, magni quod refert semina quaeque
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque,
perfacile extemplo rationem reddere possis,
cur ea quae nigro fuerint paulo ante colore,
marmoreo fieri possint candore repente;
ut mare, cum magni commorunt aequora venti,
vertitur in canos candenti marmore fluctus:
dicere enim possis, nigrum quod saepe videmus,
materies ubi permixta est illius et ordo
principiis mutatus et addita demptaque quaedam,
continuo id fieri ut candens videatur et album.
quod si caeruleis constarent aequora ponti
seminibus, nullo possent albescere pacto:
nam quo cumque modo perturbes caerula quae sint,
numquam in marmoreum possunt migrare colorem.
sin alio atque alio sunt semina tincta colore,
quae maris efficiunt unum purumque nitorem,
ut saepe ex aliis formis variisque figuris
efficitur quiddam quadratum unaque figura,
conveniebat, ut in quadrato cernimus esse
dissimiles formas, ita cernere in aequore ponti
aut alio in quovis uno puroque nitore

759 omnigenus || 760 Praeterea || 763 exemplo || 765 possunt || 779 figuras. || 780 uti || 781 aequora

Digitized by Google

dissimiles longe inter se variosque colores.
praeterea nil officiunt obstantque figurae
785 dissimiles, quo quadratum minus omne sit ex his:
at varii rerum inpediunt prohibentque colores,
quo minus esse uno possit res tota nitore.
Tum porro quae ducit et inlicit ut tribuamus
principiis rerum non numquam causa colores,
790 occidit, ex albis quoniam non alba creantur,
nec quae nigra cluent de nigris, sed variis ex.
quippe etenim multo proclivius exorientur
candida de nullo quam nigro nata colore,
aut alio quovis, qui contra pugnet et obstet.
795 Praeterea quoniam nequeunt sine luce colores
esse, neque in lucem existunt primordia rerum,
scire licet quam sint nullo velata colore:
qualis enim caecis poterit color esse tenebris?
lumine quin ipso mutatur propterea quod
800 recta aut obliqua percussus luce refulgit;
pluma columbarum quo pacto in sole videtur,
quae sita cervices circum collumque coronat:
namque alias fit uti claro sit rubra pyropo,
inter dum quodam sensu fit uti videatur
805 inter curalium viridis miscere zmaragdos.
caudaque pavonis, larga cum luce repleta est,
consimili mutat ratione obversa colores;
qui quoniam quodam gignuntur luminis ictu,
scire licet, sine eo fieri non posse putandum est.
810 et quoniam plagae quoddam genus excipit in se
pupula, cum sentire colorem dicitur album,
atque aliud porro, nigrum cum et cetera sentit,

---

783 calores. || 785 extra. || 788 inlicitu tribuamus. || 790 creatur. || 791 Nc || ca. || 800 et aut || refulget. || 803 rubro || 805 caeruleum || 806 largo || 809 posset

Digitized by Google

nec refert ea quae tangas quo forte colore
praedita sint, verum quali magis apta figura,
5 scire licet nil principiis opus esse colores,
sed variis formis variantes edere tactus.
Praeterea quoniam non certis certa figuris
est natura coloris et omnia principiorum
formamenta queunt in quovis esse nitore,
0 cur ea quae constant ex illis non pariter sunt
omne genus perfusa coloribus in genere omni?
conveniebat enim corvos quoque saepe volantis
ex albis album pinnis iactare colorem,
et nigros fieri nigro de semine cycnos
5 aut alio quovis uno varioque colore.
Quin etiam quanto in partes res quaeque minutas
distrahitur magis, hoc magis est ut cernere possis
evanescere paulatim stinguique colorem;
ut fit ubi in parvas partis discerpitur aurea
0 purpura, poeniceusque color clarissimu' multo,
filatim cum distracta est, dispergitur omnis;
noscere ut hinc possis prius omnem efflare colorem
particulas, quam discedant ad semina rerum.
Postremo quoniam non omnia corpora vocem
5 mittere concedis neque odorem, propterea fit
ut non omnibus adtribuas sonitus et odores:
sic oculis quoniam non omnia cernere quimus,
scire licet quaedam tam constare orba colore
quam sine odore ullo quaedam sonituque remota,
0 nec minus haec animum cognoscere posse sagacem
quam quae sunt aliis rebus privata notare.
Sed ne forte putes solo spoliata colore

---

814 sunt || magnis || 815 colore. || 821 Omnigenus || 827 hoc magis magis || 829 aurum. || 831 distractum est disperditur || 840 Ne || 841 notaque. || 842 spoliita

Digitized by Google

corpora prima manere, etiam secreta teporis
sunt ac frigoris omnino calidique vaporis,
845 et sonitu sterila et suco ieiuna feruntur,
nec iaciunt ullum proprio de corpore odorem.
sicut amaracini blandum stactaeque liquorem
et nardi florem, nectar qui naribus halat,
cum facere instituas, cum primis quaerere par est,
850 quo ad licet ac potis es reperire, inolentis olivi
naturam, nullam quae mittat naribus auram,
quam minime ut possit mixtos in corpore odores
concoctosque suo contractans perdere viro,
propter eandem rem debent primordia rerum
855 non adhibere suum gignundis rebus odorem,
nec sonitum, quoniam nil ab se mittere possunt,
nec simili ratione saporem denique quemquam
nec frigus neque item calidum tepidumque vaporem,
cetera; quae cum ita sunt tamen ut mortalia constent,
860 molli lenta, fragosa putri, cava corpore raro,
omnia sint a principiis seiuncta necessest,
inmortalia si volumus subiungere rebus
fundamenta, quibus nitatur summa salutis;
ne tibi res redeant ad nilum funditus omnes.
865 Nunc ea quae sentire videmus cumque necessest
ex insensilibus tamen omnia confiteare
principiis constare. neque id manufesta refutant
nec contra pugnant, in promptu cognita quae sunt,
sed magis ipsa manu ducunt et credere cogunt
870 ex insensilibus, quod dico, animalia gigni.
quippe videre licet vivos existere vermes
stercore de taetro, putorem cum sibi nacta est
intempestivis ex imbribus umida tellus;

---

845 etuna || 846 proprium || 850 Quod || possis || 853 contractas || 854 rem *omissum*. || 860 Mollia || 867 consistare || reputant. || 872 inacta

Digitized by Google

praeterea cunctas itidem res vertere sese.
vertunt se fluvii frondes et pabula laeta
in pecudes, vertunt pecudes in corpora nostra
naturam, et nostro de corpore saepe ferarum
augescunt vires et corpora pennipotentum.
ergo omnes natura cibos in corpora viva
vertit et hinc sensus animantum procreat omnes,
non alia longe ratione adque arida ligna
explicat in flammas et in ignis omnia versat.
iamne vides igitur magni primordia rerum
referre in quali sint ordine quaeque locata
et commixta quibus dent motus accipiantque?
Tum porro quid id est, animum quod percutit, ipsum
quod movet et varios sensus expromere cogit,
ex insensilibus ne credas sensile gigni?
ni mirum, lapides et ligna et terra quod una
mixta tamen nequeunt vitalem reddere sensum.
illud in his igitur rebus meminisse decebit,
non ex omnibus omnino, quae cumque creant res,
sensile et extemplo me gigni dicere sensus,
sed magni referre ea primum quantula constent,
sensile quae faciunt, et qua sint praedita forma,
motibus ordinibus posituris denique quae sint.
quarum nil rerum in lignis glaebisque videmus:
et tamen haec, cum sunt quasi putrefacta per imbres,
vermiculos pariunt, quia corpora materiai
antiquis ex ordinibus permota nova re
conciliantur ita ut debent animalia gigni.
deinde ea, seminibus qui sensile posse creari
constituunt porro ex aliis sentire suëtis,
mollia iam faciunt: nam sensus iungitur omnis

875 in frondes || 882 et ignis || 891 fedus || decedit. || 893 Sensilia etemplo || 902 ex sensilibus || 903 sueti. || 904 Mollia cum

Digitized by Google

905 visceribus nervis venis, quae cuncta videmus
mollia mortali consistere corpore creta.
sed tamen esto iam posse haec aeterna manere:
nempe tamen debent aut sensum partis habere
aut simili totis animalibus esse putari.
910 at nequeant per se partes sentire necesse est:
namque alio sensus membrorum respicit omnis,
nec manus a nobis potis est secreta neque ulla
corporis omnino sensum pars sola tenere.
linquitur ut totis animantibus adsimulentur,
915 vitali ut possint consentire undique sensu.
923 sic itidem quae sentimus sentire necessest:
916 qui poterunt igitur rerum primordia dici
et leti vitare vias, animalia cum sint,
adque animalia sint mortalibus una eademque?
quod tamen ut possint, at coetu concilioque
920 nil facient praeter volgum turbamque animantum,
scilicet, ut nequeunt homines armenta feraeque
inter sese ullam rem gignere conveniundo.
924 quod si forte suum dimittunt corpore sensum
atque alium capiunt, quid opus fuit adtribui id quod
detrahitur? tum praeterea, quod fugimus ante,
qua tenus in pullos animalis vertier ova
cernimus alituum, vermisque effervere, terram
intempestivos quom putor cepit ob imbris,
930 scire licet gigni posse ex non sensibu' sensus.
Quod si forte aliquis dicet, dum taxat, oriri
posse ex non sensu sensus mutabilitate,
aut aliquo tamquam partu quod protinus extent,
huic satis illud erit planum facere atque probare,

---

905 cumque || 909 similis || 910 Aut || 911 alios || respuit || 918 animalibus mortalibus || 919 abcoretu || 921 nequeant || 928 alitum || offervere || 929 Intempestivus quam || 932 ea || 933 proditum extra. || 934 Icuic

Digitized by Google

non fieri partum nisi concilio ante coactó,
nec quicquam commutari sine conciliatu.
principio nequeunt ullius corporis esse
sensus ante ipsam genitam naturam animantis,
ni mirum, quia materies disiecta tenetur
aëre, fluminibus, terris, aethraque creatis,
nec congressa modo vitalis convenientes
contulit inter se motus, quibus omnituentes
accensi sensus animantum concuterentur.
Praeterea quamvis animantem grandior ictus,
quam patitur natura, repente adfligit et omnis
corporis atque animi pergit confundere sensus.
dissoluuntur enim positurae principiorum,
et penitus motus vitales inpediuntur,
donec materies, omnis concussa per artus,
vitalis animae nodos a corpore solvit
dispersamque foras per caulas eiecit omnis:
nam quid praeterea facere ictum posse reamur
oblatum, nisi discutere ac dissolvere quaeque?
fit quoque uti soleant minus oblato acriter ictu
reliqüi motus vitalis vincere saepe,
vincere, et ingentis plagae sedare tumultus,
inque suos quicquid rursus revocare meatus,
et quasi iam leti dominantem in corpore motum
discutere, ac paene amissos accendere sensus:
nam quare potius leti iam limine ab ipso
ad vitam possit conlecta mente reverti,
quam quo decursum prope iam siet ire et abire?
propterea, quoniam dolor est, ubi materiai
corpora vi quadam per viscera viva per artus

---

938 lesam || 940 terraque || 942 omne tuentes. || 943 animantem quamque tuentur. || 951 cavias || 953 a || 954 oblata agriter || 961 possint coniecta || 963 Praeterea

Digitized by Google

965 sollicitata suis trepidant in sedibus intus,
inque locum quando remigrant, fit blanda voluptas,
scire licet nullo primordia posse dolore
temptari nullamque voluptatem capere ex se;
quandoquidem non sunt, ex ullis principiorum
970 corporibus, quorum motus novitate laborent
aut aliquem fructum capiant dulcedinis almae:
haut igitur debent esse ullo praedita sensu.
Denique uti possint sentire animalia quaeque,
principiis si iam est sensus tribuendus eorum,
975 quid, genus humanum propritim de quibu' factumst?
scilicet, et risu tremulo concussa cachinnant
et lacrimis spargunt rorantibus ora genasque,
multaque de rerum mixtura dicere callent,
et sibi proporro quae sint primordia quaerunt;
980 quandoquidem totis mortalibus adsimulata
ipsa quoque ex aliis debent constare elementis,
inde alia ex aliis, nusquam consistere ut ausis:
quippe sequar, quod cumque loqui ridereque dices
et sapere, ex aliis eadem haec facientibus ut sit.
985 quod si delira haec furiosaque cernimus esse,
et ridere potest non ex ridentibu' factus,
et sapere et doctis rationem reddere dictis
non ex seminibus sapientibus atque disertis,
qui minus esse queant ea quae sentire videmus
990 seminibus permixta carentibus undique sensu?
Denique caelesti sumus omnes semine oriundi:
omnibus ille idem pater est, unde alma liquentis
umoris guttas mater cum terra recepit,
feta parit nitidas fruges arbustaque laeta
995 et genus humanum, parit omnia saecla ferarum,

---

966 In quo || 975 auctumst. || 977 pargunt || 982 ali ex || 985 detira || 986 auctus.

Digitized by Google

pabula cum praebet, quibus omnes corpora pascunt
et dulcem ducunt vitam prolemque propagant;
qua propter merito maternum nomen adepta est.
cedit item retro, de terra quod fuit ante,
in terras, et quod missumst ex aetheris oris,
id rursum caeli rellatum templa receptant.
nec sic interemit mors res, ut materiai
corpora conficiat, sed coetum dissupat ollis:
inde aliis aliud coniungitur, et fit ut omnes
res ita convertant formas mutentque colores
et capiant sensus et puncto tempore reddant,
ut noscas referre eadem primordia rerum
cum quibus et quali positura contineantur
et quos inter se dent motus accipiantque,
neve putes aeterna penes residere potesse
corpora prima, quod in cunctis fluitare videmus
rebus et inter dum nasci subitoque perire.
[Quin etiam refert nostris in versibus ipsis
cum quibus et quali sint ordine quaeque locata.
si non omnia sunt, at multo maxima pars est
consimilis: verum positura discrepitant res.
sic ipsis in rebus item iam materiai
concursus motus ordo positura figurae
cum permutantur, mutari res quoque debent.
Nunc animum nobis adhibe veram ad rationem.
nam tibi vementer nova res molitur ad auris
accidere et nova se species ostendere rerum.
sed neque tam facilis res ulla est, quin ea primum
difficilis magis ad credendum constet, itemque

---

998 adempta || 1000 missus || 1002 ut res || 1004 coniungit et efficit omnes. || 1007 earum || 1011 summis || 1015 = 1,820. || 1016 Significant eadem fruges arbusta animantis. || 1017 sint || par || 1020 Intervalla vias conexus pondera plagaes. || 1023 adhibueram || 1024 vehementes || 1025 Accedere

Digitized by Google

nil adeo magnum neque tam mirabile quicquam,
quod non paulatim mittant mirarier omnes.
1030 percipito caeli clarum purumque colorem,
quaeque in se cohibet, palantia sidera passim,
lunamque et solis praeclara luce nitorem;
omnia quae nunc si primum mortalibus extent,
ex inproviso si sint obiecta repente,
1035 quid magis his rebus poterat mirabile dici,
aut minus ante quod auderent fore credere gentes?
nil, ut opinor: ita haec species miranda fuisset.
quam tibi iam nemo, fessus satiate videndi,
suspicere in caeli dignatur lucida templa!
1040 desine qua propter novitate exterritus ipsa
expuere ex animo rationem, sed magis acri
iudicio perpende, et si tibi vera videntur,
dede manus, aut, si falsum est, accingere contra.
quaerit enim rationem animus, cum summa loci sit
1045 infinita foris haec extra moenia mundi,
quid sit ibi porro, quo prospicere usque velit mens
atque animi iactus liber quo pervolet ipse.
Principio nobis in cunctas undique partis
et latere ex utroque supra supterque per omne
1050 nulla est finis; uti docui, res ipsaque per se
vociferatur, et elucet natura profundi.
nullo iam pacto veri simile esse putandumst,
undique cum vorsum spatium vacet infinitum
seminaque innumero numero summaque profunda
1055 multimodis volitent aeterno percita motu,
hunc unum terrarum orbem caelumque creatum,
nil agere illa foris tot corpora materiai;
cum praesertim hic sit natura factus, et ipsa

1029 minuant miraliter || 1030 Principio || 1031 cohibent || 1033 essent. || 1047 tactus libero || 1049 supra *omissum*. || superque || 1052 verist mile

Digitized by Google

sponte sua forte offensando ut semina rerum
multimodis temere in cassum frustraque coacta
tandem coluerunt ea quae convecta repente
magnarum rerum fierent exordia semper,
terrai maris et caeli generisque animantum.
quare etiam atque etiam talis fateare necesse est
esse alios alibi congressus materiai,
qualis hic est, avido complexu quem tenet aether.
Praeterea cum materies est multa parata,
cum locus est presto, nec res nec causa moratur
ulla, geri debent, ni mirum, et confieri res.
nunc ex seminibus, si tanta est copia quantam
enumerare aetas animantum non queat omnis,
quis eadem natura manet, quae semina rerum
conicere in loca quaeque queat simili ratione
atque huc sunt coniecta, necesse est confiteare
esse alios aliis terrarum in partibus orbis
et varias hominum gentis et saecla ferarum.
Huc accedit ut in summa res nulla sit una,
unica quae gignatur et unica solaque crescat,
quin aliquoiu' siet saecli permultaque eodem
sint genere. in primis animalibus, inclute Memmi,
invenies sic montivagum genus esse ferarum,
sic hominum genitam prolem, sic denique mutas
squamigerum pecudes et corpora cuncta volantum.
qua propter caelum simili ratione fatendumst,
terramque et solem, lunam, mare, cetera quae sunt,
non esse unica, sed numero magis innumerali;
quandoquidem vitae depactus terminus alte

1059 ut *omissum*. || 1061 colerunt || coniecta || 1062 ex ordine || 1070 et || 1072 Vis || 1073 quaeque at || 1078 gignantur || 1079 aliquoivis || 1080 indice mente. || 1081 Invenisse || 1082 geminam

Digitized by Google

tam manet haec, et tam nativo corpore constant,
quam genus omne quod est generatim rebus abundans.
1090 Quae bene cognita si teneas, natura videtur
libera continuo, dominis privata superbis,
ipsa sua per se sponte omnia dis agere expers.
nam pro, sancta deum tranquilla pectora pace
quae placidum degunt aevom vitamque serenam,
1095 quis regere immensi summam, quis habere profundi
indu manu validas potis est moderanter habenas,
quis pariter caelos omnis convertere et omnis
ignibus aetheriis terras suffire feracis,
omnibus inve locis esse omni tempore presto,
1100 nubibus ut tenebras faciat caelique serena
concutiat sonitu, tum fulmina mittat et aedis
saepe suas disturbet et in deserta recedens
saeviat, exercens telum, quod saepe nocentes
praeterit exanimatque indignos inque merentes?]
1105 Multaque post mundi tempus genitale diemque
primigenum maris et terrae solisque coortum
addita corpora sunt extrinsecus, addita circum
semina, quae magnum iaculando contulit omne;
unde mare et terrae possent augescere, et unde
1110 appareret spatium caeli domus altaque tecta
tolleret a terris procul, et consurgeret aër.
nam sua cuique, locis ex omnibus, omnia plagis
corpora distribuuntur et ad sua saecla recedunt,
umor ad umorem, terreno corpore terra
1115 crescit, et ignem ignes procudunt aëraque aër,
donique ad extremam crescendi perfica finem
omnia perduxit rerum natura creatrix;

1089 quod his || 1094 ultamque || 1097 converteret || 1102 in *omissum*. || decedens. || 1110 Appariret || 1115 aetheraque. || aër *omissum*. || 1116 extremum || 1117 cracreatrix.

Digitized by Google

ut fit ubi nilo iam plus est quod datur intra
vitalis venas quam quod fluit adque recedit.
omnibus his aetas debet consistere rebus:
hic natura suis refrenat viribus auctum.
nam quae cumque vides hilaro grandescere adauctu
paulatimque gradus aetatis scandere adultae,
plura sibi adsumunt quam de se corpora mittunt,
dum facile in venas cibus omnis inditur, et dum
non ita sunt late dispersa, ut multa remittant
et plus dispendi faciant quam vescitur aetas.
nam certe fluere adque recedere corpora rebus
multa manus dandum est: sed plura accedere debent,
donec alescendi summum tetigere cacumen.
inde minutatim vires et robor adultum
frangit et in partem peiorem liquitur aetas.
quippe etenim quanto est res amplior, augmine adempto,
et quo latior est, in cunctas undique partis
plura modo dispargit et ab se corpora mittit,
nec facile in venas cibus omnis diditur ei,
nec satis est, pro quam largos exaestuat aestus,
unde queat tantum suboriri ac subpeditare.
iure igitur pereunt, cum rarefacta fluendo
sunt et cum externis succumbunt omnia plagis;
quandoquidem grandi cibus aevo denique defit,
nec tuditantia rem cessant extrinsecus ullam
corpora conficere et plagis infesta domare.
Sic igitur magni quoque circum moenia mundi
expugnata dabunt labem putrisque ruinas:
omnia debet enim cibus integrare novando
et fulcire cibus, cibus omnia sustentare,
ne quiquam, quoniam nec venae perpetiuntur

1122 hilar || 1124 cora || 1129 debet. || 1135 a se || 1136 deditur || 1138 queant || 1145 putris || 1147 cibus *semel*. || 1148 Nec

Digitized by Google

quod satis est, neque quantum opus est natura ministrat.
1150 iamque adeo fracta est aetas, effetaque tellus
vix animalia parva creat, quae cuncta creavit
saecla deditque ferarum ingentia corpora partu.
haud, ut opinor, enim mortalia saecla superne
aurea de caelo demisit funis in arva,
1155 nec mare nec fluctus plangentis saxa crearunt,
sed genuit tellus eadem quae nunc alit ex se.
praeterea nitidas fruges vinetaque laeta
sponte sua primum mortalibus ipsa creavit,
ipsa dedit dulcis fetus et pabula laeta;
1160 quae nunc vix nostro grandescunt aucta labore,
conterimusque boves et viris agricolarum,
conficimus ferrum, vix arvis suppeditati:
usque adeo parcunt fetus augentque labore.
iamque caput quassans grandis suspirat arator
1165 crebrius, in cassum manuum cecidisse labores,
et cum tempora temporibus praesentia confert
praeteritis, laudat fortunas saepe parentis.
tristis item vetulae vitis sator atque vietae
temporis incusat momen, caelumque fatigat,
1170 et crepat, anticum genus ut pietate repletum
perfacile angustis tolerarit finibus aevom,
cum minor esset agri multo modus ante viritim:
nec tenet omnia paulatim tabescere et ire
ad capulum, spatio aetatis defessa vetusto.

1150 facta || effectaque || 1153 opinore immortalia || 1160 Qua || 1165 magnum || 1168 fatigat. || 1169 nomen saeclumque || 1170 pletate || 1172 diritim. || 1174 scopulum

Digitized by Google

T. LUCRETI CARI

DE RERUM NATURA

LIBER TERTIUS.

E tenebris tantis tam clarum extollere lumen
qui primus potuisti inlustrans commoda vitae,
te sequor, o Graiae gentis decus, inque tuis nunc
ficta pedum pono pressis vestigia signis,
5 non ita certandi cupidus quam propter amorem
quod te imitari aveo: quid enim contendat hirundo
cycnis, aut quid nam tremulis facere artubus haedi
consimile in cursu possint et fortis equi vis?
tu, pater, es rerum inventor, tu patria nobis
10 suppeditas praecepta, tuisque ex, inclute, chartis,
floriferis ut apes in saltibus omnia libant,
omnia nos itidem depascimur aurea dicta,
aurea, perpetua semper dignissima vita.
nam simul ac ratio tua coepit vociferari
15 naturam rerum, divina mente coorta,
diffugiunt animi terrores, moenia mundi
discedunt, totum video per inane geri res.

---

1 O || 7 Cycniis || 11 limant. || 15 coortam.

Digitized by Google

apparet divum numen sedesque quietae,
quas neque concutiunt venti nec nubila nimbis
20 aspergunt neque nix acri concreta pruina
cana cadens violat semperque innubilus aether
integit, et large diffuso lumine rident:
omnia suppeditat porro natura, neque ulla
res animi pacem delibat tempore in ullo.
25 at contra nusquam apparent Acherusia templa,
nec tellus obstat quin omnia dispiciantur,
sub pedibus quae cumque infra per inane geruntur.
his ibi me rebus quaedam divina voluptas
percipit adque horror, quod sic natura tua vi
30 tam manifesta patens ex omni parte retecta est.
Et quoniam docui, cunctarum exordia rerum
qualia sint et quam variis distantia formis
sponte sua volitent aeterno percita motu,
quove modo possint res ex his quaeque creari,
35 hasce secundum res animi natura videtur
atque animae claranda meis iam versibus esse,
et metus ille foras praeceps Acheruntis agendus,
funditus humanam qui vitam turbat ab imo,
omnia suffundens mortis nigrore, neque ullam
40 esse voluptatem liquidam puramque relinquit.
nam quod saepe homines morbos magis esse timendos
infamemque ferunt vitam quam Tartara leti,
et se scire animae naturam sanguinis esse,
46 aut etiam venti, si fert ita forte voluntas,
44 nec prosum quicquam nostrae rationis egere,
hinc licet advertas animum magis omnia laudis
47 iactari causa quam quod res ipsa probetur.
extorres idem patria longeque fugati

---

21 semper || 22 ridet. || 28 ubi || 29 signatura || 33 alterno || 39 suffundans || 47 causam

Digitized by Google

conspectu ex hominum, foedati crimine turpi,
omnibus erumnis adfecti denique vivunt,
et quo cumque tamen miseri venere parentant
et nigras mactant pecudes et manibu' divis
inferias mittunt, multoque in rebus acerbis
acrius advertunt animos ad religionem.
quo magis in dubiis hominem spectare periclis
convenit adversisque in rebus noscere qui sit:
nam verae voces tum demum pectore ab imo
eiciuntur, et eripitur persona, manet res.
denique avarities et honorum caeca cupido,
quae miseros homines cogunt transcendere fines
iuris et inter dum socios scelerum atque ministros
noctes atque dies niti praestante labore
ad summas emergere opes, haec vulnera vitae
non minimam partem mortis formidine aluntur.
turpis enim ferme contemptus et acris egestas
semota ab dulci vita stabilique videntur
et quasi iam leti portas cunctarier ante;
unde homines dum se falso terrore coacti
effugisse volunt longe, longeque remosse,
sanguine civili rem conflant divitiasque
conduplicant avidi, caedem caede accumulantes,
crudeles gaudent in tristi funere fratris,
et consanguineum mensas odere timentque.
consimili ratione ab eodem saepe timore
5 macerat invidia. ante oculos illum esse potentem,
illum aspectari, claro qui incedit honore,
ipsi se in tenebris volvi caenoque queruntur.
intereunt partim statuarum et nominis ergo.
et saepe usque adeo, mortis formidine, vitae

---

53 Inferia || 58 Eliciuntur || et *omissum*. || manare. || 62 tabore. || 66 videtur. || 72 fratres. || 78 statum

Digitized by Google

80 percipit humanos odium lucisque videndae,
ut sibi conciscant maerenti pectore letum,
obliti fontem curarum hunc esse timorem,
hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiai
rumpere et in summa pietatem evertere fraude:
85 nam iam saepe homines patriam carosque parentis
prodiderunt, vitare Acherusia templa petentes.
nam vel uti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
inter dum, nilo quae sunt metuenda magis quam
90 quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.
hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.

Primum animum dico, mentem quam saepe vocamus,
95 in quo consilium vitae regimenque locatum est,
esse hominis partem nilo minus ac manus et pes
atque oculei partes animantis totius extant.

. . . . . .

sensum animi certa non esse in parte locatum,
verum habitum quendam vitalem corporis esse,
100 harmoniam Grai quam dicunt, quod faciat nos
vivere cum sensu, nulla cum in parte siet mens;
ut bona saepe valetudo cum dicitur esse
corporis, et non est tamen haec pars ulla valentis.
sic animi sensum non certa parte reponunt;
105 magno opere in quo mi diversi errare videntur.
saepe itaque, in promptu corpus quod cernitur, aegret,
cum tamen ex alia laetamur parte latenti:
et retro fit uti contra sit saepe vicissim,
cum miser ex animo laetatur corpore toto;

---

81 coniciscant || 84 pietate || suadet. || 94 quem || 95 vocatum || 100 taciat || 106 aegrum. || 108 ubi

Digitized by Google

non alio pacto quam si, pes cum dolet aegri,
in nullo caput interea sit forte dolore.
praeterea molli cum somno dedita membra
effusumque iacet sine sensu corpus honustum,
est aliud tamen in nobis quod tempore in illo
multimodis agitatur et omnis accipit in se
laetitiae motus et curas cordis inanis.
nunc animam quoque ut in membris cognoscere possis
esse, neque harmonia corpus senteire solere,
principio fit uti detracto corpore multo
saepe tamen nobis in membris vita moretur:
atque eadem rursum, cum corpora pauca caloris
diffugere forasque per os est editus aër,
deserit extemplo venas atque ossa relinquit;
noscere ut hinc possis non aequas omnia partis
corpora habere neque ex aequo fulcire salutem,
sed magis haec, venti quae sunt calidique vaporis
semina, curare in membris ut vita moretur.
est igitur calor ac ventus vitalis in ipso
corpore, qui nobis moribundos deserit artus.
qua propter quoniam est animi natura reperta
atque animae quasi pars hominis, redde harmoniai
nomen, ad organicos alto delatum Heliconi;
sive aliunde ipsi porro traxere et in illam
transtulerunt, proprio quae tum res nomine egebat.
quidquid id est, habeant: tu cetera percipe dicta.
Nunc animum atque animam dico coniuncta teneri
inter se atque unam naturam conficere ex se,
sed caput esse quasi et dominari in corpore toto
consilium, quod nos animum mentemque vocamus.
idque situm media regione in pectoris haeret.
hic exultat enim pavor ac metus, haec loca circum

118 interire || 132 altu || 135 id *omissum*.

Digitized by Google

laetitiae mulcent: hic ergo mens animusquest.
cetera pars animae per totum dissita corpus
paret et ad numen mentis momenque movetur.
145 idque sibi solum per se sapit: id sibi gaudet,
cum neque res animam neque corpus commovet una.
et quasi, cum caput aut oculus temptante dolore
laeditur in nobis, non omni concruciamur
corpore, sic animus non numquam laeditur ipse
150 laetitiaque viget, cum cetera pars animai
per membra atque artus nulla novitate cietur:
verum ubi vementi magis est commota metu mens,
consentire animam totam per membra videmus,
sudoresque ita palloremque existere toto
155 corpore et infringi linguam vocemque aboriri,
caligare oculos, sonere auris, succidere artus,
denique concidere ex animi terrore videmus
saepe homines; facile ut quivis hinc noscere possit
esse animam cum animo coniunctam, quae cum animi vi
160 percussast, exim corpus propellit et icit.
Haec eadem ratio naturam animi atque animai
corpoream docet esse: ubi enim propellere membra,
corripere ex somno corpus, mutareque vultum
atque hominem totum regere ac versare videtur,
165 quorum nil fieri sine tactu posse videmus,
nec tactum porro sine corpore, nonne fatendumst
corporea natura animum constare animamque?
praeterea pariter fungi cum corpore et una
consentire animum nobis in corpore cernis.
170 si minus offendit vitam vis horrida teli
ossibus ac nervis disclusis intus adacta,
at tamen insequitur languor terraeque petitus

---

145 id *omissum*. || 151 novitatficietur. || 154 itaque pallorem || 159 vi *omissum*. || 165 fleri || 170 offendis || leti. || 172 insequetur

Digitized by Google

suppus, et in terra mentis qui gignitur aestus,
inter dumque quasi exurgendi incerta voluntas.
ergo corpoream naturam animi esse necessest,
corporeis quoniam telis ictuque laborat.
Is tibi nunc animus quali sit corpore et unde
constiterit pergam rationem reddere dictis.
principio esse aio persuptilem atque minutis
perquam corporibus factum constare. id ita esse
hinc licet advertas animum ut pernoscere possis.
nil adeo fieri celeri ratione videtur,
quam sibi mens fieri proponit et inchoat ipsa:
ocius ergo animus quam res se perciet ulla,
ante oculos quorum in promptu natura videtur:
at quod mobile tanto operest, constare rutundis
perquam seminibus debet perquamque minutis,
momine uti parvo possint inpulsa moveri.
namque movetur aqua et tantillo momine flutat,
quippe volubilibus parvisque creata figuris.
at contra mellis constantior est natura
et pigri latices magis et cunctantior actus:
haeret enim inter se magis omnis materiai
copia, ni mirum, quia non tam levibus extat
corporibus neque tam suptilibus atque rutundis.
namque papaveris aura potest suspensa levisque
cogere ut ab summo tibi diffluat altus acervus,
at contra lapidum conlectum spiritus acer
noenu potest. igitur parvissima corpora pro quam
et levissima sunt, ita mobilitate fruuntur:
at contra quae cumque magis cum pondere magno
asperaque inveniuntur, eo stabilita magis sunt.
nunc igitur quoniam est animi natura reperta

---

173 Suavis || mentes || 176 Corporis || 183 si || 198 coniectum spicarumque. || 203 est *omissum*.

Digitized by Google

mobilis egregie, perquam constare necessest
205 corporibus parvis et levibus atque rutundis.
quae tibi cognita res in multis, o bone, rebus
utilis invenietur et opportuna cluebit.
haec quoque res etiam naturam dedicat eius,
quam tenui constet textura, quamque loco se
210 contineat parvo, si possit conglomerari,
quod simul atque hominem leti secura quies est
indepta atque animi natura animaeque recessit,
nil ibi libatum de toto corpore cernas
ad speciem, nil ad pondus: mors omnia praestat,
215 vitalem praeter sensum calidumque vaporem.
ergo animam totam perparvis esse necessest
seminibus, nexam per venas viscera nervos;
qua tenus, omnis ubi e toto iam corpore cessit,
extima membrorum circum caesura tamen se
220 incolumem praestat nec defit ponderis hilum.
quod genus est, Bacchi cum flos evanuit, aut cum
spiritus unguentei suavis diffugit in auras,
aut aliquo cum iam sucus de corpore cessit:
nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur
225 propterea neque detractum de pondere quicquam,
ni mirum, quia multa minutaque semina sucos
efficiunt et odorem in toto corpore rei.
quare etiam atque etiam mentis naturam animaeque
scire licet perquam pauxillis esse creatam
230 seminibus, quoniam fugiens nil ponderis aufert.
Nec tamen haec simplex nobis natura putanda est.
tenvis enim quaedam moribundos deserit aura
mixta vapore, vapor porro trahit aëra secum.
nec calor est quisquam, cui mixtus non siet aër:

---

210 se || 222 unguente || 227 rerum. || 232 Tenus || 234 cui non sit mixtus et aer.

Digitized by Google

rara quod eius enim constat natura, necessest
aëris inter eum primordia multa moveri.
iam triplex animi est igitur natura reperta:
nec tamen haec sat sunt ad sensum cuncta creandum;
nil horum quoniam recipit quem posse creare,
sensiferos motus quaedam vis menti' volutat.
quarta quoque his igitur quaedam natura necessest
adtribuatur: east omnino nominis expers;
qua neque mobilius quicquam neque tenvius exstat,
nec magis et parvis et levibus ex elementis;
sensiferos motus quae didit prima per artus.
prima cietur enim, parvis perfecta figuris:
inde calor motus et venti caeca potestas
accipit, inde aër: inde omnia mobilitantur,
concutitur sanguis, tum viscera persentiscunt
omnia, postremis datur ossibus atque medullis
sive voluptas est sive est contrarius ardor.
nec temere huc dolor usque potest penetrare neque acre
permanàre malum, quin omnia perturbentur
usque adeo ut vitae desit locus atque animai
diffugiant partes per caulas corporis omnis.
sed plerumque fit in summo quasi corpore finis
motibus: hanc ob rem vitam retinemu' valentes.
Nunc ea quo pacto inter sese mixta quibusque
compta modis vigeant rationem reddere aventem
abstrahit invitum patrii sermonis egestas:
sed tamen, ut potero summatim attingere, tangam.
inter enim cursant primordia principiorum
motibus inter se, nil ut secernier unum
possit nec spatio fieri divisa potestas,

---

236 inter eum *bis*. || mqueri. || 239 recepit mens || 240 que mente || 243 tenuis || 244 e parvis || 249 tum sanguis || persentisiunt. || 254 ut *omissum*. || 255 culvias || 257 valemus.

Digitized by Google

265 sed quasi multae vis unius corporis extant.
quod genus in quovis animantum viscere volgo
est odor et quidam calor et sapor, et tamen ex his
omnibus est unum perfectum corporis augmen.
sic calor atque aër et venti caeca potestas
270 mixta creant unam naturam, et mobilis illa
vis, initum motus ab se quae dividit ollis,
sensifer unde oritur primum per viscera motus.
nam penitus prorsum latet haec natura subestque,
nec magis hac infra quicquam est in corpore nostro,
275 atque anima est animae proporro totius ipsa.
quod genus in nostris membris et corpore toto
mixta latens animi vis est animaeque potestas,
corporibus quia de parvis paucisque creatast.
sic tibi nominis haec expers vis, facta minutis
280 corporibus, latet atque animae quasi totius ipsa
proporrost anima et dominatur corpore toto.
consimili ratione necessest ventus et aër
et calor inter se vigeant commixta per artus,
adque aliis aliud subsit magis emineatque,
285 ut quiddam fieri videatur ab omnibus unum,
ni calor ac ventus seorsum seorsumque potestas
aëris interemant sensum diductaque solvant.
est etenim calor ille animo, quem sumit, in ira
cum fervescit et ex oculis micat acribus ardor:
290 est ea frigida multa, comes formidinis, aura,
quae ciet horrorem membris et concitat artus:
est etiam quoque pacati status aëris ille,
pectore tranquillo qui fit voltuque sereno.
sed calidi plus est illis quibus acria corda
295 iracundaque mens facile effervescit in ira,

---

272 Sensiferer || 288 etiam || 289 fervescet || acrius || 290 et || 291 inconcitat || 293 Pertore || fit qui

Digitized by Google

nec capere irarum fluctus in pectore possunt;
quo genere in primis vis est violenta leonum,
pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes.
at ventosa magis cervorum frigida mens est
et gelidas citius per viscera concitat auras,
quae tremulum faciunt membris existere motum.
at natura boum placido magis aëre vivit,
nec nimis irai fax umquam subdita percit
fumida, suffundens caecae caliginis umbra,
nec gelidis torpet telis perfixa pavoris,
interutraque secus cervos saevosque leones.
sic hominum genus est. quamvis doctrina politos
constituat pariter quosdam, tamen illa relinquit
naturae cuiusque animi vestigia prima.
nec radicitus evelli mala posse putandumst,
quin proclivius hic iras decurrat ad acris,
ille metu citius paulo temptetur, at ille
tertius accipiat quaedam clementius aequo.
inque aliis rebus multis differre necessest
naturas hominum varias moresque sequacis;
quorum ego nunc nequeo caecas exponere causas,
nec reperire figurarum tot nomina quot sunt
principiis, unde haec oritur variantia rerum.
illud in his rebus videor firmare potesse,
usque adeo naturarum vestigia linqui
parvola, quae nequeat ratio depellere nobis,
ut nil inpediat dignam dis degere vitam.
Haec igitur natura tenetur corpore ab omni,
ipsaque corporis est custos et causa salutis:
nam communibus inter se radicibus haerent,
nec sine pernicie divelli posse videntur.

---

303 minus || 304 Fumidas effundens || 305 vaporis. || 306 Inter utrasque sitas || 309 Natura || 319 video formare || 321 niqueat || noctis.

Digitized by Google

quod genus e thuris glaebis evellere odorem
haud facile est, quin intereat natura quoque eius.
sic animi atque animae naturam corpore toto
330 extrahere haut facile est, quin omnia dissoluantur.
inplexis ita principiis ab origine prima
inter se fiunt consorti praedita vita,
nec sibi quaeque sine alterius vi posse videtur
corporis atque animi seorsum sentire potestas,
335 sed communibus inter eas conflatur utrimque
motibus accensus nobis per viscera sensus.
praeterea corpus per se nec gignitur umquam
nec crescit neque post mortem durare videtur.
non enim, ut umor aquae dimittit saepe vaporem,
340 qui datus est, neque ea causa convellitur ipse,
sed manet incolumis, non, inquam, sic animai
discidium possunt artus perferre relicti,
sed penitus pereunt convulsi conque putrescunt.
ex ineunte aevo sic corporis atque animai
345 mutua vitalis discunt contagia motus,
maternis etiam membris alvoque reposta,
discidium ut nequeat fieri sine peste maloque;
ut videas, quoniam coniunctast causa salutis,
coniunctam quoque naturam consistere eorum.
350 [Quod super est, siquis corpus sentire refutat,
atque animam credit permixtam corpore toto
suscipere hunc motum quem sensum nominitamus,
vel manifestas res contra verasque repugnat.
quid sit enim corpus sentire quis adferet umquam,
355 si non ipsa palam quod res dedit ac docuit nos?
at dimissa anima corpus caret undique sensu:

---

330 aut || 332 consorti fiunt || vitae. || 335 eos || 346 reposto. || 347 ut *omissum*.

Digitized by Google

perdit enim quod non proprium fuit eius in aevo,
nullaque praeterea perdit, quom expellitur aevo.
Dicere porro oculos nullam rem cernere posse,
sed per eos animum ut foribus spectare reclusis,
desiperest, contra cum sensus dicat eorum;
fulgida praesertim cum cernere saepe nequimus:
sensus enim trahit atque acies detrudit ad ipsas
lumina, luminibus quia nobis praepediuntur.
quod foribus non fit: neque enim, quia cernimus ipsi,
ostia suscipiunt ullum reclusa laborem.
praeterea si pro foribus sunt lumina nostra,
iam magis exemptis oculis debere videtur
cernere res animus sublatis postibus ipsis.
Illud in his rebus nequaquam sumere possis,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
corporis atque animi primordia, singula privis
adposita, alternis variare, ac nectere membra.
nam cum multo sunt elementa minora animai
quam quibus e corpus nobis et viscera constant,
tum numero quoque concedunt et rara per artus
dissita sunt, dum taxat; ut hoc promittere possis,
quantula priva queant nobis iniecta ciere
corpora sensiferos motus in corpore, tanta
intervalla tenere exordia priva animai.
nam neque pulveris inter dum sentimus adhaesum
corpore nec membris incussam sidere cretam,
nec nebulam noctu neque aranei tenvia fila
obvia sentimus, quando obretimur euntes,
nec supera caput eiusdem cecidisse vietam
vestem, nec plumas avium papposque volantis,

---

357 Perdi || 358 Multaque || perditum expellitur aevo quam. || 361 Difficilest || ducat || 365 qua || 372 primis. || 374 animae elementa minora. || 378 prima || 380 prima || 383 arani tenulla

Digitized by Google

qui nimia levitate cadunt plerumque gravatim,
nec repentis itum cuiusvis cumque animantis
sentimus, nec priva pedum vestigia quaeque,
390 corpore quae in nostro culices et cetera ponunt.
usque adeo prius est in nobis multa ciendum
393 semina corporibus nostris inmixta per artus,
392 quam primordia sentiscant concussa animai
394 et quam in his intervallis tuditantia possint
concursare coire et dissultare vicissim.]
Et magis est animus vitai claustra coërcens
et dominantior ad vitam quam vis animai.
nam sine mente animoque nequit residere per artus
temporis exiguam partem pars ulla animai,
400 sed comes insequitur facile et discedit in auras
et gelidos artus in leti frigore linquit.
at manet in vita cui mens animusque remansit.
quamvis est circum caesis lacer undique membris
truncus, adempta anima circum membrisque remota
405 vivit et aërias vitalis suscipit auras:
si non omnimodis, at magna parte animai
privatus, tamen in vita cunctatur et haeret;
ut, lacerato oculo circum si pupula mansit
incolumis, stat cernundi vivata potestas,
410 dum modo ne totum corrumpas luminis orbem,
et circum caedas aciem solamque relinquas:
413 at si tantula pars oculi media illa peresa est,
occidit extemplo lumen tenebraeque secuntur.
416 hoc anima atque animus vincti sunt foedere semper.
Nunc age, nativos animantibus et mortalis

---

391 ciendo. || 394 Et quantis || 399 exigiam || 400 e || 403 cretum || 404 remot. || 405 aetherias || 412 Id quoque enim sine pernicie non fiet eorum. || 415 Incolumis quamvis alioqui splendidus orbis. || 417 mortalibus.

Digitized by Google

esse animos animasque levis ut noscere possis,
conquisita diu dulcique reperta labore
digna tua pergam disponere carmina cura.
tu fac utrumque uni subiungas nomen eorum,
atque animam verbi causa cum dicere pergam,
mortalem esse docens, animum quoque dicere credas,
qua tenus est unum inter se coniunctaque res est.
principio quoniam tenuem constare minutis
corporibus docui multoque minoribus esse
principiis factam quam liquidus umor aquai
aut nebula aut fumus, iam longe mobilitate
praestat et a tenui causa magis icta movetur.
quod genus est, somnis sopiti ubi cernimus alte
exalare vaporem altaria ferreque fumum.
nunc igitur quoniam quassatis undique vasis
diffluere umorem et laticem discedere cernis,
et nebula ac fumus quoniam discedit in auras,
crede animam quoque diffundi multoque perire
ocius et citius dissolvi in corpora prima,
cum semel ex hominis membris ablata recessit:
quippe etenim corpus, quod vas quasi constitit eius,
quam cohibere nequit conquassatum ex aliqua re
ac rarefactum detracto sanguine venis,
aëre qui credas posse hanc cohiberier ullo?
corpore qui nostro rarus magis is cohibessit?
Praeterea gigni pariter cum corpore et una
crescere sentimus pariterque senescere mentem.
nam vel ut infirmo pueri teneroque vagantur
corpore, sic animi sequitur sententia tenvis:

---

420 vita. || 421 uno || nome || 428 nam || 429 Prestata || 430 Quippe ubi imaginibus fumi nebulaeque moventur. || 431 in somnis || alta. || 432 vapore || 433 Nam procul haec dubio nobis simulacra geruntur. || 437 Credeo || 438 Opius || 441 Cum || 444 in cohibescit.

Digitized by Google

inde ubi robustis adolevit viribus aetas,
450 consilium quoque maius et auctior est animi vis:
post ubi iam validis quassatum est viribus aevi
corpus et obtusis ceciderunt viribus artus,
claudicat ingenium, delirat lingua, labat mens,
omnia deficiunt atque uno tempore desunt.
455 ergo dissolui quoque convenit omnem animai
naturam, ceu fumus, in altas aëris auras;
quandoquidem gigni pariter pariterque videmus
crescere et, ut docui, simul aevo fessa fatisci.
Huc accedit uti videamus, corpus ut ipsum
460 suscipere inmanis morbos durumque dolorem,
sic animum curas acris luctumque metumque;
quare participem leti quoque convenit esse.
quin etiam morbis in corporis avius errat
saepe animus: dementit enim deliraque fatur,
465 inter dumque gravi lethargo fertur in altum
aeternumque soporem oculis nutuque cadenti;
unde neque exaudit voces nec noscere voltus
illorum potis est, ad vitam qui revocantes
circum stant lacrimis rorantes ora genasque.
470 quare animum quoque dissolui fateare necessest,
quandoquidem penetrant in eum contagia morbi:
nam dolor ac morbus leti fabricator uterquest;
multorum exitio perdocti quod sumus ante.
476 denique cor, hominem cum vini vis penetravit
acris et in venas discessit diditus ardor,
consequitur gravitas membrorum, praepediuntur
crura vacillanti, tardescit lingua, madet mens,
480 nant oculi, clamor singultus iurgia gliscunt,

---

449 rubustis || 450 auctor || 453 labat *omissum*. || 456 acris || 458 ut *omissum*. || faetis. || 462 particidem || 470 fatere || 472 polor || 474=510. || 475 Et pariter mentem sanari corpus inani. || 479 vaciliaanti

Digitized by Google

et iam cetera de genere hoc quae cumque secuntur.
cur ea sunt, nisi quod vemens violentia vini
conturbare animam consuevit corpore in ipso?
at quae cumque queunt conturbari inque pediri,
significant, paulo si durior insinuarit
causa, fore ut pereant aevo privata futuro.
quin etiam subito vi morbi saepe coactus
ante oculos aliquis nostros, ut fulminis ictu,
concidit et spumas agit, ingemit et tremit artus,
desipit, extentat nervos, torquetur, anhelat
inconstanter, et in iactando membra fatigat.
ni mirum, quia vis morbi distracta per artus
turbat, agens animam spumat, quasi in aequore salso
ventorum validis fervescunt viribus undae.
exprimitur porro gemitus, quia membra dolore
adficiuntur, et omnino quod semina vocis
eiciuntur et ore foras glomerata feruntur
qua quasi consuerunt et sunt munita viai.
desipientia fit, quia vis animi atque animai
conturbatur et, ut docui, divisa seorsum
disiectatur eodem illo distracta veneno.
inde ubi iam morbi reflexit causa, reditque
in latebras acer corrupti corporis umor,
tum quasi vaccillans primum consurgit et omnis
paulatim redit in sensus animamque receptat.
haec igitur tantis ubi morbis corpore in ipso
iactentur miserisque modis distracta laborent,
cur eadem credis sine corpore in aëre aperto
cum validis ventis aetatem degere posse?
et quoniam mentem sanari, corpus ut aegrum,
cernimus et flecti medicina posse videmus,
id quoque praesagit mortalem vivere mentem.

---

482 Curba || 492 qua || 493 spumans in || 497 Eliciuntur

Digitized by Google

addere enim partis aut ordine traiecere aecumst
aut aliquid prosum de summa detrahere hilum,
515 commutare animum qui cumque adoritur et infit
aut aliam quamvis naturam flectere quaerit.
at neque transferri sibi partis nec tribui vult
inmortale quod est quicquam neque defluere hilum:
nam quod cumque suis mutatum finibus exit,
520 continuo hoc mors est illius quod fuit ante.
ergo animus sive aegrescit, mortalia signa
mittit, uti docui, seu flectitur a medicina.
usque adeo falsae rationi vera videtur
res occurrere et effugium praecludere eunti,
525 ancipitique refutatu convincere falsum.
Denique saepe hominem paulatim cernimus ire
et membratim vitalem deperdere sensum;
in pedibus primum digitos livescere et unguis,
inde pedes et crura mori, post inde per artus
530 ire alios tractim gelidi vestigia leti.
scinditur usque adeo haec quoniam natura nec uno
tempore sincera existit, mortalis habendast.
quod si forte putas ipsam se posse per artus
introsum trahere et partis conducere in unum
535 atque ideo cunctis sensum deducere membris,
at locus ille tamen, quo copia tanta animai
cogitur, in sensu debet maiore videri;
qui quoniam nusquamst, ni mirum, ut diximus ante,
dilaniata foras dispargitur, interit ergo.
540 quin etiam si iam libeat concedere falsum,
et dare posse animam glomerari in corpore eorum,
lumina qui lincunt moribundi particulatim,
mortalem tamen esse animam fateare necesse,

---

522 deocui || 523 rationis || 525 refutatur || 531 atque animo || 535 diducere || 538 ante *omissum*.

Digitized by Google

nec refert utrum pereat dispersa per auras
an contracta suis e partibus obbrutescat,
quando hominem totum magis ac magis undique sensus
deficit et vitae minus et minus undique restat.
Et quoniam mens est hominis pars una, loco quae
fixa manet certo, vel ut aures atque oculi sunt
atque alii sensus qui vitam cumque gubernant,
et vel uti manus aut oculus naresve seorsum
secreta ab nobis nequeunt sentire neque esse,
sed tamen in parvo lincuntur tempore tabi,
sic animus per se non quit sine corpore et ipso
esse homine, illius quasi quod vas esse videtur,
sive aliud quid vis potius coniunctius ei
fingere, quandoquidem conexu corpus adhaeret
denique, corporis atque animi vivata potestas
inter se coniuncta valent vitaque fruuntur:
nec sine corpore enim vitalis edere motus
sola potest animi per se natura nec autem
cassum anima corpus durare et sensibus uti.
scilicet, avolsus radicibus ut nequit ullam
dispicere ipse oculus rem seorsum corpore toto,
sic anima atque animus per se nil posse videtur.
ni mirum, quia per venas et viscera mixtim,
per nervos atque ossa, tenentur corpore ab omni
nec magnis intervallis primordia possunt
libera dissultare, ideo conclusa moventur
sensiferos motus, quos extra corpus in auras
aëris haut possunt post mortem eiecta moveri
propterea quia non simili ratione tenentur:
corpus enim atque animans erit aër, si cohibere

---

544 disperse || 545 obrutescat. || 551 atque || 553 linguntur || tali. || 555 hominem || vasse || 564 oculus ipse || 566 per *omissum*. || mixti || 571 movere. || 573 animam serit

Digitized by Google

in se animam atque in eos poterit concludere motus,
575 quos ante in nervis et in ipso corpore agebat.
quare etiam atque etiam resoluto corporis omni
tegmine et eiectis extra vitalibus auris
dissolui sensus animi fateare necessest
atque animam, quoniam coniunctast causa duobus.
580 Denique cum corpus nequeat perferre animai
discidium, quin in taetro tabescat odore,
quid dubitas quin ex imo penitusque coorta
emanarit uti fumus diffusa animae vis,
atque ideo tanta mutatum putre ruina
585 conciderit corpus, penitus quia mota loco sunt
fundamenta, foras manante anima usque per artus
perque viarum omnis flexus, in corpore qui sunt,
atque foramina? multimodis ut noscere possis
dispertitam animae naturam exisse per artus,
590 et prius esse sibi distractam corpore in ipso,
quam prolapsa foras enaret in aëris auras.
quin etiam finis dum vitae vertitur intra,
saepe aliqua tamen e causa labefacta videtur
ire anima ac toto solui de corpore velle,
595 et quasi supremo languescere tempore voltus,
molliaque exsangui trunco cadere omnia membra.
quod genus est, animo male factum cum perhibetur
aut animam liquisse; ubi iam trepidatur et omnes
extremum cupiunt vitae repraehendere vinclum:
600 conquassatur enim tum mens animaeque potestas
omnis, et haec ipso cum corpore conlabe fiunt;
ut gravior paulo possit dissolvere causa.
quid dubitas tandem quin extra prodita corpus

---

574 Sese anima || 576 Quae || 578 fatiare || 580 nequea || 582 ea imo || 583 anima eius. || 586 manant animaeque || 594 corpore omnia membra. || 596 easangui || trunco *omissum*. || 597 peribet.

Digitized by Google

inbecilla foras, in aperto, tegmine dempto,
non modo non omnem possit durare per aevom,
sed minimum quodvis nequeat consistere tempus?
nec sibi enim quisquam moriens sentire videtur
ire foras animam incolumem de corpore toto,
nec prius ad iugulum et supera succedere fauces,
verum deficere in certa regione locatam;
ut sensus alios in parti quemque sua scit
dissolui. quod si inmortalis nostra foret mens,
non tam se moriens dissolvi conquereretur,
sed magis ire foras vestémque relinquere, ut anguis.
Denique cur animi numquam mens consiliumque
gignitur in capite aut pedibus manibusve, sed unis
sedibus et certis regionibu' pectoris haeret,
si non certa loca ad nascendum reddita cuique
sunt, et ubi quicquid possit durare creatum
atque ita multimodis perfectis artubus esse,
membrorum ut numquam existat praeposterus ordo?
usque adeo sequitur res rem, neque flamma creari
fluminibus solitast neque in igni gignier algor.
Praeterea si inmortalis natura animaist
et sentire potest secreta a corpore nostro,
quinque, ut opinor, eam faciundum est sensibus auctam.
nec ratione alia nosmet proponere nobis
possumus infernas animas Acherunte vagari.
pictores itaque et scriptorum saecla priora
sic animas intro duxerunt sensibus auctas.
at neque sorsum oculi neque nares nec manus ipsa
esse potest animae, neque sorsum lingua neque aures:
haud igitur per se possunt sentire neque esse.

---

612 inmortales || 617 omnibus || 618 redita || 620 ta || pertotis || 623 solita neque insigni || 624 mortalis || animaest. || 626 auctum. || 628 vacare. || 632 anima || 633 Auditum

Digitized by Google

Et quoniam toto sentimus corpore inesse
635 vitalem sensum et totum esse animale videmus,
si subito medium celeri praeciderit ictu
vis aliqua, ut sorsum partem secernat utramque,
dispertita procul dubio quoque vis animai
et discissa simul cum corpore dissicietur.
640 at quod scinditur et partis discedit in ullas,
scilicet, aeternam sibi naturam abnuit esse.
falciferos memorant currus abscidere membra
saepe ita de subito permixta caede calentis,
ut tremere in terra videatur ab artubus id quod
645 decidit abscisum, cum mens tamen atque hominis vis
mobilitate mali non quit sentire dolorem:
et semel in pugnae studio quod dedita mens est,
corpore reliqüo pugnam caedesque petessit,
nec tenet amissam laevam cum tegmine saepe
650 inter equos abstraxe rotas falcesque rapaces,
nec cecidisse alius dextram, cum scandit et instat.
inde alius conatur adempto surgere crure,
cum digitos agitat propter moribundus humi pes
et caput abscisum calido viventeque trunco
655 servat humi voltum vitalem oculosque patentis,
donec reliquias animai reddidit omnes.
quin etiam tibi si, lingua vibrante, micanti
serpentem cauda, e procero corpore utrimque,
sit libitum in multas partis discidere ferro,
660 omnia iam sorsum cernes ancisa recenti
volnere tortari et terram conspargere tabo,
ipsam seque retro partem petere ore priorem,
volneris ardenti ut morsu premat icta dolorem.

---

644 ad artubus || 645 Dicidit || 647 simul || 650 rote || 651 istat. || 657 minanti. || 658 Serpentis caude procero || utrumque. || 662 reretro || 663 dolore.

Digitized by Google

omnibus esse igitur totas dicemus in illis
particulis animas? at ea ratione sequetur
unam animantem animas habuisse in corpore multas
ergo divisast ea quae fuit una simul cum
corpore; qua propter mortale utrumque putandumst,
in multas quoniam partis disciditur aeque.
Praeterea si inmortalis natura animai
constat et in corpus nascentibus insinuatur,
cur super ante actam aetatem meminisse nequimus,
nec vestigia gestarum rerum ulla tenemus?
nam si tanto operest animi mutata potestas,
omnis ut actarum exciderit retinentia rerum,
non, ut opinor, id a leto iam longiter errat;
qua propter fateare necessest quae fuit ante
interiisse, et quae nunc est nunc esse creatam.
Praeterea si iam perfecto corpore nobis
inferri solitast animi vivata potestas
tum cum gignimur et vitae cum limen inimus,
haud ita conveniebat uti cum corpore et una
cum membris videatur in ipso sanguine cresse,
sed vel ut in cavea per se sibi vivere solam
convenit, ut sensu corpus tamen arceat omne.
quod fieri totum contra manifesta docet res:
namque ita conexa est per venas viscera nervos
ossaque, uti dentes quoque sensu participentur;
morsus ut indicat, et gelidai stringor aquai,
et lapis expressus subiens e frugibus asper.
quare etiam atque etiam neque originis esse putandumst
expertis animas nec leti lege solutas:
nam neque tanto opere adnecti potuisse putandumst
corporibus nostris extrinsecus insinuatas,

---

665 animas *bis*. || 674 opere animist || 676 ab || longius || 680 solita animist || 685 afluat || 691 viscera per venas || 693 Morbus || aque. || 694 oppressus subitis

Digitized by Google

695 nec, tam contextae cum sint, exire videntur
incolumes posse et salvas exsolvere sese
omnibus e nervis atque ossibus articulisque.
quod si forte putas extrinsecus insinuatam
permanare animam nobis per membra solere,
700 tanto quique magis cum corpore fusa peribit:
quod permanat enim dissolvitur, interit ergo.
dispertitus enim per caulas corporis omnis
ut cibus, in membra atque artus cum diditur omnis,
disperit atque aliam naturam sufficit ex se,
705 sic anima atque animus quamvis integra recens in
corpus eunt, tamen in manando dissoluuntur;
dum quasi per caulas omnis diduntur in artus
particulae quibus haec animi natura creatur,
quae nunc in nostro dominatur corpore nata
710 ex illa quae tum periit partita per artus.
qua propter neque natali privata videtur
esse die natura animae nec funeris expers.
Semina praeterea linquontur, necne, animai
corpore in exanimo? quod si lincuntur et insunt,
715 haut erit ut merito inmortalis possit haberi,
partibus amissis quoniam libata recessit:
sin ita sinceris membris ablata profugit,
ut nullas partis in corpore liquerit ex se,
unde cadavera rancenti iam viscere vermes
720 expirant, atque unde animantum copia tanta
exos et exanguis tumidos perfluctuat artus?
quod si forte animas extrinsecus insinuari
vermibus et privas in corpora posse venire
credis, nec reputas cur milia multa animarum
725 conveniant unde una recesserit, hoc tamen est ut

---

702 Dispertitur ergo || 705 quamvis est || in *omissum*. || 710 tunc || 718 Et || 719 vicere || 723 priva si

Digitized by Google

quaerendum videatur et in discrimen agendum,
utrum tandem animae venentur semina quaeque
vermiculorum ipsaeque sibi fabricentur ubi sint,
an quasi corporibus perfectis insinuentur.
at neque cur faciant ipsae quareve laborent
dicere suppeditat. neque enim, sine corpore cum sunt,
sollicitae volitant morbis alguque fameque:
corpus enim magis his vitiis adfine laborat,
et mala multa animus contagibu' fungitur eius.
sed tamen his esto quamvis facere utile corpus,
cum subeant: at qua possint via nulla videtur.
haut igitur faciunt animae sibi corpora et artus.
nec tamen est ut iam perfectis insinuentur
corporibus: neque enim poterunt suptiliter esse
conexae, neque consensus contagia fient.
Denique cur acris violentia triste leonum
seminium sequitur, volpes dolus, et fuga cervos,
et iam cetera de genere hoc cur omnia membris
ex ineunte aevo generascunt ingenioque,
si non, certa suo quia semine seminioque
vis animi pariter crescit cum corpore toto?
quod si inmortalis foret et mutare soleret
corpora, permixtis animantes moribus essent,
effugeret canis Hyrcano de semine saepe
cornigeri incursum cervi, tremeretque per auras
aëris accipiter fugiens veniente columba,
desiperent homines, saperent fera saecla ferarum.
illud enim falsa fertur ratione, quod aiunt
inmortalem animam mutato corpore flecti:
quod mutatur enim dissolvitur, interit ergo.
traiciuntur enim partes atque ordine migrant;

732 algoque || 734 contage || 736 que || 738 ut quicum || 740 consensu || 743 A patribus datur et a patrius pavor incitat artus.

Digitized by Google

quare dissolui quoque debent posse per artus,
denique ut intereant una cum corpore cunctae.
760 sin animas hominum dicent in corpora semper
ire humana, tamen quaeram cur e sapienti
stulta queat fieri, nec prudens sit puer ullus,
764 nec tam doctus equae pullus quam fortis equi vis?
scilicet, in tenero tenerascere corpore mentem
confugient. quod si iam fit, fateare necessest
mortalem esse animam, quoniam mutata per artus
tanto opere amittit vitam sensumque priorem.
quove modo poterit pariter cum corpore quoque
770 confirmata cupitum aetatis tangere florem
vis animi, nisi erit consors in origine prima?
quidve foras sibi vult membris exire senectis?
an metuit conclusa manere in corpore putri,
et domus aetatis spatio ne fessa vetusto
775 obruat? at non sunt immortali ulla pericla.
Denique conubia ad Veneris partusque ferarum
esse animas presto deridiculum esse videtur,
expectare immortalis mortalia membra
innumero numero, certareque praeproperanter
780 inter se quae prima potissimaque insinuetur;
si non forte ita sunt animarum foedera pacta,
ut quae prima volans advenerit insinuetur
prima, neque inter se contendant viribus hilum.
Denique in aethere non arbor, non aequore salso
785 nubes esse queunt, nec pisces vivere in arvis,
nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse.
certum ac dispositumst ubi quicquit crescat et insit.
sic animi natura nequit sine corpore oriri
sola neque a nervis et sanguine longiter esse.

---

760 Sic || corpore || 763=746. || 764 paulus || 775 iam mortali || 784 in alto. || 785 Nube || 789 longius

Digitized by Google

quid si posset enim? multo prius ipsa animi vis
in capite aut umeris aut imis calcibus esse
posset, et innasci quavis in parte soleret
tandem in eodem homine atque in eodem vase manere.
quod quoniam nostro quoque constat corpore certum,
dispositumque videtur ubi esse et crescere possit
sorsum anima atque animus, tanto magis infitiandum
totum posse extra corpus durare genique.
quare, corpus ubi interiit, periisse necessest
confiteare animam distractam in corpore toto.
quippe etenim mortale aeterno iungere et una
consentire putare et fungi mutua posse
desiperest: quid enim diversius esse putandumst
aut magis inter se disiunctum discrepitansque,
quam mortale quod est inmortali atque perenni
iunctum in concilio saevas tolerare procellas?
quod si forte ideo magis immortalis habendast,
quod letalibus ab rebus munita tenetur,
aut quia non veniunt omnino aliena salutis,
aut quia quae veniunt aliqua ratione recedunt
pulsa prius quam quid noceant sentire queamus,
. . . . . .
praeter enim quam quod morbis cum corporis aegret,
advenit id quod eam de rebus saepe futuris
macerat inque metu male habet curisque fatigat,
praeteritisque male admissis peccata remordent.
adde furorem animi proprium atque oblivia rerum,
adde quod in nigras lethargi mergitur undas.
Nil igitur mors est ad nos neque pertinet hilum,
quandoquidem natura animi mortalis habetur.

---

790 Quod || 798 perisse || 800 mortalem || 804 peranni. || 805 salvas || 806—818=v, 351—363. || 820 vitalibus || 824 morbist || aegrit. || 826 Maceret || 829 Addi

Digitized by Google

et vel ut ante acto nil tempore sensimus aegri,
ad confligendum venientibus undique Poenis,
omnia cum belli trepido concussa tumultu
835 horrida contremuere sub altis aetheris oris,
in dubioque fuere utrorum ad regna cadendum
omnibus humanis esset terraque marique,
sic, ubi non erimus, cum corporis atque animai
discidium fuerit, quibus e sumus uniter apti,
840 scilicet, haud nobis quicquam, qui non erimus tum,
accidere omnino poterit sensumque movere,
non si terra mari miscebitur et mare caelo.
et si iam nostro sentit de corpore, post quam
distractast, animi natura animaeque potestas,
845 nil tamen est ad nos, qui comptu coniugioque
corporis atque animae consistimus uniter apti.
nec, si materiem nostram collegerit aetas
post obitum rursumque redegerit ut sita nunc est,
atque iterum nobis fuerint data lumina vitae,
850 pertineat quicquam tamen ad nos id quoque factum,
interrupta semel cum sit retinentia nostri.
et nunc nil ad nos de nobis attinet, ante
qui fuimus, neque iam de illis nos adficit angor.
nam cum respicias inmensi temporis omne
855 praeteritum spatium, tum motus materiai
multimodis quam sint, facile hoc adcredere possis,
semina saepe in eodem, ut nunc sunt, ordine posta
865 haec eadem, quibus e nunc nos sumus, ante fuisse:
858 nec memori tamen id quimus repraehendere mente:
inter enim iectast vitai pausa, vageque
860 deerrarunt passim motus ab sensibus omnes.
debet enim, misere si forte aegreque futurumst,

---

835 auris. || 844 Distractas || 851 repentia nostris. || 853 fumus || neque *omissum*. || adfigit || 856 Multimodi || 861 miserest

Digitized by Google

ipse quoque esse in eo tum tempore, cui male possit
accidere: id quoniam mors eximit, esseque probet
illum cui possint incommoda conciliari,
scire licet nobis nil esse in morte timendum,
nec miserum fieri qui non est posse, neque hilum
differre ante ullo fuerit iam tempore natus,
mortalem vitam mors cum inmortalis ademit.
Proinde ubi se videas hominem indignarier ipsum,
post mortem fore ut aut putescat corpore posto
aut flammis interfiat malisve ferarum,
scire licet non sincerum sonere, atque subesse
caecum aliquem cordi stimulum, quamvis neget ipse
credere se quemquam sibi sensum in morte futurum:
non, ut opinor, enim dat quod promittit et unde,
nec radicitus e vita se tollit et eicit,
sed facit esse sui quiddam super inscius ipse.
vivus enim sibi cum proponit quisque futurum,
corpus uti volucres lacerent in morte feraeque,
ipse sui miseret: neque enim se dividit illim
nec removet satis, a proiecto corpore, et illum
se fingit sensuque suo contaminat astans:
hinc indignatur se mortalem esse creatum,
nec videt in vera nullum fore morte alium se,
qui possit vivus sibi se lugere peremptum,
stansque iacentem se lacerari urive dolere.
nam si in morte malumst malis morsuque ferarum
tractari, non invenio qui non sit acerbum
ignibus inpositum calidis torrescere flammis,
aut in melle situm suffocari atque rigere

---

863 mox || prohibe. || 868 annullo anulo || 871 putes || 873 no || 877 radicitius || 880 iacerent || 886 Cui || 887 se *omissum*. || dolore. || 890 torreresecere

Digitized by Google

frigore, cum summo gelidi cubat aequore saxi,
urgerive superne obtritum pondere terrae.
'Iam iam non domus accipiet te laeta, neque uxor
895 optima nec dulces occurrent oscula nati
praeripere et tacita pectus dulcedine tangent.
non poteris factis florentibus esse, tuisque
praesidium. misero misere' aiunt 'omnia ademit
una dies infesta tibi tot praemia vitae.'
900 illud in his rebus non addunt, 'nec tibi earum
iam desiderium rerum super insidet una.'
quod bene si videant animo dictisque sequantur,
dissoluant animi magno se angore metuque.
tu quidem ut es leto sopitus, sic eris aevi
905 quod super est cunctis privatu' doloribus aegris:
at nos horrifico cinefactum te prope busto
insatiabiliter deflevimus, aeternumque
nulla dies nobis memorem e pectore demet.
illud ab hoc igitur quaerendum est, quid sit amari
910 tanto opere, ad somnum si res redit atque quietem,
cur quisquam aeterno possit tabescere luctu.
Hoc etiam faciunt ubi discubuere tenentque
pocula saepe homines et inumbrant ora coronis,
ex animo ut dicant 'brevis hic est fructus homullis:
915 iam fuerit, neque post umquam revocare licebit.'
tam quam in morte mali cum primis hoc sit eorum,
quod sitis exurat miseros atque arida torres,
aut aliae cuius desiderium insideat rei.
nec sibi enim quisquam tum se vitamque requirit,
920 cum pariter mens et corpus sopita quiescunt:
nam licet aeternum per nos sic esse soporem,
nec desiderium nostri nos adficit ullum:

---

893 obrutum || 894 Am || 897 facti || 902 Quo || 906 cinem factum || 908 et || 910 se || 914 fluctus || 917 torret. || 919 requiret. || 922 adigit

Digitized by Google

et tamen haud quaquam nostros tunc illa per artus
longe ab sensiferis primordia motibus errant,
5 cum correptus homo ex somno se colligit ipse.
multo igitur mortem minus ad nos esse putandumst;
si minus esse potest quam quod nil esse videmus:
maior enim turbae disiectus materiai
consequitur leto, nec quisquam expergitus exstat,
0 frigida quem semel est vitai pausa secuta.
Denique si vocem rerum natura repente
mittat et hoc alicui nostrum sic increpet ipsa,
'quid tibi tanto operest, mortalis, quod nimis aegris
luctibus indulges? quid mortem congemis ac fles?
5 nam gratis fuit haec tibi vita ante acta priorque,
et non omnia pertusum congesta quasi in vas
commoda perfluxere atque ingrata interiere:
cur non ut plenus vitae conviva recedis,
aequo animoque capis securam, stulte, quietem?
0 sin ea quae fructus cumque es periere profusa,
vitaque in offensust, cur amplius addere quaeris,
rursum quod pereat male et ingratum occidat omne,
non potius vitae finem facis atque laboris?
nam tibi praeterea quod machiner inveniamque,
15 quod placeat, nil est: eadem sunt omnia semper.
si tibi non annis corpus iam marcet et artus
confecti languent, eadem tamen omnia restant,
omnia si pergas vivendo vincere saecla,
atque etiam potius, si numquam sis moriturus,'
0 quid respondemus, nisi iustam intendere litem
naturam et veram verbis exponere causam?
5 grandior hic vero si iam seniorque queratur
2 atque obitum lamentetur miser amplius aequo,

---

935 haec *omissum*. || 941 offensost || 943 iacis || 945 placet || 947 languente || restat. || 948 perges || 950 si

Digitized by Google

953 non merito inclamet magis et voce increpet acri?
'aufer abhinc lacrimas, balatro, et compesce querellas.
956 omnia perfunctus vitai praemia marces:
sed quia semper aves quod abest, praesentia temnis,
inperfecta tibi elapsast ingrataque vita,
et nec opinanti mors ad caput adstitit ante
960 quam satur ac plenus possis discedere rerum.
nunc aliena tua tamen aetate omnia mitte,
aequo animoque, age dum, dignis concede: necessest.'
iure, ut opinor, agat, iure increpet inciletque:
cedit enim rerum novitate extrusa vetustas
965 semper, et ex aliis aliud reparare necessest.
nec quisquam in barathrum nec Tartara deditur atra:
materies opus est, ut crescant postera saecla;
quae tamen omnia te vita perfuncta sequentur:
nec minus ergo ante haec quam tu cecidere, cadentque.
970 sic alid ex alio numquam desistet oriri,
vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.
respice item quam nil ad nos ante acta vetustas
temporis aeterni fuerit, quam nascimur ante.
hoc igitur speculum nobis natura futuri
975 temporis exponit post mortem denique nostram.
numquid ibi horribile apparet, num triste videtur
quicquam, non omni somno securius exstat?
Atque ea, ni mirum, quae cumque Acherunte profundo
prodita sunt esse, in vita sunt omnia nobis.
980 nec miser inpendens magnum timet aëre saxum
Tantalus, ut famast, cassa formidine torpens:
sed magis in vita divom metus urget inanis
mortalis, casumque timent quem cuique ferat fors.
nec Tityon volucres ineunt Acherunte iacentem,

---

954 baratre || 958 Inperfecte || 960 discere || 962 agendum magnis || 964 Cedi || 966 baratrum

Digitized by Google

5 nec quod sub magno scrutentur pectore quicquam
perpetuam aetatem possunt reperire profecto.
quam libet immani proiectu corporis exstet,
qui non sola novem dispessis iugera membris
optineat, sed qui terrai totius orbem,
) non tamen aeternum poterit perferre dolorem
nec praebere cibum proprio de corpore semper.
sed Tityos nobis hic est, in amore iacentem
quem volucres lacerant atque exest anxius angor
aut alia quavis scindunt cuppedine curae.
5 Sisyphus in vita quoque nobis ante oculos est,
qui petere a populo fasces saevasque secures
imbibit, et semper victus tristisque recedit.
nam petere imperium, quod inanest nec datur umquam,
atque in eo semper durum sufferre laborem,
0 hoc est adverso nixantem trudere monte
saxum, quod tamen e summo iam vertice rusum
volvitur et plani raptim petit aequora campi.
deinde animi ingratam naturam pascere semper,
atque explere bonis rebus satiareque numquam,
15 quod faciunt nobis annorum tempora victum,
cum redeunt, fetusque ferunt variosque lepores,
nec tamen explemur vitai fructibus umquam,
hoc, ut opinor, id est, aevo florente puellas
quod memorant laticem pertusum congerere in vas,
0 quod tamen expleri nulla ratione potestur.
Cerberus et furiae iam vero, et lucis egenus
Tartarus horriferos eructans faucibus aestus,
quid? neque sunt usquam nec possunt esse profecto:
sed metus in vita poenarum pro male factis

---

985 quid || 988 dispersis || 992 es || 994 curpedine || 997 tristique || 999 laborem sufferre. || 1001 e *omissum*. || 1005 circum. || 1009 cogere || 1010 ulla || 1011 funae || aegestas. || 1013 Qui || 1014 paenarum

Digitized by Google

1015 est insignibus insignis, scelerisque luella,
carcer et horribilis de saxo iactu' deorsum,
verbera, carnifices, robur, pix, lammina, taedae;
quae tamen etsi absunt, at mens sibi, conscia factis,
praemetuens adhibet stimulos terretque flagellis,
1020 nec videt interea qui terminus esse malorum
possit nec quae sit poenarum denique finis,
atque eadem metuit magis haec ne in morte gravescant.
hic Acherusia fit stultorum denique vita.
Hoc etiam tibi tute inter dum dicere possis.
1025 lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit,
qui melior multis quam tu fuit, improbe, rebus.
inde alii multi reges rerumque potentes
occiderunt, magnis qui gentibus imperitarunt.
ille quoque ipse, viam qui quondam per mare magnum
1030 stravit iterque dedit legionibus ire per altum
[ac pedibus salsas docuit super ire lucunas]
et contemsit equis insultans murmura ponti,
lumine adempto animam moribundo corpore fudit.
Scipiadas, belli fulmen, Carthaginis horror,
1035 ossa dedit terrae proinde ac famul infimus esset.
adde repertores doctrinarum atque leporum,
adde Heliconiadum comites; quorum unus Homerus
sceptra potitus eadem aliis sopitu' quietest.
denique Democritum post quam matura vetustas
1040 admonuit memores motus languescere mentis,
sponte sua leto caput obvius optulit ipse.
ipse Epicurus iit decurso lumine vitae,
qui genus humanum ingenio superavit et omnis
restincxit, stellas exortus ut aetherius sol.
1045 tu vero dubitabis et indignabere obire?

1015 luela. || 1016 eorum. || 1017 iammina || 1019 torretque || 1032 insuitans || 1033 fugit. || 1038 potius || 1042 obiit || 1044 aerius

Digitized by Google

mortua cui vita est prope iam vivo atque videnti,
qui somno partem maiorem conteris aevi,
et vigilans stertis nec somnia cernere cessas,
sollicitamque geris cassa formidine mentem,
nec reperire potes tibi quid sit saepe mali, cum
ebrius urgeris multis miser undique curis
atque animi incerto fluitans errore vagaris.'
Si possent homines, proinde ac sentire videntur
pondus inesse animo, quod se gravitate fatiget,
e quibus id fiat causis quoque noscere et unde
tanta mali tam quam moles in pectore constet,
haut ita vitam agerent, ut nunc plerumque videmus
quid sibi quisque velit nescire, et quaerere semper
commutare locum, quasi onus deponere possit.
exit saepe foras magnis ex aedibus ille,
esse domi quem pertaesumst, subitoque revertit,
quippe foris nilo melius qui sentiat esse.
currit agens mannos ad villam praecipitanter,
auxilium tectis quasi ferre ardentibus instans:
oscitat extemplo, tetigit cum limina villae,
aut abit in somnum gravis atque oblivia quaerit,
aut etiam properans urbem petit atque revisit.
hoc se quisque modo fugit: at quom, scilicet, ut fit,
effugere haut potis est, ingratis haeret et odit
propterea, morbi quia causam non tenet aeger;
quam bene si videat, iam rebus quisque relictis
naturam primum studeat cognoscere rerum,
temporis aeterni quoniam, non unius horae,
ambigitur status, in quo sit mortalibus omnis
aetas, post mortem quae restat cumque manenda.

1050 quod || 1052 animo || 1061 per quem || revertit *omissum*. || 1063 praecipiter. || 1064 instas. || 1068 quem || 1069 ingratius || 1073 Aeterni temporis || 1075 manendo.

Digitized by Google

Denique tanto opere in dubiis trepidare periclis
quae mala nos subigit vitai tanta cupido?
certa quidem finis vitae mortalibus adstat,
nec devitari letum pote, quin obeamus.
1080 praeterea versamur ibidem atque insumus usque,
nec nova vivendo procuditur ulla voluptas:
sed dum abest quod avemus, id exsuperare videtur
cetera: post aliut, cum contigit illud, avemus,
et sitis aequa tenet vitai semper hiantis.
1085 posteraque in dubiost fortunam quam vehat aetas,
quidve ferat nobis casus quive exitus instet.
nec prorsum vitam ducendo demimus hilum
tempore de mortis nec delibare valemus,
quo minus esse diu possimus forte perempti.
1090 proinde licet quot vis vivendo condere saecla:
mors aeterna tamen nilo minus illa manebit,
nec minus ille diu iam non erit, ex hodierno
lumine qui finem vitai fecit, et ille,
mensibus atque annis qui multis occidit ante.

1078 Certe equidem || 1084 hientis. || 1085 fortuna || 1088 deliberare || 1089 possumus

Digitized by Google

T. LUCRETI CARI

DE RERUM NATURA

LIBER QUARTUS.

[Avia Pieridum peragro loca nullius ante
trita solo. iuvat integros accedere fontis
atque haurire, iuvatque novos decerpere flores
insignemque meo capiti petere inde coronam,
unde prius nulli velarint tempora musae;
primum quod magnis doceo de rebus et artis
religionum animum nodis exsolvere pergo,
deinde quod obscura de re tam lucida pango
carmina, musaeo contingens cuncta lepore.
id quoque enim non ab nulla ratione videtur:
nam vel uti pueris absinthia taetra medentes
cum dare conantur, prius oras, pocula circum,
contingunt mellis dulci flavoque liquore,
ut puerorum aetas inprovida ludificetur
labrorum tenus, interea perpotet amarum
absinthi laticem, deceptaque non capiatur,
sed potius tali pacto recreata valescat,

---

8 pando. || 14 Et || 17 atacto

Digitized by Google

sic ego nunc, quoniam haec ratio plerumque videtur
tristior esse quibus non est tractata, retroque
20 volgus abhorret ab hac, volui tibi suaviloquenti
carmine Pierio rationem exponere nostram
et quasi musaeo dulci contingere melle;
si tibi forte animum tali ratione tenere
versibus in nostris possem, dum percipis omnem
25 naturam rerum ac persentis utilitatem.]

Atque animi quoniam docui natura quid esset
et quibus e rebus cum corpore compta vigeret
quove modo distracta rediret in ordia prima,
nunc agere incipiam tibi, quod vementer ad has res
30 attinet, esse ea quae rerum simulacra vocamus;
quae, quasi membranae summo de corpore rerum
dereptae, volitant ultroque citroque per auras,
atque eadem nobis vigilantibus obvia mentes
terrificant atque in somnis, cum saepe figuras
35 contuimur miras simulacraque luce carentum,
quae nos horrifice languentis saepe sopore
excierunt; ne forte animas Acherunte reamur
effugere aut umbras inter vivos volitare,
neve aliquid nostri post mortem posse relinqui,
40 cum corpus simul atque animi natura perempta
in sua discessum dederint primordia quoique.

Dico igitur rerum effigias tenuisque figuras
mittier ab rebus, summo de corpore rerum,
51 quae quasi membranae vel cortex nominitandast,
quod speciem ac formam similem gerit eius imago,
cuius cumque cluet de corpore fusa vagari.
44 id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.
54 principio quoniam mittunt in rebus apertis

---

21 plerio || 41 quaeque. || 42 effugias || 43 cortice eorum. || 45 — 48 = III, 31 — 34. || 49 50 = 29 30. || 51 Qui || 53 civet || 54 mittuntur

Digitized by Google

corpora res multae, partim diffusa solute,
robora ceu fumum mittunt ignesque vaporem,
et partim contexta magis condensaque, ut olim
cum teretis ponunt tunicas aestate cicadae,
et vituli cum membranas de corpore summo
nascentes mittunt, et item cum lubrica serpens
exuit in spinis vestem: nam saepe videmus
illorum spoliis vepres volitantibus auctas:
quae quoniam fiunt, tenuis quoque debet imago
ab rebus mitti, summo de corpore rerum.
nam cur illa cadant magis ab rebusque recedant
quam quae tenvia sunt, hiscendist nulla potestas;
praesertim cum sint in summis corpora rebus
multa minuta, iaci quae possint ordine eodem
quo fuerint, et formai servare figuram,
et multo citius, quanto minus indupediri
pauca queunt et quae sunt prima fronte locata.
nam certe iacere ac largiri multa videmus,
non solum ex alto penitusque, ut diximus ante,
verum de summis ipsum quoque saepe colorem.
et volgo faciunt id lutea russaque vela
et ferrugina, cum, magnis intenta theatris,
per malos volgata trabesque trementia flutant:
namque ibi consessum caveai supter et omnem
scaenai speciem pulcram variumque decorem
inficiunt coguntque suo fluitare colore:
et quanto circum mage sunt angusta theatri
moenia, tam magis haec intus perfusa lepore
omnia conrident correpta luce diei.
ergo lintea de summo cum corpore fucum
mittunt, effigias quoque debent mittere tenvis

---

63 debe || 68 eorum. || 71 quae *omissum*. || 72 iergiri || 77 fluctus. || 79 Scaenal || patrum matrumque deorum. || 81 inclaustra

Digitized by Google

res quaeque, ex summo quoniam iaculantur utraque.
sunt igitur iam formarum vestigia certa,
quae volgo volitant suptili praedita filo
nec singillatim possunt secreta videri.
90 praeterea omnis odor, fumus, vapor, atque aliae res
consimiles, ideo diffusa e rebus abundant,
ex alto quia dum veniunt, extrinsecu' torte
scinduntur per iter flexum, nec recta viarum
ostia sunt, qua contendant exire coorta.
95 at contra tenuis summi membrana coloris
cum iacitur, nil est quod eam discerpere possit,
in promptu quoniam est in prima fronte locata.
postremo speculis in aqua splendoreque in omni
quae cumque apparent nobis simulacra, necessest,
100 quandoquidem simili specie sunt praedita rerum,
excita imaginibus missis consistere rerum:
104 sunt igitur tenues formarum illis similesque
effigiae, singillatim quas cernere nemo
cum possit tamen, adsiduo crebroque repulsu
reiectae reddunt speculorum ex aequore visum,
nec ratione alia servari posse videntur,
tanto opere ut similes reddantur cuique figurae.
110 Nunc age, quam tenui natura constet imago
percipe. et in primis, quoniam primordia tantum
sunt infra nostros sensus tantoque minora
quam quae primum oculi coeptant non posse tueri,
nunc tamen id quoque uti confirmem, exordia rerum
115 cunctarum quam sint suptilia percipe paucis.
primum animalia sunt iam partim tantula, corum
tertia pars nulla possit ratione videri.
horum intestinum quodvis quale esse putandumst!

---

90 alia || 92 ortae. || 101 Ex || eorum. || 102 103 = 65 66. || 104 dissimilesque. || 116 eorum. || 118 Harum

Digitized by Google

quid cordis globus aut oculi? quid membra? quid artus?
0 quantula sunt! quid praeterea primordia quaeque,
unde anima atque animi constet natura necessumst?
nonne vides quam sint subtilia quamque minuta?
praeterea quae cumque suo de corpore odorem
expirant acrem, panaces, absinthia taetra,
5 habrotonique graves et tristia centaurea,
quorum unum quidvis leviter si forte duobus

*

qui fulmine claro
omnia per sonitus arcet, terram, mare, caelum.

*

7 quin potius noscas rerum simulacra vagari
multa modis multis, nulla vi, cassaque sensu?
[Sed ne forte putes ea demum sola vagari,
0 quae cumque ab rebus rerum simulacra recedunt,
sunt etiam quae sponte sua gignuntur et ipsa
constituuntur in hoc caelo, qui dicitur aër,
5 quae multis formata modis sublime feruntur,
1 nec speciem mutare suam liquentia cessant
et cuiusque modi formarum vertere in oras;
3 ut nubes facile inter dum concrescere in alto
cernimus et mundi speciem violare serenam,
5 aëra mulcentes motu: nam saepe Gigantum
ora volare videntur et umbram ducere late,
inter dum magni montes avolsaque saxa
montibus ante ire et solem succedere praeter,
0 inde alios trahere atque inducere belua nimbos.]
3 Nunc ea quam facili et celeri ratione genantur
perpetuoque fluant ab rebus lapsaque cedant

---

142 horas. || 143 gerantur.

Digitized by Google

. . . . . .

145 semper enim summum quicquid de rebus abundat,
quod iaculentur. et hoc alias cum pervenit in res,
transit, ut in primis vestem: sed ubi aspera saxa
aut in materiam ligni pervenit, ibi iam
scinditur, ut nullum simulacrum reddere possit.
150 at cum splendida quae constant opposta fuerunt
densaque, ut in primis speculum est, nil accidit horum:
nam neque, uti vestem, potis est transire, neque autem
scindi; quam meminit levor praestare salutem.
qua propter fit ut hinc nobis simulacra redundent.
155 et quamvis subito, quovis in tempore, quamque
rem contra speculum ponas, apparet imago;
perpetuo fluere ut noscas e corpore summo
texturas rerum tenuis tenuisque figuras.
ergo multa brevi spatio simulacra genuntur,
160 ut merito celer his rebus dicatur origo.
et quasi multa brevi spatio summittere debet
lumina sol, ut perpetuo sint omnia plena,
sic ab rebus item simili ratione necessest
temporis in puncto rerum simulacra ferantur
165 multa modis multis in cunctas undique partis;
quandoquidem speculum quo cumque obvertimus oris,
res sibi respondent simili forma atque colore.
[Praeterea modo cum fuerit liquidissima caeli
tempestas, perquam subito fit turbida foede,
170 undique uti tenebras omnis Acherunta rearis
liquisse et magnas caeli complesse cavernas.
usque adeo taetra nimborum nocte coorta
inpendent atrae formidinis ora superne;
quorum quantula pars sit imago dicere nemost

---

150 opposita || 152 possunt || 159 geruntur.

Digitized by Google

175 qui possit, neque eam rationem reddere dictis,
179 in quem quaeque locum diverso momine tendat.]
176 Nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,
et quae mobilitas ollis tranantibus auras
reddita sit, longo spatio ut brevis hora teratur,
180 suavidicis potius quam multis versibus edam;
parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
clamor in aetheriis dispersus nubibus austri.
principio persaepe levis res atque minutis
corporibus factas celeris licet esse videre.
185 in quo iam genere est solis lux et vapor eius
propterea quia sunt e primis facta minutis,
quae quasi cuduntur perque aëris intervallum
non dubitant transire sequenti concita plaga:
suppeditatur enim confestim lumine lumen,
190 et quasi protelo stimulatur fulgere fulgur.
qua propter simulacra pari ratione necesse est
inmemorabile per spatium transcurrere posse
temporis in puncto, primum quod parvola causa
est procul a tergo quae provehat atque propellat,
196 deinde quod usque adeo textura praedita rara
mittuntur, facile ut quasvis penetrare queant res
et quasi permanare per aëris intervallum.
praeterea si quae penitus corpuscula rerum
200 ex altoque foras mittuntur, solis uti lux
ac vapor, haec puncto cernuntur lapsa diei
per totum caeli spatium diffundere sese
perque volare mare ac terras circumque rigare.
quid quae sunt igitur iam prima fronte parata?
205 cum iaciuntur et emissum res nulla moratur,
195 quod super est, ubi tam volucri levitate ferantur,
206 quone vides citius debere et longius ire

---

175 ratione || 179 numine tendit. || 178 feratur. || 203 caelumque

Digitized by Google

. . . . . .

145 semper enim summum quicquid de rebus abundat,
quod iaculentur. et hoc alias cum pervenit in res,
transit, ut in primis vestem: sed ubi aspera saxa
aut in materiam ligni pervenit, ibi iam
scinditur, ut nullum simulacrum reddere possit.
150 at cum splendida quae constant opposta fuerunt
densaque, ut in primis speculum est, nil accidit horum:
nam neque, uti vestem, potis est transire, neque autem
scindi; quam meminit levor praestare salutem.
qua propter fit ut hinc nobis simulacra redundent.
155 et quamvis subito, quovis in tempore, quamque
rem contra speculum ponas, apparet imago;
perpetuo fluere ut noscas e corpore summo
texturas rerum tenuis tenuisque figuras.
ergo multa brevi spatio simulacra genuntur,
160 ut merito celer his rebus dicatur origo.
et quasi multa brevi spatio summittere debet
lumina sol, ut perpetuo sint omnia plena,
sic ab rebus item simili ratione necessest
temporis in puncto rerum simulacra ferantur
165 multa modis multis in cunctas undique partis;
quandoquidem speculum quo cumque obvertimus oris,
res sibi respondent simili forma atque colore.
[Praeterea modo cum fuerit liquidissima caeli
tempestas, perquam subito fit turbida foede,
170 undique uti tenebras omnis Acherunta rearis
liquisse et magnas caeli complesse cavernas.
usque adeo taetra nimborum nocte coorta
inpendent atrae formidinis ora superne;
quorum quantula pars sit imago dicere nemost

---

150 opposita || 152 possunt || 159 geruntur.

Digitized by Google

175 qui possit, neque eam rationem reddere dictis,
179 in quem quaeque locum diverso momine tendat.]
176 Nunc age, quam celeri motu simulacra ferantur,
et quae mobilitas ollis tranantibus auras
reddita sit, longo spatio ut brevis hora teratur,
180 suavidicis potius quam multis versibus edam;
parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
clamor in aetheriis dispersus nubibus austri.
principio persaepe levis res atque minutis
corporibus factas celeris licet esse videre.
185 in quo iam genere est solis lux et vapor eius
propterea quia sunt e primis facta minutis,
quae quasi cuduntur perque aëris intervallum
non dubitant transire sequenti concita plaga:
suppeditatur enim confestim lumine lumen,
190 et quasi protelo stimulatur fulgere fulgur.
qua propter simulacra pari ratione necesse est
inmemorabile per spatium transcurrere posse
temporis in puncto, primum quod parvola causa
est procul a tergo quae provehat atque propellat,
196 deinde quod usque adeo textura praedita rara
mittuntur, facile ut quasvis penetrare queant res
et quasi permanare per aëris intervallum.
praeterea si quae penitus corpuscula rerum
200 ex altoque foras mittuntur, solis uti lux
ac vapor, haec puncto cernuntur lapsa diei
per totum caeli spatium diffundere sese
perque volare mare ac terras circumque rigare.
quid quae sunt igitur iam prima fronte parata?
205 cum iaciuntur et emissum res nulla moratur,
195 quod super est, ubi tam volucri levitate ferantur,
206 quone vides citius debere et longius ire

---

175 ratione || 179 numine tendit. || 178 feratur. || 203 caelumque

Digitized by Google

multiplexque loci spatium transcurrere eodem
tempore quo solis pervolgant lumina caelum?
hoc etiam in primis specimen verum esse videtur,
210 quam celeri motu rerum simulacra ferantur,
quod simul ac primum sub diu splendor aquai
ponitur, extemplo caelo stellante serena
sidera respondent in aqua radiantia mundo.
iamne vides igitur quam puncto tempore imago
215 aetheris ex oris in terrarum accidat oras?
quare etiam atque etiam mitti fateare necessest
corpora quae feriant oculos visumque lacessant:
perpetuoque fluunt certis ab rebus odores;
frigus ut a fluviis, calor ab sole, aestus ab undis
220 aequoris, exesor moerorum, litora circum:
nec variae cessant voces volitare per auras:
denique in os salsi venit umor saepe saporis,
cum mare versamur propter, dilutaque contra
cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
225 usque adeo omnibus ab rebus res quaeque fluenter
fertur et in cunctas dimittitur undique partis,
nec mora nec requies inter datur ulla fluendi,
perpetuo quoniam sentimus et omnia semper.
230 Praeterea quoniam manibus tractata figura
in tenebris quaedam cognoscitur esse eadem quae
cernitur in luce et claro candore, necessest
consimili causa tactum visumque moveri.
nunc igitur si quadratum temptamus et id nos
235 commovet in tenebris, in luci quae poterit res
accidere ad speciem quadrata, nisi eius imago?
esse in imaginibus qua propter causa videtur

---

210 motum || 213 mundi. || 216 mira || 218 fluant || 220 meororum || 222 — 228 *bis*. || 229 Cernere odorari licet et sentire sonare. || 235 Commovet et in || 237 quia

Digitized by Google

cernundi neque posse sine his res ulla videri.
nunc ea quae dico rerum simulacra feruntur
240 undique et in cunctas iaciuntur didita partis:
verum nos oculis quia solis cernere quimus,
propterea fit uti, speciem quo vertimus, omnes
res ibi eam contra feriant forma atque colore.
et quantum quaeque ab nobis res absit, imago
245 efficit ut videamus et internoscere cogit:
nam cum mittitur, extemplo protrudit agitque
aëra qui inter se cumque est oculosque locatus,
isque ita per nostras acies perlabitur omnis
et quasi perterget pupillas atque ita transit.
251 propterea fit uti videamus quam procul absit
250 res quaeque. et quanto plus aëris ante agitatur
252 et nostros oculos perterget longior aura,
tam procul esse magis res quaeque remota videtur.
scilicet, haec summe celeri ratione geruntur,
255 quale sit ut videamus, et una quam procul absit.
illud in his rebus minime mirabile habendumst,
cur, ea quae feriant oculos simulacra videri
singula cum nequeant, res ipsae perspiciantur.
ventus enim quoque paulatim cum verberat et cum
261 acre fluit frigus, non privam quamque solemus
260 particulam venti sentire et frigoris eius,
262 sed magis unorsum, fierique perinde videmus
corpore tum plagas in nostro tam quam aliquae res
verberet atque sui det sensum corporis extra.
265 praeterea lapidem digito cum tundimus, ipsum
tangimus extremum saxi summumque colorem,
nec sentimus eum tactu, verum magis ipsam
duritiem penitus saxi sentimus in alto.

---

240 dedita || 245 curat. || 246 protudit || 249 perteget || 253 revota || 261 primam || 267 ipsa.

Digitized by Google

Nunc age, cur ultra speculum videatur imago
270 percipe: nam certe penitus semota videtur
290 illis quae reddunt speculorum ex aequore visum.
271 quod genus illa, foris quae sunt, bene transpiciuntur,
ianua cum per se transpectum praebet apertum,
multa facitque foris ex aedibus ut videantur:
is quoque enim duplici geminoque fit aëre visus.
275 primus enim citra postes tum cernitur aër,
inde fores ipsae dextra laevaque secuntur,
post extraria lux oculos perterget et aër
alter, et illa, foris quae sunt, bene transpiciuntur.
sic ubi se primum speculi proiecit imago,
280 dum venit ad nostras acies, protrudit agitque
aëra qui inter se cumquest oculosque locatus,
et facit ut prius hunc omnem sentire queamus
quam speculum: sed ubi speculum quoque sensimus ipsum,
continuo a nobis iterum quae fertur imago
285 pervenit, et nostros oculos reiecta revisit,
atque alium prae se propellens aëra volvit,
et facit ut prius hunc quam se videamus, eoque
distare ab speculo tantum semota videtur.
quare etiam atque etiam minime mirarier est par,
291 aëribus binis quoniam res confit utraque.
nunc ea quae nobis membrorum dextera pars est,
in speculis fit ut in laeva videatur eo quod
planitiem ad speculi veniens cum offendit imago,
295 non convertitur incolumis, sed recta retrorsum
sic eliditur, ut siquis, prius arida quam sit
cretea persona, adlidat pilaeve trabive,
atque ea continuo rectam si fronte figuram
323 servet et elisam retro sese exprimat ipsa.

---

270 remota || 271 que vere || 277 perteget || 278 que vere || 283 inspeculum || 284 in eum || 323 lisam

Digitized by Google

fiet ita, ante oculus fuerit qui dexter, ut idem
325 nunc sit laevus, et e laevo sit mutua dexter.
fit quoque de speculo in speculum ut tradatur imago,
quinque etiam aut sex ut fieri simulacra suërint.
nam quae cumque retro parte interiore latebunt,
inde tamen, quamvis torte penitusque remota,
330 omnia per flexos aditus educta licebit
pluribus haec speculis videantur in aedibus esse.
usque adeo speculo in speculum translucet imago,
et cum laeva data est, fit rusum ut dextera fiat,
inde retro rursum redit et convertitur eodem.
335 quin etiam quae cumque latuscula sunt speculorum
adsimili lateris flexura praedita nostri,
dextera ea propter nobis simulacra remittunt,
aut quia de speculo in speculum transfertur imago,
inde ad nos elisa bis advolat, aut etiam quod
340 circum agitur, cum venit, imago propterea quod
flexa figura docet speculi convertier ad nos.
indugredi porro pariter simulacra pedemque
ponere nobiscum credas gestumque imitari
propterea quia, de speculi qua parte recedas,
345 continuo nequeunt illinc simulacra reverti;
omnia quandoquidem cogit natura referri
ac resilire ab rebus ad aequos reddita flexus.
299 Splendida porro oculi fugitant vitantque tueri:
sol etiam caecat, contra si tendere pergas,
propterea quia vis magnast ipsius, et alte
aëra per purum graviter simulacra feruntur
et feriunt oculos, turbantia compositurâs.
praeterea splendor qui cumque est acer adurit
305 saepe oculos ideo quod semina possidet ignis

---

324 Fiet ut || 327 aut *omissum*. || 328 latebit. || 334 convertit || 341 Flexea || 304 tacer ardurit.

Digitized by Google

multa, dolorem oculis quae gignunt insinuando.
lurida praeterea fiunt quae cumque tuentur
arquati, quia luroris de corpore eorum
semina multa fluunt simulacris obvia rerum,
310 multaque sunt oculis in eorum denique mixta,
quae contage sua palloribus omnia pingunt.
e tenebris autem quae sunt in luce tuemur
propterea quia, cum propior caliginis aër
ater init oculos prior et possedit apertos,
315 insequitur candens confestim lucidus aër,
qui quasi purgat eos ac nigras discutit umbras
aëris illius: nam multis partibus hic est
mobilior multisque minutior et mage pollens.
qui simul atque vias oculorum luce replevit
320 atque pate fecit, quas ante obsederat ater,
aëra continuo rerum simulacra secuntur,
quae sita sunt in luce, lacessuntque ut videamus.
348 quod contra facere in tenebris e luce nequimus
propterea quia posterior caliginis aër
350 crassior insequitur, qui cuncta foramina complet
obsiditque vias oculorum, ne simulacra
possint ullarum rerum coniecta movere.
quadratasque procul turris cum cernimus urbis,
propterea fit uti videantur saepe rutundae,
355 angulus optusus quia longe cernitur omnis,
sive etiam potius non cernitur ac perit eius
plaga nec ad nostras acies perlabitur ictus,
aëra per multum quia dum simulacra feruntur,
cogit hebescere eum crebris offensibus aër.
360 hoc ubi suffugit sensum simul angulus omnis,

---

309 mault || 313 proprior || 317 ullius || 321 Aëra *omissum*. || 351 Obsidit quia || 352 contecta moveri. || 355 optutus || 357 Plagas || ates deriabitur

Digitized by Google

fit quasi ut ad tornum saxorum structa tuamur:
non tamen ut coram quae sunt vereque rutunda,
sed quasi adumbratim paulum simulata videntur.
umbra videtur item nobis in sole moveri
5 et vestigia nostra sequi gestumque imitari;
aëra si credis privatum lumine posse
indugredi, motus hominum gestumque sequentem:
nam nil esse potest aliut nisi lumine cassus
aër id quod nos umbram perhibere suëmus.
0 ni mirum, quia terra locis ex ordine certis
lumine privatur solis qua cumque meantes.
officimus, repletur item quod liquimus eius,
propterea fit uti videatur, quae fuit umbra
corporis, e regione eadem nos usque secuta.
5 semper enim nova se radiorum lumina fundunt
primaque dispereunt, quasi in ignem lana trahatur.
propterea facile et spoliatur lumine terra,
et repletur item nigrasque sibi abluit umbras.
Nec tamen hic oculos falli concedimus hilum.
0 nam quo cumque loco sit lux atque umbra tueri
illorum est: eadem vero sint lumina necne,
umbraque quae fuit hic eadem nunc transeat illuc,
an potius fiat paulo quod diximus ante,
hoc animi demum ratio discernere debet,
5 nec possunt oculi naturam noscere rerum.
proinde animi vitium hoc oculis adfingere noli.
qua vehimur navi, fertur, cum stare videtur:
quae manet in statione, ea praeter creditur ire.
et fugere ad puppim colles campique videntur,
0 quos agimus praeter navem velisque volamus.
sidera cessare aetheriis adfixa cavernis
cuncta videntur, et adsiduo sunt omnia motu,

---

361 turnum || tuantur. || 368 aliui || 378 adluit

Digitized by Google

quandoquidem longos obitus exorta revisunt,
cum permensa suo sunt caelum corpore claro.
395 solque pari ratione manere et luna videntur
in statione, ea quae ferri res indicat ipsa.
exstant usque procul medio de gurgite montis,
classibus inter quos liber patet exitus ingens:
insula coniunctis tamen ex his una videtur.
400 atria versari et circum cursare columnae
usque adeo fit uti pueris videantur, ubi ipsi
desierunt verti, vix ut iam credere possint
non supra sese ruere omnia tecta minari.
iamque rubrum tremulis iubar ignibus erigere alte
405 cum coeptat natura supraque extollere montes,
quos tibi tum supra sol montis esse videtur
comminus ipse suo contingens fervidus igni,
vix absunt nobis missus bis mille sagittae,
vix etiam cursus quingentos saepe veruti:
410 inter eos solemque iacent immania ponti
aequora substrata aetheriis ingentibus oris,
interiectaque sunt terrarum milia multa,
quae variae retinent gentes et saecla ferarum.
at conlectus aquae digitum non altior unum,
415 qui lapides inter sistit per strata viarum,
despectum praebet sub terras inpete tanto,
a terris quantum caeli patet altus hiatus;
419 ut prope miraclo sub terras abdita caeli
418 nubila dispicere et caelum videare videre.
420 denique ubi in medio nobis ecus acer obhaesit
flumine et in rapidas amnis despeximus undas,
stantis equi corpus transversum ferre videtur
vis et in adversum flumen contrudere raptim,

---

395 videtur. || 397 Exstantisque || 406 ubi || 414 coniectus || 417 alius || 419 Corpora mirande || caelo. || 418 despicere || 421 dispeximus || 423 fulmen

Digitized by Google

et quo cumque oculos traiecimus omnia ferri
5 et fluere adsimili nobis ratione videntur.
porticus aequali quamvis est denique ductu
stansque in perpetuum paribus suffulta columnis,
longa tamen parte ab summa cum tota videtur,
paulatim trahit angusti fastigia coni,
0 tecta solo iungens atque omnia dextera laevis
donec in obscurum coni conduxit acumen.
in pelago nautis ex undis ortus in undis
sol fit uti videatur obire et condere lumen;
quippe ubi nil aliud nisi aquam caelumque tuentur;
5 ne leviter credas labefactari undique sensus.
at maris ignaris in portu clauda videntur
navigia aplustris fractis obnitier undae.
nam quae cumque supra rorem salis edita pars est
remorum, recta est, et recta superne guberna:
0 quae demersa liquorem obeunt, refracta videntur
omnia converti sursumque supina reverti
et reflexa prope in summo fluitare liquore.
raraque per caelum cum venti nubila portant
tempore nocturno, tum splendida signa videntur
5 labier adversum nimbos atque ire superne
longe aliam in partem ac vera ratione feruntur.
at si forte oculo manus uni subdita supter
pressit eum, quodam sensu fit uti videantur
omnia, quae tuimur, fieri tum bina tuendo,
0 bina lucernarum florentia lumina flammis,
binaque per totas aedis geminare supellex,
et duplicis hominum facies et corpora bina.
denique cum suavi devinxit membra sopore
somnus et in summa corpus iacet omne quiete,

---

429 cogni. || 436 A || 437 factas || undas. || 440 liquore || 446 aque ratione || 448 ut || 453 sua videt vinxit

Digitized by Google

455 tum vigilare tamen nobis et membra movere
nostra videmur, et in noctis caligine caeca
cernere censemus solem lumenque diurnum,
conclusoque loco caelum mare flumina montis
mutare et campos pedibus transire videmur,
460 et sonitus audire, severa silentia noctis
undique cum constent, et reddere dicta tacentes.
cetera de genere hoc miracli multa videmus,
quae violare fidem quasi sensibus omnia quaerunt,
ne quiquam, quoniam pars horum maxima fallit
465 propter opinatus animi, quos addimus ipsi,
pro visis ut sint quae non sunt sensibu' visa:
nam nil aegrius est quam res secernere apertas
ab dubiis, animus quas ab se protinus addit.
Denique nil sciri siquis putat, id quoque nescit
470 an sciri possit, quoniam nil scire fatetur.
hunc igitur contra mittam contendere causam,
qui capite ipse sua in statuit vestigia sese.
et tamen hoc quoque uti concedam scire, at id ipsum
quaeram, cum in rebus veri nil viderit ante,
475 unde sciat quid sit scire et nescire vicissim,
notitiam veri quae res falsique crearit,
et dubium certo quae res differre probarit.
invenies primis ab sensibus esse creatam
notitiem veri, neque sensus posse refelli.
480 nam maiore fide debet reperirier illud,
sponte sua veris quod possit vincere falsa:
quid maiore fide porro quam sensus haberi
debet? an ab sensu falso ratio orta valebit
dicere eos contra, quae tota ab sensibus orta est?
485 qui nisi sunt veri, ratio quoque falsa fit omnis.

---

456 videatur || 460 montis. || 462 mirande || 471 mituam || 472 suo || 475 vicissem. || 479 sensu

Digitized by Google

an poterunt oculos aures reprehendere, an aures
tactus? an hunc porro tactum sapor arguet oris,
an confutabunt nares oculive revincent?
non, ut opinor, ita est. nam seorsum cuique potestas
divisast, sua vis cuiquest, ideoque necesse est
et quod molle sit et gelidum fervensve seorsum
et seorsum varios rerum sentire colores,
et quae cumque coloribu' sint coniuncta videre:
seorsus item sapor oris habet vim, seorsus odores
nascuntur, sorsum sonitus. ideoque necesse est
non possint alios alii convincere sensus.
nec porro poterunt ipsi reprehendere sese,
aequa fides quoniam debebit semper haberi.
proinde quod in quoquest his visum tempore, verumst.
et si non poterit ratio dissolvere causam,
cur ea quae fuerint iuxtim quadrata, procul sint
visa rutunda, tamen praestat rationis egentem
reddere mendose causas utriusque figurae,
quam manibus manifesta suis emittere quoquam
et violare fidem primam et convellere tota
fundamenta quibus nixatur vita salusque.
non modo enim ratio ruat omnis, vita quoque ipsa
concidat extemplo, nisi credere sensibus ausis,
praecipitisque locos vitare et cetera quae sint
in genere hoc fugienda, sequi contraria quae sint.
illa tibi est igitur verborum copia cassa
omnis, quae contra sensus instructa paratast.
denique ut in fabrica, si pravast regula prima,
normaque si fallax rectis regionibus exit,
et libella aliqua si ex parti claudicat hilum,

---

486 poterit || 491 videri. || 493 necessest. || 495 Nascantur || 496 possunt || 498 Aeque || 500 poteris || 501 iustim quadratam || 502 egentim. || 514 sibi

Digitized by Google

omnia mendose fieri atque obstipa necesse est
prava cubantia prona supina atque absona tecta,
iam ruere ut quaedam videantur velle, ruantque
prodita iudiciis fallacibus omnia primis,
520 sic igitur ratio tibi rerum prava necessest
falsaque sit, falsis quae cumque ab sensibus ortast.
Nunc alii sensus quo pacto quisque suam rem
sentiat, haud quaquam ratio scruposa relicta est.
Principio auditur sonus et vox omnis, in auris
525 insinuata suo pepulere ubi corpore sensum.
corpoream vocem quoque enim constare fatendumst
et sonitum, quoniam possunt inpellere sensus.
praeterea radit vox fauces saepe, facitque
asperiora foras gradiens arteria clamor.
530 quippe, per angustum turba maiore coorta
ire foras ubi coeperunt primordia vocum,
scilicet, expleti quoque ianua raditur oris.
haud igitur dubiumst quin voces verbaque constent
corporeis e principiis, ut laedere possint.
535 nec te fallit item quid corporis auferat et quid
detrahat ex hominum nervis ac viribus ipsis
perpetuus sermo nigrai noctis ad umbram
aurorae perductus ab exoriente nitore,
praesertim si cum summost clamore profusus.
540 ergo corpoream vocem constare necessest,
multa loquens quoniam amittit de corpore partem.
551 asperitas autem vocis fit ab asperitate
principiorum, et item levor levore creatur:
542 nec simili penetrant auris primordia forma,
cum tuba depresso graviter sub murmure mugit
et reboat raucum regio cita barbara bombum,

517 Parva || 526 Corporea || vocem *omissum*. || 532 expletis || 552 levo letiore || 543 murmura || 544 revorat || retro

Digitized by Google

et cycni tortis convallibus ex Heliconis
cum liquidam tollunt lugubri voce querellam.
Hasce igitur penitus voces cum corpore nostro
exprimimus rectoque foras emittimus ore,
mobilis articulat verborum daedala lingua,
formaturaque labrorum pro parte figurat.
hoc ubi non longum spatiumst unde una profecta
perveniat vox quaeque, necessest verba quoque ipsa
plane exaudiri discernique articulatim:
servat enim formaturam servatque figuram.
at si inter positum spatium sit longius aequo,
aëra per multum confundi verba necessest
et conturbari vocem, dum transvolat auras.
ergo fit, sonitum ut possis sentire, neque illam
internoscere, verborum sententia quae sit:
usque adeo confusa venit vox inque pedita.
praeterea verbum saepe unum perciet auris
omnibus in populo, missum praeconis ab ore.
in multas igitur voces vox una repente
diffugit, in privas quoniam se dividit auris,
obsignans formam verbi clarumque sonorem.
at quae pars vocum non auris incidit ipsas,
praeter lata perit frustra diffusa per auras:
pars, solidis adlisa, locis reiecta sonorem
reddit et inter dum frustratur imagine verbi.
quae bene cum videas, rationem reddere possis
tute tibi atque aliis, quo pacto per loca sola
saxa paris formas verborum ex ordine reddant,
palantis comites com montis inter opacos
quaerimus et magna dispersos voce ciemus.
sex etiam aut septem loca vidi reddere voces,

---

545 Et validis necti tortis ex || 548 mittimus || 549 nervorum || 553 illa || 567 verbis || 570 lopis || 576 magnas || 577 videre odore vocis.

Digitized by Google

unam cum iaceres: ita colles collibus ipsi
verba repulsantes iterabant docta referri.
580 haec loca capripedes satyros nymphasque tenere
finitimi fingunt, et faunos esse locuntur,
quorum noctivago strepitu ludoque iocanti
adfirmant volgo taciturna silentia rumpi,
chordarumque sonos fieri, dulcisque querellas,
585 tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
et genus agricolum late sentiscere, quom Pan
pinea sémiferi capitis velamina quassans
unco saepe labro calamos percurrit hiantis,
fistula silvestrem ne cesset fundere musam.
590 cetera de genere hoc monstra ac portenta loquontur,
ne loca deserta ab divis quoque forte putentur
sola tenere. ideo iactant miracula dictis,
aut aliqua ratione alia ducuntur, ut omne
humanum genus est avidum nimi' miraclorum.
595 Quod super est, non est mirandum qua ratione,
per loca quae nequeunt oculi res cernere apertas,
haec loca per voces veniant aurisque lacessant,
conloquium clausis foribus quoque saepe ubi demus;
ni mirum, quia vox per flexa foramina rerum
600 inçolumis transire potest, simulacra renutant:
perscinduntur enim, nisi recta foramina tranant,
qualia sunt vitrei, species qua travolat omnis.
praeterea partis in cunctas dividitur vox,
ex aliis aliae quoniam gignuntur, ubi una
605 dissiluit semel in multas exorta, quasi ignis
saepe solet scintilla suos se spargere in ignis.
ergo replentur loca vocibus, abdita retro

---

579 dicta || 581 faunes || 582 locanti. || 587 ullamina || 590 Petere || 594 auricularum. || 598 saepe videmus. || 600 renuntant. || 603 cuncta || 604 ubina.

Digitized by Google

omnia quae circum feriunt, sonituque cientur.
at simulacra viis derectis omnia tendunt
ut sunt missa semel; qua propter cernere nemo
saepem intra potis est, at voces accipere extra.
et tamen ipsa quoque haec, dum transit clausa domorum,
vox optunditur atque auris confusa penetrat,
et sonitum potius quam verba audire videmur.
Nec, qui sentimus sucum, lingua atque palatum
plusculum habent in se rationis plus operaeve.
principio sucum sentimus in ore, cibum cum
mandendo exprimimus, ceu plenam spongiam aquai
siquis forte manu premere ac siccare coëpit.
inde quod exprimimus per caulas omne palati
diditur et rarae perplexa foramina linguae.
hoc ubi levia sunt manantis corpora suci,
suaviter attingunt et suaviter omnia tractant,
umida linguai circum sidentia templa:
at contra pungunt sensum lacerantque coorta,
quanto quaeque magis sunt asperitate repleta.
deinde voluptas est e suco fine palati:
cum vero deorsum per fauces praecipitavit,
nulla voluptas est, dum diditur omnis in artus.
nec refert quicquam quo victu corpus alatur,
dum modo quod capias concoctum didere possis
artubus et stomachi umidulum servare tenorem.
Nunc aliis alius qui sit cibus unicus aptus
expediam, quareve, aliis quod triste et amarumst,
hoc tamen esse aliis possit perdulce videri,
tantaque in his rebus distantia differitasque,
ut quod ali cibus est aliis fuat acre venenum;

---

608 fuerunt || 609 vis || 611 Saepe supra || 612 domorum *omissum*. || 615 Hoc || 616 opere. || 622 manantes || 624 Umidai lingua || sudantia || 631 posses. || 632 umidum || 633 ut videamus. || 636 in *omissum*. || est. || 637 aliis cibus || fruat

Digitized by Google

est aliquae ut serpens, hominis quae tacta salivis
disperit ac sese mandendo conficit ipsa.
640 praeterea nobis veratrum est acre venenum,
at capris adipes et coturnicibus auget.
ut quibus id fiat rebus cognoscere possis,
principio meminisse decet quae diximus ante,
semina multimodis in rebus mixta teneri.
645 porro omnes quae cumque cibum capiunt animantes,
ut sunt dissimiles extrinsecus et generatim
extima membrorum circum caesura coërcet,
proinde ex seminibus constant variante figura.
semina cum porro distent, differre necessest
650 intervalla viasque, foramina quae perhibemus,
omnibus in membris et in ore ipsoque palato:
esse minora igitur quaedam maioraque debent,
esse triquetra aliis, aliis quadrata necessest,
multa rutunda, modis multis multangula quaedam.
655 namque figurarum ratio ut motusque reposcunt,
proinde foraminibus debent differre figurae,
et variare viae proinde ac textura coërcet.
hoc ubi quod suave est aliis aliis fit amarum,
illi, cui suave est, levissima corpora debent
660 contractabiliter caulas intrare palati,
at contra quibus est eadem res intus acerba,
aspera, ni mirum, penetrant hamataque fauces.
671 utraque enim sunt in mellis commixta sapore;
id quod iam supera tibi saepe ostendimus ante.
663 nunc facile est ex his rebus cognoscere quaeque:
quippe, ubi cui febris bili superante coorta est
665 aut alia ratione aliquast vis excita morbi,
perturbatur ibi iam totum corpus, et omnes

---

638 itaque || 641 cocturnicibus || 642 Id || ut || 648 et || variantque || 659 corpore || 660 caudas || 662 nimorum

Digitized by Google

commutantur ibi positurae principiorum;
ut prius ad sensum quae corpora conveniebant
nunc non conveniant, et cetera sint magis apta,
quae penetrata queunt sensum progignere acerbum.
Nunc age, quo pacto naris adiectus odoris
tangat agam. primum res multas esse necessest
unde fluens volvat varius se fluctus odorum,
et fluere et mitti volgo spargique putandumst:
verum aliis alius magis est animantibus aptus,
dissimilis propter formas. ideoque per auras
mellis apes quamvis longe ducuntur odore,
volturiique cadaveribus: tum fissa ferarum
ungula quo tulerit gressum permissa canum vis
dicit, et humanum longe praesentit odorem
Romulidarum arcis servator, candidus anser.
sic aliis alius nidor datus ad sua quemque
pabula ducit et a tetro resilire veneno
cogit, eoque modo servantur saecla ferarum.
Hic odor ipse igitur, naris qui cumque lacessit,
est alio ut possit permitti longius alter:
sed tamen haud quisquam tam longe fertur eorum
quam sonitus, quam vox, mitto iam dicere quam res
quae feriunt oculorum acies visumque lacessunt.
errabundus enim tarde venit, ac perit ante
paulatim facilis distractus in aëris auras;
ex alto primum quia vix emittitur ex re:
nam penitus fluere atque recedere rebus odores
significat quod fracta magis redolere videntur
omnia, quod contrita, quod igni conlabefacta:
deinde videre licet maioribus esse creatum
principiis quam vox, quoniam per saxea saepta

---

668 Fit || 677 alius et || 680 Volturique || 681 promissa || 682 Ducit || 696 redolore || 698 creatam.

Digitized by Google

700 non penetrat, qua vox volgo sonitusque feruntur.
quare etiam quod olet non tam facile esse videbis
investigare in qua sit regione locatum:
refrigescit enim cunctando plaga per auras,
nec calida ad sensum decurrunt nuntia rerum.
705 errant saepe canes itaque et vestigia quaerunt.
[Nec tamen hoc solis in odoribus atque saporum
in generest, sed item species rerum atque colores
non ita conveniunt ad sensus omnibus omnes,
ut non sint aliis quaedam magis acria visu.
710 quin etiam gallum, noctem explaudentibus alis
auroram clara consuetum voce vocare,
noenu queunt rabidi contra constare leones
inque tueri: ita continuo meminere fugai,
ni mirum, quia sunt gallorum in corpore quaedam
715 semina, quae cum sunt oculis inmissa leonum,
pupillas inter fodiunt acremque dolorem
praebent, ut nequeant contra durare feroces;
cum tamen haec nostras acies nil laedere possint,
aut quia non penetrant, aut quod penetrantibus illis
720 exitus ex oculis liber datur, in remorando
laedere ne possint ex ulla lumina parte.]
Nunc age, quae moveant animum res accipe, et unde
quae veniunt veniant in mentem percipe paucis.
principio hoc dico, rerum simulacra vagari
725 multa modis multis in cunctas undique partis
tenvia, quae facile inter se iunguntur in auris,
obvia cum veniunt, ut aranea bratteaque auri.
quippe etenim multo magis haec sunt tenvia textu
quam quae percipiunt oculos visumque lacessunt,
730 corporis haec quoniam penetrant per rara, cientque
tenvem animi naturam intus sensumque lacessunt.

---

710 Qum || explondentibus || 712 rapidi || 719 ilus. || 721 villa || 730 ara

Digitized by Google

Centauros itaque et Scyllarum membra videmus,
Cerbereasque canum facies, simulacraque eorum
quorum morte obita tellus amplectitur ossa;
omne genus quoniam passim simulacra feruntur,
partim sponte sua quae fiunt aëre in ipso,
partim quae variis ab rebus cumque recedunt
et quae confiunt ex horum facta figuris.
nam certe ex vivo Centauri non fit imago,
nulla fuit quoniam talis natura animalis:
verum ubi equi casu atque hominis convenit imago,
haerescit facile extemplo, quod diximus ante,
propter subtilem naturam et tenvia texta.
cetera de genere hoc eadem ratione creantur.
quae cum mobiliter summa levitate feruntur,
ut prius ostendi, facile uno commovet ictu
quae libet una animum nobis subtilis imago:
tenvis enim mens est et mire mobilis ipsa.
Haec fieri ut memoro, facile hinc cognoscere possis.
qua tenus hoc simile est illi, quod mente videmus
atque oculis, simili fieri ratione necesse est.
nunc igitur quoniam docui me forte leonem
cernere per simulacra, oculos quae cumque lacessunt,
scire licet mentem simili ratione moveri,
per simulacra leonem et cetera quae videt aeque
nec minus atque oculi, nisi quod mage tenvia cernit.
nec ratione alia, cum somnus membra profudit,
mens animi vigilat, nisi quod simulacra lacessunt
haec eadem nostros animos quae cum vigilamus,
usque adeo, certe ut videamur cernere eum quem
reddita pro vita iam mors et terra potitast.

---

735 Omnigenus || 736 flunt || 740 anima. || 741 atque homines casu || 743 tenua || 752 docui quoniam || leonum. || 755 leonum cetera || 756 oculi atque || 760 que. || 761 pro *omissum*.

Digitized by Google

hoc ideo fieri cogit natura, quod omnes
corporis offecti sensus per membra quiescunt
nec possunt falsum veris convincere rebus.
765 praeterea meminisse iacet languetque sopore,
nec dissentit eum mortis letique potitum
iam pridem, quem mens vivom se cernere credit.
quod super est, non est mirum simulacra moveri
bracchiaque in numerum iactare et cetera membra.
770 nam fit ut in somnis facere hoc videatur imago:
quippe, ubi prima perit alioque est altera nata
inde statu, prior hic gestum mutasse videtur.
scilicet, id fieri celeri ratione putandumst:
tanta est mobilitas et rerum copia tanta,
775 tantaque sensibili quovis est tempore in uno
copia particularum, ut possit suppeditare.
[Multaque in his rebus quaeruntur, multaque nobis
clarandumst, plane si res exponere avemus.
quaeritur in primis quare, quod cuique libido
780 venerit, extemplo mens cogitet eius id ipsum.
anne voluntatem nostram simulacra tuentur,
et simul ac volumus nobis occurrit imago?
795 quod sentimus id est, cum vox emittitur una,
783 si mare, si terram cordist, si denique caelum?
conventus hominum, pompam, convivia, pugnas,
785 omnia sub verbone creat natura paratque?
cum praesertim aliis eadem in regione locoque
longe dissimilis animus res cogitet omnis.
quid porro, in numerum procedere cum simulacra
cernimus in somnis et mollia membra movere,
790 mollia, mobiliter cum alternis bracchia mittunt
et referunt oculis gestum pede convenienti?
scilicet, arte madent simulacra et docta vagantur,

---

766 litique. || 795 Consentimus || 791 repetunt

Digitized by Google

nocturno facere ut possint in tempore ludos.
an magis illud erit verum? quia tempore in uno
tempora multa latent, ratio quae comperit esse,
propterea fit uti quovis in tempore quaeque
presto sint simulacra locis in quisque parata.
et quia tenvia sunt, nisi se contendit, acute
cernere non potis est animus: proinde omnia quae sunt
praeterea pereunt, nisi si quae ad se ipse paravit.
ipse parat sese porro, speratque futurum
ut videat quod consequitur rem quamque: fit ergo.
nonne vides oculos etiam, cum tenvia quae sunt
cernere coeperunt, contendere se atque parare,
nec sine eo fieri posse ut cernamus acute?
et tamen in rebus quoque apertis noscere possis,
si non advertas animum, proinde esse quasi omni
tempore semotum fuerit longeque remotum.
cur igitur mirumst, animus si cetera perdit
praeter quam quibus est in rebus deditus ipse?
deinde adopinamur de signis maxima parvis,
ac nos in fraudem induimus frustraminis ipsi.]
Fit quoque ut inter dum non suppeditetur imago
eiusdem generis, sed femina quae fuit ante,
in manibus vir uti factus videatur adesse,
aut alia ex alia facies aetasque sequatur.
quod ne miremur sopor atque oblivia curant.
[Illud in his vitium vementer rebu' necessest
effugere, errorem vitareque praemetuenter,
lumina ne facias oculorum clara creata,
prospicere ut possemus, et ut proferre queamus

---

798 sin || locos || 799—801 = 774 771 772. || 802 nisi que || 804 si *omissum*. || ex || 805 futuram. || 808 = 804. || 811 nocere || 815 Praeterea || 818 nos || 820 virtuti || 822 his rebus vitium vehementer inesse. || 823 ultareque || 825 possimus || via.

Digitized by Google

827 proceros passus, ideo fastigia posse
surarum ac feminum pedibus fundata plicari,
bracchia tum porro validis ex apta lacertis
830 esse manusque datas utraque ex parte ministras,
ut facere ad vitam possemus quae foret usus.
cetera de genere hoc inter quae cumque pretantur,
omnia perversa praepostera sunt ratione,
nil ideo quoniam natumst in corpore ut uti
835 possemus, sed quod natumst id procreat usum.
nec fuit ante videre oculorum lumina natum,
nec dictis orare prius quam lingua creatast,
sed potius longe linguae praecessit origo
sermonem, multoque creatae sunt prius aures
840 quam sonus est auditus, et omnia denique membra
ante fuere, ut opinor, eorum quam foret usus:
haud igitur potuere utendi crescere causa.
at contra conferre manu certamina pugnae
et lacerare artus foedareque membra cruore
845 ante fuit multo quam lucida tela volarent,
et volnus vitare prius natura coëgit
quam daret obiectum parmai laeva per àrtem.
scilicet, et fessum corpus mandare quieti
multo antiquius est quam lecti mollia strata,
850 et sedare sitim prius est quam pocula natum.
haec igitur possunt utendi cognita causa
credier, ex usu quae sunt vitaque reperta.
illa quidem seorsum sunt omnia, quae prius ipsa
nata dedere suae post notitiam utilitatis.
855 quo genere in primis sensus et membra videmus;
quare etiam atque etiam procul est ut credere possis
utilitatis ob officium potuisse creari.]

---

829 Bacchia || 830 ex *omissum*. || 836 nata. || 843 conserre || 847 parmat || 856 pocul

Digitized by Google

[Illud item non est mirandum, corporis ipsa
quod natura cibum quaerit cuiusque animantis.
quippe etenim fluere atque recedere corpora rebus
multa modis multis docui, sed plurima debent
ex animalibu'; quae quia sunt exercita motu,
multa per os exhalantur, cum languida anhelant,
multaque per sudorem ex alto pressa feruntur.
his igitur rebus rarescit corpus et omnis
subruitur natura; dolor quam consequitur rem.
propterea capitur cibus, ut suffulciat artus
et recreet vires inter datus, atque patentem
per membra ac venas ut amorem opturet edendi.
umor item discedit in omnia quae loca cumque
poscunt umorem: glomerataque multa vaporis
corpora, quae stomacho praebent incendia nostro,
dissupat adveniens liquor ac restinguit ut ignem,
urere ne possit calor amplius aridus artus.
sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro
abluitur, sic expletur ieiuna cupido.]

Nunc qui fiat uti passus proferre queamus,
cum volumus, varieque datum sit membra movere,
et quae res tantum hoc oneris protrudere nostri
corporis insuerit, dicam: tu percipe dicta.
dico animo nostro primum simulacra meandi
accidere atque animum pulsare, ut diximus ante.
inde voluntas fit: neque enim facere incipit ullam
rem quisquam, quam mens providit quid velit ante.
id quod providet, illius rei constat imago.
ergo animus cum sese ita commovet ut velit ire
inque gredi, ferit extemplo quae in corpore toto,
per membra atque artus, animai dissita vis est:

---

862 quae *omissum*. || 876 ieluna || 877 flat || quemus. || 878 vareque || 879 onoris || 884 quam *omissum*. || 885 constare || 886 Ego

Digitized by Google

et facilest factu, quoniam coniuncta tenetur.
890 inde ea proporro corpus ferit, atque ita tota
paulatim moles protruditur atque movetur.
praeterea tum rarescit quoque corpus, et aër,
scilicet, ut debet qui semper mobilis extat,
per patefacta venit penetratque foramina largus,
895 et dispargitur ad partis ita quasque minutas
corporis. hic igitur rebus fit utrimque duabus,
corporis ut navis velis ventoque feratur.
nec tamen illud in his rebus mirabile constat,
tantula quod tantum corpus corpuscula possunt
900 contorquere et onus totum convertere nostrum:
quippe etenim ventus suptili corpore tenvis
trudit agens magnam magno molimine navem,
et manus una regit quanto vis impete euntem
atque gubernaclum contorquet quo libet unum,
905 multaque, per trocleas et tympana, pondera magna
commovet atque levi sustollit machina nisu.
Nunc quibus ille modis somnus per membra quietem
inriget atque animi curas e pectore solvat,
suavidicis potius quam multis versibus edam;
910 parvus ut est cycni melior canor, ille gruum quam
clamor in aetheriis dispersus nubibus austri.
tu mihi da tenuis aures animumque sagacem,
ne fieri negites quae dicam posse, retroque
vera repulsanti discedas pectore dicta,
915 tutemet in culpa cum sis neque cernere possis.
principio somnus fit ubi est distracta per artus
vis animae partimque foras eiecta recessit
et partim contrusa magis concessit in altum:
dissoluuntur enim tum demum membra fluuntque.

---

889 factum || 890 perit || 897 utac || 899 Tantuia || 905 pondere magno.
907 modi || quiete. || 909 Suautdicis || 915 Tutimet

Digitized by Google

nam dubium non est, animai quin opera sit
sensus hic in nobis, quem cum sopor inpedit esse,
tum nobis animam perturbatam esse putandumst
eiectamque foras; non omnem: namque iaceret
aeterno corpus perfusum frigore leti.
quippe, ubi nulla latens animai pars remaneret
in membris, cinere ut multa latet obrutus ignis,
unde reconflari sensus per membra repente
posset, ut ex igni caeco consurgere flamma?
Sed quibus haec rebus novitas confiat, et unde
perturbari anima et corpus languescere possit,
expediam: tu fac ne ventis verba profundam.
principio externa corpus de parte necessum est,
aëriis quoniam vicinum tangitur auris,
tundier atque ab ibus crebro pulsarier ictu,
proptereaque fere res omnes aut corio sunt
aut etiam conchis aut callo aut cortice tectae.
interiorem etiam partem spirantibus aër
verberat hic idem, cum ducitur atque rèflatur.
quare utrimque secus cum corpus vapulet, et cum
perveniant plagae per parva foramina nobis
corporis ad primas partis elementaque prima,
fit quasi paulatim nobis per membra ruina.
conturbantur enim positurae principiorum
corporis atque animi. fit uti pars inde animai
eiciatur, et introrsum pars abdita cedat,
pars etiam distracta per artus non queat esse
coniuncta inter se neque motu mutua fungi:
inter enim saepit coetus natura viasque:
ergo sensus abit mutatis motibus alte.
et quoniam non est quasi quod suffulciat artus,
debile fit corpus, languescuntque omnia membra,

---

928 Possit || 929 conflat || 934 atque eius || 936 gallo || 945 Eliciatur

Digitized by Google

bracchia palpebraeque cadunt, poplitesque cubanti
saepe tamen summittuntur virisque resolvunt.
deinde cibum sequitur somnus, quia, quae facit aër,
955 haec eadem cibus, in venas dum diditur omnis,
efficit. et multo sopor ille gravissimus exstat,
quem satur aut lassus capias, quia plurima tum se
corpora conturbant magno contusa labore.
fit ratione eadem coniectus partim animai
960 altior, atque foras eiectus largior eius,
et divisior inter se ac distractior actus.

Et quo quisque fere studio devinctus adhaeret,
aut quibus in rebus multum sumus ante morati
atque in ea ratione fuit contenta magis mens,
965 in somnis eadem plerumque videmur obire;
causidici causas agere et componere leges,
induperatores pugnare ac proelia obire,
nautae contractum cum ventis degere bellum,
nos agere hoc autem et naturam quaerere rerum
970 semper et inventam patriis exponere chartis.
cetera sic studia atque artes plerumque videntur
in somnis animos hominum frustrata tenere.
et qui cumque dies multos ex ordine ludis
adsiduas dederunt operas, plerumque videmus,
975 cum iam destiterunt ea sensibus usurpare,
relicuas tamen esse vias in mente patentis,
qua possint eadem rerum simulacra venire:
per multos itaque illa dies eadem obversantur
ante oculos, etiam vigilantes ut videantur
980 cernere saltantis et mollia membra moventis,
et citharae liquidum carmen chordasque loquentis
auribus accipere, et consessum cernere eundem
scenaique simul varios splendere decores.

---

959 parte || 961 intus. || 982 consensum || 983 Scenatque

Digitized by Google

usque adeo magni refert studium atque voluptas,
5 et quibus in rebus consuerint esse operati
non homines solum sed vero animalia cuncta.
quippe videbis equos fortis, cum membra iacebunt,
in somnis sudare tamen spirareque semper
et quasi de palma summas contendere viris
0 aut quasi carceribus patefactis . . . . . .
0 venantumque canes in molli saepe quiete
1 iactant crura tamen subito vocesque repente
mittunt et crebro redducunt naribus auras,
ut vestigia si teneant inventa ferarum,
expergefactique secuntur inania saepe
5 cervorum simulacra, fugae quasi dedita cernant,
donec discussis redeant erroribus ad se.
at consueta domi catulorum blanda propago
discutere et corpus de terra corripere instant
04 proinde quasi ignotas facies atque ora tuantur.
et quo quaeque magis sunt aspera seminiorum,
tam magis in somnis eadem saevire necessust:
at variae fugiunt volucres pinnisque repente
sollicitant divom nocturno tempore lucos,
accipitres somno in leni si proelia pugnas
10 edere sunt persectantes visaeque volantes.
porro hominum mentes, magnis qui mentibus edunt
magna, itidem saepe in somnis faciuntque geruntque,
reges expugnant, capiuntur, proelia miscent,
tollunt clamorem, quasi si iugulentur ibidem.
15 multi depugnant gemitusque doloribus edunt,
et quasi pantherae morsu saevive leonis
mandantur magnis clamoribus omnia complent,

984 voluntas. || 989 palmas || 990 saepe quiete. || 991 vocisque || 995 fuga || ddita || 996 terroribus || 1000 — 1003 = 991 — 994. || 1011 que montibus || 1013 exipugnant

Digitized by Google

multi de magnis per somnum rebu' loquuntur,
indicioque sui facti persaepe fuere.
1020 multi mortem obeunt. multi, de montibus altis
ut qui praecipitent ad terram corpore toto,
externantur, et ex somno quasi mentibu' capti
vix ad se redeunt, permoti corporis aestu.
flumen item sitiens aut fontem propter amoenum
1025 adsidet et totum prope faucibus occupat amnem.
puri saepe lacum propter sei ac dolia curta
somno devincti credunt se extollere vestem,
totius umorem saccatum corpori' fundunt,
cum Babylonica magnifico splendore rigantur.
1030 tum quibus aetatis freta primitus insinuatur
semen, ubi ipsa dies membris matura creavit,
conveniunt simulacra foris e corpore quodam,
nuntia praeclari voltus pulchrique coloris,
qui ciet inritans loca turgida semine multo,
1035 ut quasi transactis saepe omnibu' rebu' profundant
fluminis ingentis fluctus vestemque cruentent.
Sollicitatur id e nobis, quod diximus ante,
semen, adulta aetas cum primum roborat artus.
namque alias aliud res commovet atque lacessit:
1040 ex homine humanum semen ciet una hominis vis.
quod simul atque suis eiectum sedibus exit,
per membra atque artus decedit corpore toto,
in loca conveniens nervorum certa, cietque
continuo partis genitalis corporis ipsas.
1045 inritata tument loca semine, fitque voluntas
eicere id quo se contendit dira lubido,
1048 idque petit corpus, mens unde est saucia amore:

1022 Exterruntur || 1026 iacum || se || 1032 quoque. || 1033 colores. || 1034 Quae || 1035 Et || 1036 cruentet. || 1037 e *omissum*. || 1038 advita || 1047 = 1034.

Digitized by Google

namque omnes plerumque cadunt in vulnus, et illam
emicat in partem sanguis, unde icimur ictu,
et si comminus est, hostem ruber occupat umor.
sic igitur Veneris qui telis accipit ictus,
sive puer membris muliebribus hunc iaculatur
seu mulier toto iactans e corpore amorem,
unde feritur, eo tendit, gestitque coire
et iacere umorem in corpus de corpore ductum:
namque voluptatem praesagit muta cupido.

Haec Venus est nobis: hinc autemst momen amoris,
hinc illaec. primum Veneris dulcedinis in cor
stillavit gutta, et successit frigida cura:
nam si abest quod aves, presto simulacra tamen sunt
illius et nomen dulce obversatur ad auris.
sed fugitare decet simulacra et pabula amoris
absterrere sibi atque alio convertere mentem
et iacere umorem conlectum in corpora quaeque,
nec retinere, semel conversum unius amore,
et servare sibi curam certumque dolorem:
ulcus enim vivescit et inveterascit alendo,
inque dies gliscit furor atque erumna gravescit,
si non prima novis conturbes volnera plagis
volgivagaque vagus Venere ante recentia cures
aut alio possis animi traducere motus.

Nec Veneris fructu caret is qui vitat amorem,
sed potius quae sunt sine poena commoda sumit:
nam certe purast sanis magis inde voluptas
quam miseris. etenim potiundi tempore in ipso
fluctuat incertis erroribus ardor amantum,
nec constat quid primum oculis manibusque fruantur.
quod petiere, premunt arte, faciuntque dolorem

1058 nomen || 1059 ille || 1061 Namst || ames || 1065 coniectum || 1068 Vicus

Digitized by Google

1080 corporis, et dentes inlidunt saepe labellis,
osculaque adfligunt, quia non est pura voluptas
et stimuli subsunt, qui instigant laedere id ipsum,
quod cumque est, rabies unde illaec germina surgunt.
sed leviter poenas frangit Venus inter amorem,
1085 blandaque refrenat morsus admixta voluptas.
namque in eo spes est, unde est ardoris origo,
restingui quoque posse ab eodem corpore flammam.
quod fieri contra totum natura repugnat:
unaque res haec est, cuius quo mage plurima habemus,
1090 tam magis ardescit dira cuppedine pectus.
nam cibus atque umor membris adsumitur intus;
quae quoniam certas possunt obsidere partis,
hoc facile expletur laticum frugumque cupido:
ex hominis vero facie pulchroque colore
1095 nil datur in corpus praeter simulacra fruendum
tenvia; quae mentem spes raptat saepe misella.
ut bibere in somnis sitiens quom quaerit, et umor
non datur, ardorem qui membris stinguere possit,
sed laticum simulacra petit frustraque laborat
1100 in medioque sitit torrenti flumine potans,
sic in amore Venus simulacris ludit amantis,
nec satiare queunt spectando corpora coram,
nec manibus quicquam teneris abradere membris
possunt errantes incerti corpore toto.
1105 denique cum membris conlatis flore fruuntur
aetatis, iam cum praesagit gaudia corpus
atque in eost Venus ut muliebria conserat arva,
adfigunt avide corpus iunguntque salivas
oris et inspirant pressantes dentibus ora,
1110 ne quiquam, quoniam nil inde abradere possunt

1083 illae || 1085 frenat || 1089 cuius quam plurima || 1096 vento || 1098 membri

Digitized by Google

nec penetrare et abire in corpus corpore toto:
nam facere inter dum velle et certare videntur.
usque adeo cupide in Veneris compagibus haerent,
membra voluptatis dum vi labefacta liquescunt.
5 tandem ubi se erupit nervis conlecta cupido,
parva fit ardoris violenti pausa parumper:
inde redit rabies eadem et furor ille revisit,
cum sibi quid cupiant ipsi contingere quaerunt,
nec reperire malum id possunt quae machina vincat.
10 usque adeo incerti tabescunt volnere caeco.
Adde quod absumunt viris pereuntque labore,
adde quod alterius sub nutu degitur aetas.
labitur interea res et Babylonica fiunt,
languent officia atque aegrotat fama vacillans.
15 argentum et pulchra in pedibus Sicyonia rident,
scilicet, et grandes viridi cum luce zmaragdi
auro includuntur, teriturque thalassina vestis
adsidue et Veneris sudorem exercita potat.
et bene parta patrum fiunt anademata, mitrae,
20 inter dum in pallam atque alideusia Ciaque vertunt.
eximia veste et victu convivia, lychni,
pocula crebra, unguenta, coronae, serta, parantur,
ne quiquam, quoniam medio de fonte leporum
surgit amari aliquit, quod in ipsis floribus angat,
25 aut cum conscius ipse animus se forte remordet
desidiose agere aetatem lustrisque perire,
aut quod in ambiguo verbum iaculata reliquit,
quod cupido adfixum cordi vivescit ut ignis,
aut nimium iactare oculos aliumve tueri
30 quod putat in voltuque videt vestigia risus.

1115 coniecta || 1118 quod || 1121 utris || 1123 babylonia || 1124 vigillans. || 1125 Unguenta || 1129 flunt || 1130 alidensia chiaque || 1131 luidi. || 1137 ambiquo

Digitized by Google

Atque in amore mala haec proprio summeque secundo
inveniuntur: in adverso vero atque inopi sunt,
prendere quae possis oculorum lumine operto,
innumerabilia; ut melius vigilare sit ante,
1145 qua docui ratione, cavereque ne inliciaris.
nam vitare, plagas in amoris ne iaciamur,
non ita difficile est quam captum retibus ipsis
exire et validos Veneris perrumpere nodos.
et tamen implicitus quoque possis inque peditus
1150 effugere infestum, nisi tute tibi obvius obstes
et praeter mittas animi vitia omnia primum
aut quae corpori' sunt eius, si quam petis ac vis.
nam faciunt homines plerumque cupidine caeci
et tribuunt ea quae non sunt his commoda vere.
1155 multimodis igitur pravas turpisque videmus
esse in deliciis summoque in honore vigere.
atque alios alii inrident Veneremque süadent
ut placent, quoniam foedo adflictentur amore,
nec sua respiciunt miseri mala maxima saepe.
1160 nigra melichrus est, inmunda et fetida acosmos,
caesia Palladium, nervosa et lignea dorcas,
parvula, pumilio, chariton mia, tota merum sal,
magna atque inmanis cataplexis plenaque honoris.
balba loqui non quit, traulizi, muta pudens est:
1165 at flagrans, odiosa, loquacula, Lampadium fit.
ischnon eromenion tum fit, cum vivere non quit
prae macie: rhadine verost iam mortua tussi.
at Lamia et mammosa Ceres est ipsa ab Iaccho,
simula Silena ac saturast, labeosa philema.
1170 cetera de genere hoc longum est si dicere coner.
sed tamen esto iam quanto vis oris honore,

1141 male || 1145 inligniaris. || 1152 Ut || si *omissum*. || p̄petis || 1154 is || 1156 delictis || 1160 foetida || 1168 iamina || 1170 esti:

Digitized by Google

cui Veneris membris vis omnibus exoriatur:
nempe aliae quoque sunt: nempe hac sine viximus ante:
nempe eadem facit, et scimus facere, omnia turpi,
5 et miseram taetris se suffit odoribus ipsa,
quam famulae longe fugitant furtimque cachinnant.
at lacrimans exclusus amator limina saepe
floribus et sertis operit postisque superbos
unguit amaracino et foribus miser oscula figit;
10 quem si iam ammissu venientem offenderit aura
una modo, causas abeundi quaerat honestas,
et meditata diu cadat alte sumpta querella,
stultitiaeque ibi se damnet, tribuisse quod illi
plus videat quam mortali concedere par est.
15 nec Veneres nostras hoc fallit; quo magis ipsae
omnia summo opere hos vitae poscaenia celant,
quos retinere volunt adstrictosque esse in amore,
ne quiquam, quoniam tu animo tamen omnia possis
protrahere in lucem atque omnis inquirere risus,
20 et, si bello animost et non odiosa, vicissim
praeter mittere et humanis concedere rebus.
Nec mulier semper ficto suspirat amore,
quae conplexa viri corpus cum corpore iungit
et tenet adsuctis umectans oscula labris:
25 nam facit ex animo saepe, et communia quaerens
gaudia sollicitat spatium decurrere amoris.
nec ratione alia volucres armenta feraeque
et pecudes et equae maribus subsidere possunt,
si non ipsa, quod illorum subat, ardet abundans
30 natura et Venerem salientum laeta retractat.
nonne vides etiam quos mutua saepe voluptas

1174 turpis. || 1176 longi fugitan || 1180 missum || 1182 cadet || 1183 Stultitiaque || 1186 postcaenia || 1188 posses. || 1191 et *omissum*. || 1198 possent. || 1200 sallentum || retractant.

Digitized by Google

1202 vinxit, ut in vinclis communibus excrucientur?
in triviis quam saepe canes, discedere aventis,
1210 divorsi cupide summis ex viribu' tendunt,
1204 quom interea validis Veneris compagibus haerent!
quod facerent numquam, nisi mutua gaudia nossent,
quae iacere in fraudem possent vinctosque tenere.
quare etiam atque etiam, ut dico, est communi' voluptas.
Et commiscendo quom semine forte virili
femina vim vicit subita vi corripuitque,
1211 tum similes matrum materno semine fiunt,
ut patribus patrio. sed quos utriusque figurae
esse vides, iuxtim miscentes vulta parentum,
corpore de patrio et materno sanguine crescunt,
1215 semina cum Veneris stimulis excita per artus
obvia conflixit conspirans mutuus ardor,
et neque utrum superavit eorum nec superatumst.
fit quoque ut inter dum similes existere avorum
possint et referant proavorum saepe figuras
1220 propterea quia multa modis primordia multis
mixta suo celant in corpore saepe parentis,
quae patribus patres tradunt ab stirpe profecta:
inde Venus varia producit sorte figuras,
maiorumque refert voltus vocesque comasque;
1225 quandoquidem nilo magis haec de semine certo
fiunt quam facies et corpora membraque nobis,
et muliebre oritur patrio de semine saeclum,
maternoque mares existunt corpore creti.
semper enim partus duplici de semine constat,
1230 atque utri similest magis id quod cumque creatur,
eius habet plus parte aequa; quod cernere possis,
sive virum suboles sivest muliebris origo.

1202 Vixit || vinciis || 1203 cum || 1209 ulcit || 1212 partibus || 1220 multimodis || 1222 a || 1224 refer || 1225 de *omissum*. || 1230 quo

Digitized by Google

Nec divina satum genitalem numina cuiquam
absterrent, pater a gnatis ne dulcibus umquam
5 appelletur et ut sterili Venere exigat aevom;
quod plerumque putant, et multo sanguine maesti
conspergunt aras adolentque altaria donis,
ut gravidas reddant uxores semine largo,
ne quiquam, divom numen sortisque fatigant.
0 nam steriles nimium crasso sunt semine partim,
et liquido praeter iustum tenuique vicissim.
tenve locis quia non potis est adfigere adhaesum,
liquitur extemplo et revocatum cedit abortu.
crassius his porro quoniam concretius aequo
5 mittitur, aut non tam prolixo provolat ictu
aut penetrare locos aeque nequit aut penetratum
aegre admiscetur muliebri semine semen.
nam multum harmoniae Veneris differre videntur.
atque alias alii complent magis, ex aliisque
0 succipiunt aliae pondus magis inque gravescunt.
et multae steriles Hymenaeis ante fuerunt
pluribus, et nactae post sunt tamen unde puellos
suscipere et partu possent ditescere dulci.
et quibus ante domi fecundae saepe nequissent
5 uxores parere, inventast illis quoque compar
natura, ut possent gnatis munire senectam.
usque adeo magni refert, ut semina possint
seminibus commisceri genitaliter apta,
crassaque conveniant liquidis et liquida crassis.
0 atque in eo refert quo victu vita colatur:
namque aliis rebus concrescunt semina membris,
atque aliis extenvantur tabentque vicissím.
et quibus ipsa modis tractetur blanda voluptas,

1234 praeter || 1243 credit || 1244 hic || 1247 mulieri || 1252 pos || 1255 Uxoris || 1259 conveniunt || 1262 alii || tabenque

Digitized by Google

id quoque permagni refert: nam more ferarum
1265 quadrupedumque magis ritu plerumque putantur
concipere uxores, quia sic loca sumere possunt,
pectoribus positis, sublatis semina lumbis.
nec molles opu' sunt motus uxoribus hilum.
nam mulier prohibet se concipere atque repugnat,
1270 clunibus ipsa viri Venerem si laeta retractat
atque exossato ciet omni pectore fluctus:
eicit enim sulcum recta regione viaque
vomeris, atque locis avertit seminis ictum.
idque sua causa consuerunt scorta moveri,
1275 ne complerentur crebro gravidaeque iacerent,
et simul ipsa viris Venus ut concinnior esset;
coniugibus quod nil nostris opus esse videtur.
Nec divinitus inter dum Venerisque sagittis
deteriore fit ut forma muliercula ametur:
1280 nam facit ipsa suis inter dum femina factis
morigerisque modis et munde corpore culto,
ut facile insuescat secum nos degere vitam.
quod super est, consuetudo concinnat amorem:
nam leviter quamvis quod crebro tunditur ictu,
1285 vincitur in longo spatio tamen atque labascit.
nonne vides etiam guttas in saxa cadentis
umoris longo in spatio pertundere saxa?

1267 lumbris. || 1268 Ne || 1275 gravidaque. || 1281 moris || 1282 nos *omissum*.

Digitized by Google

T. LUCRETI CARI
DE RERUM NATURA
LIBER QUINTUS.

Quis potis est dignum pollenti pectore carmen
condere pro rerum maiestate hisque repertis?
quisve valet verbis tantum, qui fingere laudes
pro meritis eius possit, qui talia nobis
pectore parta suo quaesitaque praemia liquit?
nemo, ut opinor, erit mortali corpore cretus.
nam si, ut ipsa petit maiestas cognita rerum,
dicendum est, deus ille fuit, deus, inclyte Memmi,
qui princeps vitae rationem invenit eam quae
nunc appellatur sapientia, quique per artem
fluctibus e tantis vitam tantisque tenebris
in tam tranquillo et tam clara luce locavit.
confer enim divina aliorum antiqua reperta.
namque Ceres fertur fruges Liberque liquoris
vitigeni laticem mortalibus instituisse;
cum tamen his posset sine rebus vita manere,
ut fama est aliquas etiam nunc vivere gentis:
at bene non poterat sine puro pectore vivi;

---

2 maiestatis atque || 5 quaesita || 12 vocavit. || 14 geres

Digitized by Google

quo magis hic merito nobis deus esse videtur,
20 ex quo nunc etiam per magnas didita gentis
dulcia permulcent animos solacia vitae.
Herculis antistare autem si facta putabis,
longius a vera multo ratione ferere.
quid Nemeaeus enim nobis nunc magnus hiatus
25 ille leonis obesset et horrens Arcadius sus?
denique quid Cretae taurus Lernaeaque pestis
hydra venenatis posset vallata colubris?
quidve tripectora ter gemini vis Geryonai
et Diomedis equi spirantes naribus ignem,
31 Thracam Bistoniasque plagas atque Ismara propter,
30 tanto opere officerent, et aves Stymphala colentes?
32 aureaque Hesperidum servans fulgentia mala,
asper, acerba tuens, immani corpore serpens
arboris amplexus stirpem quid denique obesset
35 propter Atlanteum litus pelageque sonora,
quo neque noster adit quisquam nec barbarus audet?
cetera de genere hoc quae sunt portenta perempta,
sei non victa forent, quid tandem viva nocerent?
nil, ut opinor: ita ad satiatem terra ferarum
40 nunc etiam scatit et trepido terrore repleta est
per nemora ac montes magnos silvasque profundas;
quae loca vitandi plerumque est nostra potestas.
at nisi purgatumst pectus, quae proelia nobis
atque pericula tumst ingratis insinuandum!
45 quantae tum scindunt hominem cuppedinis acres
sollicitum curae, quantique perinde timores!
quidve superbia spurcitia ac petulantia? quantas
efficiunt clades! quid luxus desidiaeque?
haec igitur qui cuncta subegerit ex animoque

---

31 Thracia || 30 nobis tymphala || 33 acerban || 34 stirpes || 35 atianeum || pelagique severa. || 38 Sed || vincta || 44 sunt || 45 cuppedines

Digitized by Google

expulerit dictis, non armis, nonne decebit
hunc hominem numero divom dignarier esse?
cum bene praesertim multa ac divinitus ipsis
immortalibu' de divis dare dicta suërit
atque omnem rerum naturam pandere dictis.
Cuius ego ingressus vestigia dum rationes
persequor ac doceo dictis, quo quaeque creata
foedere sint, in eo quam sit durare necessum
nec validas valeant aevi rescindere leges,
quo genere in primis animi natura reperta est
nativo primum consistere corpore creta
nec posse incolumis magnum durare per aevom,
sed simulacra solere in somnis fallere mentem,
cernere cum videamur eum quem vita reliquit,
quod super est, nunc huc rationis detulit ordo,
ut mihi mortali consistere corpore mundum
nativomque simul ratio reddunda sit esse;
et quibus ille modis congressus materiai
fundarit terram, caelum, mare, sidera, solem,
lunaique globum; tum quae tellure animantes
extiterint, et quae nullo sint tempore natae;
quove modo genus humanum variante loquella
coeperit inter se vesci per nomina rerum;
et quibus ille modis divom metus insinuarit
pectora, terrarum qui in orbi sancta tuetur
fana lacus lucos aras simulacraque divom.
praeterea solis cursus lunaeque meatus
expediam qua vi flectat natura gubernans;
ne forte haec inter caelum terramque reamur
libera sponte sua cursus lustrare perennis,
morigera ad fruges augendas atque animantis,
neve aliqua divom volvi ratione putemus.

---

53 e || 61 incolumē || 67 materiam. || 70 sin || 71 loquela.

Digitized by Google

nam bene qui didicere deos securum agere aevom,
si tamen interea mirantur qua ratione
quaeque geri possint, praesertim rebus in illis
85 quae supera caput aetheriis cernuntur in oris,
rursus in antiquas referuntur religiones,
et dominos acris adsciscunt, omnia posse
quos miseri credunt, ignari quid queat esse,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
90 qua nam sit ratione atque alte terminus haerens.
Quod super est, ne te in promissis plura moremur,
principio maria ac terras caelumque tuere;
quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi,
tris species tam dissimilis, tria talia texta,
95 una dies dabit exitio, multosque per annos
sustentata ruet moles et machina mundi.
nec me animi fallit quam res nova miraque menti
accidat exitium caeli terraeque futurum,
et quam difficile id mihi sit pervincere dictis;
100 ut fit ubi insolitam rem adportes auribus ante.
nec tamen hanc possis oculorum subdere visu
nec iacere indu manus, via qua munita fidei
proxima fert humanum in pectus templaque mentis.
sed tamen effabor. dictis dabit ipsa fidem res,
105 forsitan, et graviter terrarum motibus ortis
omnia conquassari in parvo tempore cernes.
quod procul a nobis flectat fortuna gubernans,
et ratio potius quam res persuadeat ipsa
succidere horrisono posse omnia victa fragore.
110 [Qua prius adgrediar quam de re fundere fata
sanctius et multo certa ratione magis quam
Pythia quae tripode a Phoebi lauroque profatur,
multa tibi expediam doctis solacia dictis;

---

85 aetheris || 100 insolitum

Digitized by Google

religione refrenatus ne forte rearis
terras et solem et caelum, mare sidera lunam,
corpore divino debere aeterna manere,
proptereaque putes ritu par esse Gigantum
pendere eos poenas inmani pro scelere omnis,
qui ratione sua disturbent moenia mundi
praeclarumque velint caeli restinguere solem,
inmortalia mortali sermone notantes;
quae procul usque adeo divino a numine distent,
inque deum numero quae sint indigna videri,
notitiam potius praebere ut posse putentur
quid sit vitali motu sensuque remotum.
quippe etenim non est, cum quovis corpore ut esse
posse animi natura putetur consiliumque;
sicut in aethere non arbor, non aequore salso
nubes esse queunt, neque pisces vivere in arvis,
nec cruor in lignis neque saxis sucus inesse.
certum ac dispositumst ubi quicquit crescat et insit.
sic animi natura nequit sine corpore oriri
sola neque a nervis et sanguine longiter esse.
quid si posset enim? multo prius ipsa animi vis
in capite aut umeris aut imis calcibus esse
posset, et innasci quavis in parte soleret
tandem in eodem homine atque in eodem vase manere.
quod quoniam nostro quoque constat corpore certum,
dispositumque videtur ubi esse et crescere possit
seorsum anima atque animus, tanto magis infitiandum
totum posse extra corpus formamque animalem
putribus in glebis terrarum aut solis in igni
aut in aqua durare aut altis aetheris oris.

---

114 Relligione || 116 meare. || 117 pars || 121 sermoni || 122 niminbistent. || 131 crescet et inesit. || 133 neque arvis || longius || 134 Quod || 142 glebris || in *omissum*.

Digitized by Google

haud igitur constant divino praedita sensu,
145 quandoquidem nequeunt vitaliter esse animata.
Illud item non est ut possis credere, sedes
esse deum sanctas in mundi partibus ullis.
tenvis enim natura deum longeque remota
sensibus ab nostris animi vix mente videtur;
150 quae quoniam manuum tactum suffugit et ictum,
tactile nil nobis quod sit contingere debet:
tangere enim non quit quod tangi non licet ipsum.
quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse
dissimiles debent, tenuest si corpu' deorum;
155 quae tibi posterius largo sermone probabo.
dicere porro hominum causa voluisse parare
praeclaram mundi naturam, proptereaque
adlaudabile opus divom laudare decere
aeternumque putare atque inmortale futurum,
160 nec fas esse, deum quod sit ratione vetusta
gentibus humanis fundatum perpetuo aevo,
sollicitare suis ulla vi ex sedibus umquam,
nec verbis vexare et ab imo evertere summa,
cetera de genere hoc adfingere et addere, Memmi,
165 desiperest. quid enim inmortalibus atque beatis
gratia nostra queat largirier emolumenti,
ut nostra quicquam causa gerere adgrediantur?
quidve novi potuit tanto post ante quietos
inlicere ut cuperent vitam mutare priorem?
175 at, credo, in tenebris vita ac merore iacebat,
donec diluxit rerum genitalis origo.
170 nam gaudere novis rebus debere videtur
cui veteres obsunt: sed cui nil accidit aegri
tempore in ante acto, cum pulchre degeret aevom,
quid potuit novitatis amorem accendere tali?

---

152 quod si || 154 tenues de corpore eorum. || 175 An

Digitized by Google

quidve mali fuerat nobis non esse creatis?
natus enim debet qui cumque est velle manere
in vita, donec retinebit blanda voluptas:
qui numquam vero vitae gustavit amorem
nec fuit in numero, quid obest non esse creatum?
exemplum porro gignundis rebus et ipsa
notities hominum dis unde est insita primum,
quid vellent facere ut scirent animoque viderent,
quove modost umquam vis cognita principiorum,
quidque inter sese permutato ordine possent,
si non ipsa dedit specimen natura creandi?
namque ita multa modis multis primordia rerum
ex infinito iam tempore percita plagis
ponderibusque suis consuerunt concita ferri
omnimodisque coire atque omnia pertemptare,
quae cumque inter se possent congressa creare,
ut non sit mirum, si in talis dispositurаs
deciderunt quoque et in talis venere meatus,
qualibus haec rerum geritur nunc summa novando.
Quod si iam rerum ignorem primordia quae sint,
hoc tamen ex ipsis caeli rationibus ausim
confirmare aliisque ex rebus reddere multis,
nequaquam nobis divinitus esse paratam
naturam rerum: tanta stat praedita culpa.
principio quantum caeli tegit impetus ingens,
inde aliquam partem montes silvaeque ferarum
possedere, tenent rupes vastaeque paludes
et mare, quod late terrarum distinet oras.
inde duas porro prope partis fervidus ardor
adsiduusque geli casus mortalibus aufert.
quod super est arvi, tamen id natura sua vi

---

182 divis || 185 se || 186 speciem || 187 multimodis || 191 possint || 193 maestus. || 195 si *omissum*. || 201 avidam

Digitized by Google

sentibus obducat, ni vis humana resistat
vitai causa valido consueta bidenti
ingemere et terram pressis proscindere aratris.
210 si non fecundas vertentes vomere glebas
terraique solum subigentes cimus ad ortus,
sponte sua nequeant liquidas existere in auras,
et tamen inter dum magno quaesita labore
cum iam per terras frondent atque omnia florent,
215 aut nimiis torret fervoribus aetherius sol
aut subiti peremunt imbris gelidaeque pruinae,
flabraque ventorum violento turbine vexant.
praeterea genus horriferum natura ferarum
humanae genti infestum terraque marique
220 cur alit atque auget? cur anni tempora morbos
atportant? quare mors inmatura vagatur?
tum porro puer, ut saevis proiectus ab undis
navita, nudus humi iacet, infans, indigus omni
vitali auxilio, cum primum in luminis oras
225 nixibus ex alvo matris natura profudit,
vagituque locum lugubri complet, ut aecumst
cui tantum in vita restet transire malorum.
at variae crescunt pecudes armenta feraeque,
nec crepitacillis opus est, nec cuiquam adhibendast
230 almae nutricis blanda atque infracta loquella,
nec varias quaerunt vestes pro tempore caeli,
denique non armis opus est, non moenibus altis,
qui sua tutentur, quando omnibus omnia large
tellus ipsa parit naturaque daedala rerum.]
235 Principio quoniam terrai corpus et umor
aurarumque leves animae calidique vapores,
e quibus haec rerum consistere summa videtur,

---

208 dibenti. || 209 atris. || 211 Terraeque || 223 indignus || 227 rect transirest || 230 Arme || loquela.

Digitized by Google

omnia nativo ac mortali corpore constant.
debet eodem omnis mundi natura putari.
quippe etenim, quorum partis et membra videmus
corpore nativo ac mortalibus esse figuris,
haec eadem ferme mortalia cernimus esse
et nativa simul. qua propter maxima mundi
cum videam membra ac partis consumpta regigni,
scire licet caeli quoque item terraeque fuisse
principiale aliquod tempus clademque futuram.
Illud in his rebus ne corripuisse rearis
me mihi, quod terram atque ignem mortalia sumpsi
esse, neque umorem dubitavi aurasque perire,
atque eadem gigni rursusque augescere dixi,
principio pars terrai non nulla, perusta
solibus adsiduis, multa pulsata pedum vi,
pulveris exhalat nebulam nubesque volantis,
quas validi toto dispergunt aëre venti.
pars etiam glebarum ad diluviem revocatur
imbribus, et ripas radentia flumina rodunt.
praeterea pro parte sua, quod cumque alid auget,
redditur: et quoniam dubio procul esse videtur
omniparens eadem rerum commune sepulcrum,
ergo terra tibi libatur et aucta recrescit.
Quod super est, umore novo mare flumina fontes
semper abundare et latices manare perennis
nil opus est verbis: magnus decursus aquarum
undique declarat. sed primum quicquid aquai
tollitur, in summaque fit ut nil umor abundet,
partim quod validi verrentes aequora venti
diminuunt radiisque retexens aetherius sol,
partim quod supter per terras diditur omnis:
percolatur enim virus, retroque remanat

239 eadem || 241 nativom || 245 idem || 251 ulla || 264 quidquid

Digitized by Google

270 materies umoris et ad caput amnibus omnis
convenit, inde super terras fluit agmine dulci
qua via secta semel liquido pede detulit undas.
Aëra nunc igitur dicam, qui corpore toto
innumerabiliter privas mutatur in horas.
275 semper enim, quod cumque fluit de rebus, id omne
aëris in magnum fertur mare; qui nisi contra
corpora retribuat rebus recreetque fluentis,
omnia iam resoluta forent et in aëra versa:
haut igitur cessat gigni de rebus et in res
280 reccidere, adsidue quoniam fluere omnia constat.
Largus item liquidi fons luminis, aetherius sol,
inrigat adsidue caelum candore recenti
suppeditatque novo confestim lumine lumen.
nam primum quicquid fulgoris disperit ei,
285 quo cumque accidit. id licet hinc cognoscere possis,
quod simul ac primum nubes succedere soli
coepere et radios inter quasi rumpere lucis,
extemplo inferior pars horum disperit omnis,
terraque inumbratur qua nimbi cumque feruntur;
290 ut noscas splendore novo res semper egere,
et primum iactum fulgoris quemque perire,
nec ratione alia res posse in sole videri,
perpetuo ni suppeditet lucis caput ipsum.
quin etiam nocturna tibi, terrestria quae sunt,
295 lumina, pendentes lychni claraeque coruscis
fulguribus pingues multa caligine taedae
consimili properant ratione, ardore ministro,
suppeditare novom lumen, tremere ignibus instant,
instant, nec loca lux inter quasi rupta relinquit:
300 usque adeo properanter ab omnibus ignibus ei

---

272 semel secta semel || 274 oras. || 282 regenti. || 288 disperis || 291 Ut || 293 suppedite || 295 lyclini || 297 proferant

Digitized by Google

exitium celeri celatur origine flammae.
sic igitur solem lunam stellasque putandumst
ex alio atque alio lucem iactare subortu
et primum quicquid flammarum perdere semper;
5 inviolabilia haec ne credas forte vigere.
Denique non lapides quoque vinci cernis ab aevo,
non altas turris ruere et putrescere saxa,
non delubra deum simulacraque fessa fatisci,
nec sanctum numen fati protollere finis
10 posse neque adversus naturae foedera niti?
denique non monimenta virum dilapsa videmus,
quae fore proporro vetitumque senescere credas,
non ruere avolsos silices a montibus altis
nec validas aevi vires perferre patique
15 finiti? neque enim caderent avolsa repente,
ex infinito quae tempore pertolerassent
omnia tormenta aetatis, privata fragore.
Denique iam tuere hoc, circum supraque quod omnem
continet amplexu terram: si procreat ex se
20 omnia, quod quidam memorant, recipitque perempta,
totum nativum mortali corpore constat.
nam quod cumque alias ex se res auget alitque,
deminui debet, recreari, cum recipit res.
Praeterea si nulla fuit genitalis origo
25 terrarum et cáeli semperque aeterna fuere,
cur supera bellum Thebanum et funera Troiae
non alias alii quoque res cecinere poëtae?
quo tot facta virum totiens cecidere neque usquam
aeternis famae monimentis insita florent?
30 verum, ut opinor, habet novitatem summa, recensque
naturast mundi neque pridem exordia cepit.

---

301 celeratur || 302 putandum. || 304 quidquid || 310 foederant || 312 Quaerere || sibi cumque || 318 omne. || 326 funara || 327 ali || 331 Natura mundist

Digitized by Google

quare etiam quaedam nunc artes expoliuntur,
nunc etiam augescunt: nunc addita navigiis sunt
multa, modo organici melicos peperere sonores,
335 denique natura haec rerum ratioque repertast
nuper, et hanc primus cum primis ipse repertus
nunc ego sum in patrias qui possim vertere voces.
quod si forte fuisse ante hac eadem omnia credis,
sed periisse hominum torrenti saecla vapore,
340 aut cecidisse urbis magno vexamine mundi,
aut ex imbribus adsiduis exisse rapaces
per terras amnes atque oppida cooperuisse,
tanto quique magis victus fateare necessest
exitium quoque terrarum caelique futurum:
345 nam cum res tantis morbis tantisque periclis
temptarentur, ibi si tristior incubuisset
causa, darent late cladem magnasque ruinas.
nec ratione alia mortales esse videmur,
inter nos nisi quod morbis aegrescimus idem
350 atque illi quos a vita natura removit.

Praeterea quae cumque manent aeterna necessust
aut, quia sunt solido cum corpore, respuere ictus
nec penetrare pati sibi quicquam quod queat artas
dissociare intus partis, ut materiai
355 corpora sunt, quorum naturam ostendimus ante,
aut ideo durare aetatem posse per omnem,
plagarum quia sunt expertia, sicut inane est,
quod manet intactum neque ab ictu fungitur hilum,
aut etiam quia nulla loci fit copia circum,
360 quo quasi res possint discedere dissoluique,
sicut summarum summa est aeterna, neque extra
qui locus est quo dissiliant, neque corpora sunt quae
possint incidere et valida dissolvere plaga.

---

339 perisse || 342 at || 359 sit

Digitized by Google

at neque, uti docui, solido cum corpore mundi
365 naturast, quoniam admixtumst in rebus inane,
nec tamen est ut inane, neque autem corpora desunt,
ex infinito quae possint forte coorta
corruere hanc rerum violento turbine summam
aut aliam quamvis cladem inportare pericli,
370 nec porro natura loci spatiumque profundi
deficit, exspargi quo possint moenia mundi,
aut alia quavis possunt vi pulsa perire.
haut igitur leti praeclusa est ianua caelo
nec soli terraeque neque altis aequoris undis,
375 sed patet immani et vasto respectat hiatu.
quare etiam nativa necessumst confiteare
haec eadem: neque enim, mortali corpore quae sunt,
ex infinito iam tempore adhuc potuissent
inmensi validas aevi contemnere vires.
380 Denique tantopere inter se cum maxima mundi
pugnent membra, pio nequaquam concita bello,
nonne vides aliquam longi certaminis ollis
posse dari finem, vel cum sol et vapor omnis
omnibus epotis umoribus exsuperarint?
385 quod facere intendunt, neque adhuc conata patrantur:
tantum suppeditant amnes ultraque minantur
omnia diluviare ex alto gurgite ponti,
ne quiquam, quoniam verrentes aequora venti
deminuunt radiisque retexens aetherius sol,
390 et siccare prius confidunt omnia posse
quam liquor incepti possit contingere finem.
tantum spirantes aequo certamine bellum
magnis inter se de rebus cernere certant,
cum semel interea fuerit superantior ignis

---

367 coperta. || 375 e || 377 mortalis || 382 olis. || 393 inter se *omissa*.

Digitized by Google

395 et semel, ut fama est, umor regnarit in arvis.
ignis enim superat et lambens multa perussit,
avia cum Phaethonta rapax vis solis equorum
aethere raptavit toto terrasque per omnis:
at pater omnipotens ira tum percitus acri
400 magnanimum Phaethonta repenti fulminis ictu
deturbavit equis in terram, solque cadenti
obvius aeternam succepit lampada mundi,
disiectosque redegit equos iunxitque trementis,
inde suum per iter recreavit cuncta gubernans,
405 scilicet, ut veteres Graium cecinere poëtae.
quod procul a vera nimis est ratione repulsum.
ignis enim superare potest ubi materiai
ex infinito sunt corpora plura coorta,
410 et pereunt res exustae torrentibus auris:
409 inde cadunt vires aliqua ratione revictae.
411 umor item quondam coepit superare coortus,
ut fama est, hominum multas quando obruit urbis:
inde ubi vis aliqua ratione aversa recessit,
ex infinito fuerat quae cumque coorta,
415 constiterunt imbres et flumina vim minuerunt.
Sed quibus ille modis coniectus materiai
fundarit terram et caelum pontique profunda,
solis lunai cursus, ex ordine ponam.
nam certe neque consilio primordia rerum
420 ordine se suo quaeque sagaci mente locarunt
nec quos quaeque darent motus pepigere profecto,
sed quia multa modis multis primordia rerum
ex infinito iam tempore percita plagis
ponderibusque suis consuerunt concita ferri
425 omnimodisque coire atque omnia pertemptare,

---

396 superavit et ambens || 397 petontana || 399 cum || 400 fluminis || 405 gratum || 410 Aut || 412 undis. || 425 cotre

Digitized by Google

quae cumque inter se possent congressa creare,
propterea fit uti magnum volgata per aevom
omne genus coetus et motus experiundo
tandem conveniant ea quae convecta repente
430 magnarum rerum fiunt exordia semper,
terrai maris et caeli generisque animantum.
Hic neque tum solis rota cerni lumine largo
altivolans poterat nec magni sidera mundi
nec mare nec caelum nec denique terra neque aër
435 nec similis nostris rebus res ulla videri,
sed nova tempestas quaedam molesque coorta
440 omne genus de principiis, discordia quorum
intervalla vias conexus pondera plagas
concursus motus turbabat proelia miscens,
propter dissimilis formas variasque figuras
quod non omnia sic poterant coniuncta manere
445 nec motus inter sese dare convenientis.
437 diffugere inde loci partes coepere, paresque
cum paribus iungi res et discludere mundum
membraque dividere et magnas disponere partes,
446 hoc est, a terris altum secernere caelum,
et sorsum mare uti secreto umore pateret,
seorsus item puri secretique aetheris ignes.
Quippe etenim primum terrai corpora quaeque,
450 propterea quod erant gravia et perplexa, coibant
in medio atque imas capiebant omnia sedes;
quae quanto magis inter se perplexa coibant,
tam magis expressere ea quae mare sidera solem
lunamque efficerent et magni moenia mundi:
455 omnia enim magis haec e levibus atque rutundis

---

428 Omnigenus || 429 conventa || 430 fluunt || saepe. || 431 Terrae || 433 Alte volans || 440 Omnigenus e || 441 via || 437 indue || 439 magna || 447 umor || 449 terrae

Digitized by Google

seminibus multoque minoribu' sunt elementis
quam tellus. ideo, per rara foramina, terrae
partibus erumpens primus se sustulit aether
ignifer et multos secum levis abstulit ignis,
460 non alia longe ratione ac saepe videntur,
aurea cum primum gemmantis rore per herbas
matutina rubent radiati lumina solis,
exalare lacus nebulam fluviique perennes,
ipsaque ut inter dum tellus fumare videtur;
465 omnia quae sursum cum conciliantur, in alto
corpore concreto subtexunt nubila caelum.
sic igitur tum se levis ac diffusilis aether
corpore concreto circum datus undique flexit
et late diffusus in omnis undique partis
470 omnia sic avido complexu cetera saepsit.
hunc exordia sunt solis lunaeque secuta,
interutraque globi quorum vertuntur in auris;
quae neque terra sibi adscivit nec maximus aether,
quod neque tam fuerunt gravia ut depressa sederent,
475 nec levia ut possent per summas labier oras,
et tamen interutraque ita sunt, ut corpora viva
versent et partes ut mundi totius extent;
quod genus in nobis quaedam licet in statione
membra manere, tamen cum sint ea quae moveantur.
480 his igitur rebus retractis terra repente,
maxuma qua nunc se ponti plaga caerula tendit,
succidit et salso suffudit gurgite fossas.
inque dies quanto circum magis aetheris aestus
et radii solis cogebant undique terram,
485 verberibus crebris extrema a limini' parte

---

458 et || 460 videmus. || 463 Exalantque || 468 saepsit. || 472 Inter utrasque || 476 inter utrasque || 481 plage || 482 salsos offudit || 485 ad limina partem.

Digitized by Google

in medio ut propulsa suo condensa coiret,
tam magis expressus salsus de corpore sudor
augebat mare manando camposque natantis,
et tanto magis illa foras elabsa volabant
490 corpora multa vaporis et aëris, altaque caeli
densebant procul a terris fulgentia templa.
sidebant campi, crescebant montibus altis
ascensus: neque enim poterant subsidere saxa
nec pariter tantundem omnes succumbere partis.
495 Sic igitur terrae concreto corpore pondus
constitit, atque omnis mundi quasi limus in imum
confluxit gravis et subsedit funditus ut faex;
inde mare, inde aër, inde aether ignifer ipse.
corporibus liquidis sunt omnia pura relicta:
500 et leviora aliis alia, et liquidissimus aether
atque levissimus aërias super influit auras,
nec liquidum corpus turbantibus aëris auris
commiscet. sinit hic violentis omnia verti
turbinibus, sinit incertis turbare procellis,
505 ipse suos ignis certo fert impete labens.
nam modice fluere atque uno posse aethera nisu
significat Pontos, mare certo quod fluit aestu
unum labendi conservans usque tenorem.
[Motibus astrorum nunc quae sit causa canamus.
510 principio magnus caeli si vortitur orbis,
ex utraque polum parti premere aëra nobis
dicendum est extraque tenere et claudere utrimque;
inde alium supra fluere atque intendere deorsum,
515 hinc alium supter, contra qui subvehat orbem;
ut fluvios versare rotas atque austra videmus.
514 quo volvenda micant aeterni sidera mundi.

---

491 Densabant || 500 levior || 503 Commisci || haec || 507 ponto || 513 eodem. || 515 Aut || quis || 516 fluvius

Digitized by Google

517 est etiam quoque uti possit caelum omne manere
in statione, tamen cum lucida signa ferantur;
sive quod inclusi rapidi sunt aetheris aestus,
520 quaerentesque viam circum versantur et ignes
passim per caeli volvunt immania templa;
sive aliunde fluens alicunde extrinsecus aër
versat agens ignis; sive ipsi serpere possunt
quo cuiusque cibus vocat atque invitat aventis,
525 flammea per caelum pascentis corpora passim.
nam quid in hoc mundo sit eorum ponere certum
difficile est: sed quid possit fiatque per omne
in variis mundis varia ratione creatis,
id doceo, plurisque sequor disponere causas,
530 motibus astrorum quae possint esse per omne;
e quibus una tamen siet haec quoque causa necessest,
quae vegeat motum signis: sed quae sit earum
praecipere haut quaquamst pedetemtim progredientis.]
Terraque ut in media mundi regione quiescat,
535 evanescere paulatim et decrescere pondus
convenit, atque aliam naturam supter habere,
ex ineunte aevo coniunctam atque uniter aptam
partibus aëriis mundi, quibus insita crevit.
propterea non est oneri neque deprimit auras;
540 ut sua cuique homini nullo sunt pondere membra,
nec caput est oneri collo, nec denique totum
corporis in pedibus pondus sentimus inesse:
at quae cumque foris veniunt inpostaque nobis
pondera sunt laedunt, permulto saepe minora.
545 usque adeo magni refert quid quaeque aveat res.
sic igitur tellus non est aliena repente

---

518 lucia || 521 summania || 524 euntis. || 528 creati. || 530 omnem. || 531 sit et || 532 vigeat || 533 pedetemti progredientes || 536 super || 537 ineunt || 538 vivit. || 545 magi || quaeat

Digitized by Google

allata atque auris aliunde obiecta alienis,
sed pariter prima concepta ab origine mundi
certaque pars eius, quasi nobis membra, videntur.
50 praeterea grandi tonitru concussa repente
terra supra quae se sunt concutit omnia motu;
quod facere haut ulla posset ratione, nisi esset
partibus aëriis mundi caeloque revincta:
nam communibus inter se radicibus haerent
55 ex ineunte aevo coniuncta atque uniter apta.
nonne vides etiam quam magno pondere nobis
sustineat corpus tenuissima vis animai
propterea quia tam coniuncta atque uniter apta est?
denique iam saltu pernici tollere corpus
560 quid potis est nisi vis animi, quae membra gubernat?
iamne vides quantum tenuis natura valere
possit, ubi est coniuncta gravi cum corpore, ut aër
coniunctus terris et nobis est animi vis?
Nec nimio solis maior rota nec minor ardor
565 esse potest, nostris quam sensibus esse videtur.
nam quibus e spatiis cumque ignes lumina possunt
adicere et calidum membris adflare vaporem,
nil ea in his intervallis de corpore libant
flammarum, nil ad speciem est contractior ignis.
573 proinde, calor quoniam solis lumenque profusum
570 perveniunt nostros ad sensus et loca mulcent,
forma quoque hinc solis debet filumque videri,
nil adeo ut possis plus aut minus addere, vere.
575 lunaque sive notho fertur loca lumine lustrans,
sive suam proprio iactat de corpore lucem,
quidquid id est, nilo fertur maiore figura

---

551 supru || 553 aeri || 555 aucta. || 558 rapta || 559 pernice || 560 Quis || animae || 563 Coniuncta || 567 Adlicere || 568 Nihil nisi intervallis || librant. || 570 fulgent. || 571 ilumque || 574 = 570. || 576 sua

Digitized by Google

quam, nostris oculis qua cernimus, esse videtur.
nam prius omnia, quae longe semota tuemur
580 aëra per multum, specie confusa videntur
quam minui filum. qua propter luna necesse est,
quandoquidem claram speciem certamque figuram
praebet, ut est oris extremis cumque notata
quantaque quantast hinc nobis videatur in alto.
585 postremo quos cumque vides hinc aetheris ignes,
quandoquidem quos cumque in terris cernimu', flammae
dum tremor est clarus, dum cernitur ardor eorum,
perparvom quiddam inter dum mutare videtur
alteram utram in partem filum, quo longius absunt,
594 scire licet perquam pauxillo posse minores
esse vel exigua maioris parte brevique.
590 Illud item non est mirandum, qua ratione
tantulus ille queat tantum sol mittere lumen,
quod maria ac terras omnis caelumque rigando
compleat et calido perfundat cuncta vapore.
597 nam licet hinc mundi patefactum totius unum
largifluum fontem scatere atque erumpere lumen,
ex omni mundo quia sic elementa vaporis
600 undique conveniunt et sic coniectus eorum
confluit, ex uno capite hic ut profluat ardor.
nonne vides etiam quam late parvus aquai
prata riget fons inter dum campisque redundet?
est etiam quoque uti non magno solis ab igni
605 aëra percipiat calidis fervoribus ardor,
opportunus ita est si forte et idoneus aër,
ut queat accendi parvis ardoribus ictus;
quod genus inter dum segetes stipulamque videmus

---

580 Aere || 581 mi || 584 Quanta quoque quantast || 586 flammae *omissum*. || 587 est *omissum*. || 589 absit. || 595 perte || 596 = 584. || 599 vapore. || 605 percipitat || 606 sita est

Digitized by Google

accidere ex una scintilla incendia passim.
forsitan e rosea sol alte lampade lucens
possideat multum caecis fervoribus ignem
circum se, nullo qui sit fulgore notatus,
aestifer ut tantum radiorum exaugeat ictum.
Nec ratio solis simplex rellata patescit,
quo pacto aestivis e partibus aegocerotis
brumalis adeat flexus atque inde revertens
cancri se ut vertat metâs ad solstitialis,
lunaque mensibus id spatium videatur obire,
annua sol in quo consumit tempora cursu.
non, inquam, simplex his rebus reddita causast.
nam fieri vel cum primis id posse videtur,
Democriti quod sancta viri sententia ponit,
quanto quaeque magis sint terram sidera propter,
tanto posse minus cum caeli turbine ferri:
evanescere enim rapidas illius et acris
imminui supter viris, ideoque relinqui
paulatim solem cum posterioribu' signis,
inferior multo quod sit quam fervida signa.
et magis hoc lunam: quanto demissior eius
cursus abest procul a caelo terrisque propinquat,
tanto posse minus cum signis tendere cursum.
flaccidiore etenim quanto iam turbine fertur
inferior quam sol, tanto magis omnia signa
hanc adipiscuntur circum, praeterque feruntur.
propterea fit ut haec ad signum quodque reverti
mobilius videatur, ad hanc quia signa revisunt.
fit quoque ut e mundi transversis partibus aër
alternis certo fluere alter tempore possit,
qui queat aestivis solem detrudere signis
brumalis usque ad flexus gelidumque rigorem,

610 et || 613 Aestiferiu || 614 recta || 617 Canceris ut || 632 etiam

Digitized by Google

et qui reiciat gelidis a frigoris umbris
aestiferas usque in partis et fervida signa.
et ratione pari lunam stellasque putandumst,
quae volvunt magnos in magnis orbibus annos,
645 aëribus posse alternis e partibus ire.
nonne vides etiam diversis nubila ventis
diversas ire in partis inferna supernis?
qui minus illa queant per magnos aetheris orbis
aestibus inter se diversis sidera ferri?
650 At nox obruit ingenti caligine terras,
aut ubi de longo cursu sol ultima caeli
impulit atque suos efflavit languidus ignis
concussos itere et labefactos aëre multo,
aut quia sub terras cursum convortere cogit
655 vis eadem, supra quae terras pertulit orbem.
Tempore item certo roseam Matuta per oras
aetheris auroram differt et lumina pandit,
aut quia sol idem, sub terras ille revertens,
anticipat caelum radiis accendere temptans,
660 aut quia conveniunt ignes et semina multa
confluere ardoris consuerunt tempore certo,
quae faciunt solis nova semper lumina gigni;
quod genus Idaeis fama est e montibus altis
dispersos ignis orienti lumine cerni,
665 inde coire globum quasi in unum et conficere orbem.
nec tamen illud in his rebus mirabile debet
esse, quod haec ignis tam certo tempore possunt
semina confluere et solis reparare nitorem.
multa videmus enim, certo quae tempore fiunt
670 omnibus in rebus. florescunt tempore certo
arbusta et certo dimittunt tempore florem:

---

648 ille || 651 vetima || 654 convortore || 656 rosea matura || 657 e || 667 possit.

Digitized by Google

nec minus in certo dentes cadere imperat aetas
tempore et inpubem molli pubescere veste
et pariter mollem malis demittere barbam:
675 fulmina postremo, nix, imbres, nubila, venti,
non nimis incertis fiunt in partibus anni.
namque ubi sic fuerunt causarum exordia prima
atque ita res mundi cecidere ab origine prima,
consequë quoque iam redeunt ex ordine certo.
680 Crescere itemque dies licet et tabescere noctes,
et minui luces, cum sumant augmina noctes,
aut quia sol idem sub terras atque superne
imparibus currens amfractibus aetheris oras
partit et in partis non aequas dividit orbem,
685 et quod ab alterutra detraxit parte, reponit
eius in adversa tanto plus parte relatus,
donec ad id signum caeli pervenit, ubi anni
nodus nocturnas exaequat lucibus umbras:
nam medio cursu flatus aquilonis et austri
690 distinet, aequato caelum discrimine metans,
propter signiferi posituram totius orbis
693 obliqui, terras et caelum lumine lustrans
692 annua sol in quo concludit tempora serpens,
694 ut ratio declarat eorum qui loca caeli
omnia dispositis signis ornata notarunt.
aut quia crassior est certis in partibus aër,
sub terris ideo tremulum iubar haesitat ignis
nec penetrare potest facile atque emergere ad ortus:
propterea noctes hiberno tempore longae
700 cessant, dum veniat radiatum insigne diei.
aut etiam, quia sic alternis partibus anni
tardius et citius consuerunt confluere ignes,

---

675 Flumina postromo || 679 Consequiae || rerum || 684 e in || 690 metas. || 693 Obliquo || 692 contudit || 700 dici.

Digitized by Google

qui faciunt solem certa desurgere parte
propterea fit uti videantur dicere verum.
705 Luna potest solis radiis percussa nitere,
inque dies magis id lumen convertere nobis
ad speciem, quantum solis secedit ab orbi,
donique eum contra pleno bene lumine fulsit
atque oriens obitus eius super edita vidit:
710 inde minutatim retro quasi condere lumen
debet item, quanto propius iam solis ad ignem
labitur ex alia signorum parte per orbem;
ut faciunt, lunam qui fingunt esse pilai
consimilem cursusque viam sub sole tenere.
715 est etiam quare proprio cum lumine possit
volvier et varias splendoris reddere formas:
corpus enim licet esse aliud, quod fertur et una
labitur omnimodis occursans officiensque,
nec potis est cerni, quia cassum lumine fertur.
720 versarique potest, globus ut sit forte pilai
dimidia ex parti candenti lumine tinctus,
versandoque globum variantis edere formas,
donique eam partem, quae cumque est ignibus aucta,
ad speciem vertit nobis oculosque patentis:
725 inde minutatim retro contorquet et aufert
luciferam partem glomeraminis atque pilai;
ut Babylonica Chaldaeum doctrina refutans
astrologorum artem contra convincere tendit,
proinde quasi id fieri nequeat quod pugnat uterque,
730 aut minus hoc illo sit cur amplectier ausis.
denique cur nequeat semper nova luna creari
ordine formarum certo certisque figuris,
inque dies privos aborisci quaeque creata

---

705 perculsa || 706 id *omissum*. || 708 beneno || 711 tam || 713 pilae. || 720 si || 727 babylonisa || 730 ilio

Digitized by Google

atque alia illius reparari in parte locoque,
difficilest ratione docere et vincere verbis,
ordine cum possint tam certo multa creari.
it ver et Venus, et veris praenuntius ante
pennatus graditur zephyrus, vestigia propter
Flora quibus mater praespargens ante viai
cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet.
inde loci sequitur calor aridus et comes una
pulverulenta Ceres et etesia flabra aquilonum.
inde autumnus adit, graditur simul Euhius Euan.
inde aliae tempestates ventique secuntur,
altitonans Volturnus et auster fulmine pollens.
tandem bruma nives adfert pigrumque rigorem,
prodit hiemps, sequitur crepitans hanc dentibus algor.
quo minus est mirum, si certo tempore luna
gignitur et certo deletur tempore rusus,
cum fieri possint tam certo tempore multa.
Solis item quoque defectus lunaeque latebras
pluribus e causis fieri tibi posse putandumst.
nam cur luna queat terram secludere solis
lumine et a terris altum caput obstruere ei,
obiciens caecum radiis ardentibus orbem;
tempore eodem aliut facere id non posse putetur
corpus, quod cassum labatur lumine semper?
solque suos etiam dimittere languidus ignis
tempore cur certo nequeat, recreareque lumen,
cum loca praeteriit flammis infesta per auras,
quae faciunt ignis interstingui atque perire?
et cur terra queat lunam spoliare vicissim
lumine et oppressum solem super ipsa tenere,

736 possint *omissum*. || 737 veneris ||. 738 zephyri || 742 Pulverunta || et *omissum*. || 747 Redit || creditans || algi. || 750 fleri || 753 possis. || 756 eadem || 761 periri.

Digitized by Google

menstrua dum rigidas coni perlabitur umbras;
765 tempore eodem aliut nequeat succurrere lunae
corpus vel supra solis perlabier orbem,
quod radios inter rumpat lumenque profusum?
et tamen ipsa suo si fulgit luna nitore,
cur nequeat certa mundi languescere parte,
770 dum loca luminibus propriis inimica per exit?
772 Quod super est, quoniam magni per caerula mundi
qua fieri quicquid posset ratione resolvi,
solis uti varios cursus lunaeque meatus
775 noscere possemus quae vis et causa cieret,
quove modo possent offecto lumine obire
et neque opinantis tenebris obducere terras,
cum quasi conivent et aperto lumine rursum
omnia convisunt clara loca candida luce,
780 nunc redeo ad mundi novitatem et mollia terrae
arva, novo fetu quid primum in luminis oras
tollere et incertis crerint committere ventis.
Principio genus herbarum viridemque nitorem
terra dedit circum collis camposque per omnis,
785 florida fulserunt viridanti prata colore,
arboribusque datumst variis exinde per auras
crescendi magnum inmissis certamen habenis.
ut pluma atque pili primum saetaeque creantur
quadripedum membris et corpore pennipotentum,
790 sic nova tum tellus herbas virgultaque primum
sustulit, inde loci mortalia saecla creavit
multa modis multis varia ratione coorta.
nam neque de caelo cecidisse animalia possunt,
nec terrestria de salsis exisse lacunis:
795 linquitur ut merito maternum nomen adepta

---

764 periabitur || 768 fulget || 771 = 764. || 776 possent *omissum*. || 782 Tolleret || credunt || 784 campusque || 790 vilgultaque

Digitized by Google

terra sit, e terra quoniam sunt cuncta creata.
multaque nunc etiam existunt animalia terris,
imbribus et calido solis concreta vapore;
quo minus est mirum, si tum sunt plura coorta
et maiora, nova tellure atque aethere adulta.
principio genus alituum variaeque volucres
ova relinquebant exclusae tempore verno,
folliculos ut nunc teretis aestate cicadae
lincunt sponte sua victum vitamque petentes.
tum tibi terra dedit passim mortalia saecla.
multus enim calor atque umor superabat in arvis:
hoc ubi quaeque loci regio opportuna dabatur,
crescebant uteri terram radicibus apti;
quos ubi tempore maturo pate fecerat aestus
infantum, fugiens umorem aurasque petessens,
convertebat ibi natura foramina terrae
et sucum venis cogebat fundere apertis
consimilem lactis, sicut nunc femina quaeque
cum peperit, dulci repletur lacte, quod omnis
impetus in mammas convertitur ille alimenti.
terra cibum pueris, vestem vapor, herba cubile
praebebat multa et molli lanugine abundans.
at novitas mundi nec frigora dura ciebat
nec nimios aestus nec magnis viribus auras.
omnia enim pariter crescunt et robora sumunt.
Quare etiam atque etiam maternum nomen adepta
terra tenet merito, quoniam genus ipsa creavit
humanum atque animal prope certo tempore fudit
omne, quod in magnis bacchatur montibu' passim,
aëriasque simul volucres variantibu' formis.
sed quia finem aliquam pariendi debet habere,

---

799 tus || 800 maiore || 802 reliquebant || 805 primum || 809 aestas. || 812 Ut || 823 anima || 824 magni || 825 Aeriaeque

Digitized by Google

destitit, ut mulier spatio defessa vetusto.
mutat enim mundi naturam totius aetas,
ex alioque alius status excipere omnia debet,
830 nec manet ulla sui similis res: omnia migrant,
omnia commutat natura et vertere cogit.
namque aliut putrescit et aevo debile languet,
porro aliut clarescit et e contemptibus exit.
sic igitur mundi naturam totius aetas
835 mutat, et ex alio terram status excipit alter,
quod pote uti nequeat, possit quod non tulit ante.
Multaque tum tellus etiam portenta creare
conatast mira facie membrisque coorta,
androgynum, interutraque nec utrum, utrimque remotum,
840 orba pedum partim, manuum viduata vicissim,
muta sine ore etiam, sine voltu caeca reperta,
vinctaque membrorum per totum corpus adhaesu,
nec facere ut possent quicquam nec cedere quoquam
nec vitare malum nec sumere quod foret usus.
845 cetera de genere hoc monstra ac portenta creabat,
ne quiquam, quoniam natura absterruit auctum,
nec potuere cupitum aetatis tangere florem
nec reperire cibum nec iungi per Veneris res.
multa videmus enim rebus concurrere debere,
850 ut propagando possint procudere saecla;
pabula primum ut sint, genitalia deinde per artus
semina qua possint membris manare remissa,
feminaque ut maribus coniungi possit avere,
mutuaque insinuent inter se gaudia uterque.
855 Multaque tum interiisse animantum saecla necessest
nec potuisse propagando procudere prolem.

---

833 crescit || e *omissum*. || 836 potuit || 838 facit || 839 Androgynem inter utras nec utramque utrumque || 841 Multa || 844 volet || 846 abserruit || 850 procludere || 851 primunt || 852 possis || remissis. || 853 marius || possis habere. || 854 Mutua qui metuent

Digitized by Google

nam quae cumque vides vesci vitalibus auris,
aut dolus aut virtus aut denique mobilitas est
ex ineunte aevo genus id tutata reservans:
multaque sunt, nobis ex utilitate sua quae
commendata manent, tutelae tradita nostrae.
principio genus acre leonum saevaque saecla
tutatast virtus, volpes dolus, et fuga cervos.
at levisomna canum fido cum pectore corda,
et genus omne quod est veterino semine partum,
lanigeraeque simul pecudes et bucera saecla
omnia sunt hominum tutelae tradita, Memmi:
nam cupide fugere feras, pacemque secuta
sunt et larga suo sine pabula parta labore,
quae damus utilitatis eorum praemia causa.
at quis nil horum tribuit natura, nec ipsa
sponte sua possent ut vivere nec dare nobis
utilitatem aliquam, quare pateremur eorum
praesidio nostro pasci genus esseque tutum,
scilicet, haec aliis praedae lucroque iacebant
indupedita suis fatalibus omnia vinclis,
donec ad interitum genus id natura redegit.
Sed neque Centauri fuerunt, neo tempore in ullo
esse queunt duplici natura et corpore bino
ex alienigenis membris compacta, potestas
hinc illinc partis ut si par esse potissit.
id licet hinc quamvis hebeti cognoscere corde.
principio circum tribus actis impiger annis
floret ecus, puer haut quaquam: nam saepe etiam nunc
ubera mammarum in somnis lactantia quaeret:
post ubi ecum validae vires aetate senecta
membraque deficiunt fugienti languida vita,

---

859 tuta || 865 veteri non || 866 bugera || 868 secutae. || 871 ni || 873 quari || 881 parvis ut non sit pars || 884 quamquam || 885 laetantia

Digitized by Google

tum demum pueris aevo florente iuventas
occipit et molli vestit lanugine malas;
890 ne forte ex homine et veterino semine equorum
confieri credas Centauros posse neque esse,
aut rabidis canibus succinctas semimarinis
corporibus Scyllas, et cetera de genere horum,
inter se quorum discordia membra videmus;
895 quae neque florescunt pariter nec robora sumunt
corporibus neque proiciunt aetate senecta,
nec simili Venere ardescunt nec moribus unis
conveniunt, neque sunt eadem iucunda per artus.
quippe videre licet pinguescere saepe cicuta
900 barbigeras pecudes, homini quae est acre venenum.
denique flamma quidem cum corpora fulva leonum
tam soleat torrere atque urere quam genus omne
visceris in terris quod cumque et sanguinis extet,
qui fieri potuit, triplici cum corpore ut una,
905 prima leo, postrema draco, media ipsa, Chimaera
ore foras acrem flaret de corpore flammam?
quare etiam tellure nova caeloque recenti
talia qui fingit potuisse animalia gigni,
nixus in hoc uno novitatis nomine inani,
910 multa licet simili ratione effutiat ore,
aurea tum dicat per terras flumina vulgo
fluxisse, et gemmis florere arbusta suësse,
aut hominem tanto membrorum esse impete natum,
trans maria alta pedum nisus ut ponere posset
915 et manibus totum circum se vertere caelum.
nam quod multa fuere in terris semina rerum
tempore quo primum tellus animalia fudit.

---

888 puerili || florenta || 889 Officit || 892 rapidis || 896 proficiunt || 901 Denique *omissum*. || 904 unam. || 906 feras || flare || 913 homine || 914 pondere

Digitized by Google

nil tamen est signi mixtas potuisse creari
inter se pecudes compactaque membra animantum,
propterea quia quae de terris nunc quoque abundant
herbarum genera ac fruges arbustaque laeta
non tamen inter se possunt complexa creari,
sed vis quaeque suo ritu procedit, et omnes
foedere naturae certo discrimina servant.
At genus humanum multo fuit illud in arvis
durius, ut decuit, tellus quod dura creasset,
et maioribus et solidis magis ossibus intus
fundatum, validis aptum per viscera nervis,
nec facile ex aestu nec frigore quod caperetur,
nec novitate cibi nec labi corporis ulla.
multaque per caelum solis volventia lustra
volgivago vitam tractabant more ferarum.
nec robustus erat curvi moderator aratri
quisquam, nec scibat ferro molirier arva
nec nova defodere in terram virgulta neque altis
arboribus veteres decidere falcibu' ramos.
quod sol atque imbres dederant, quod terra crearat
sponte sua, satis id placabat pectora donum.
glandiferas inter curabant corpora quercus
plerumque: et quae nunc hiberno tempore cernis
arbita puniceo fieri matura colore,
plurima tum tellus etiam maiora ferebat.
multaque praeterea novitas tum florida mundi
pabula dura tulit, miseris mortalibus ampla.
at sedare sitim fluvii fontesque vocabant,
ut nunc montibus e magnis decursus aquai
clarigitat late sitientia saecla ferarum.
denique nota vagi silvestria templa tenebant

---

923 Sed si || 925 Et || 933 arari. || 934 mollerier || 935 virguita || 937 crearant. || 944 dira || 947 Claricitatiate || 948 vagis

Digitized by Google

nympharum, quibus e scibant umori' fluenta
950 lubrica proluvie larga lavere umida saxa,
umida saxa, super viridi stillantia musco,
et partim plano scatere atque erumpere campo.
nec dum res igni scibant tractare neque uti
pellibus et spoliis corpus vestire ferarum,
955 sed nemora atque cavos montis silvasque colebant,
et frutices inter condebant squalida membra,
verbera ventorum vitare imbrisque coacti.
nec commune bonum poterant spectare, neque ullis
moribus inter se scibant nec legibus uti.
960 quod cuique obtulerat praedae fortuna, ferebat
sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus.
et Venus in silvis iungebat corpora amantum:
conciliabat enim vel mutua quamque cupido
vel violenta viri vis atque inpensa libido
965 vel pretium, glandes atque arbita vel pira lecta.
et manuum mira freti virtute pedumque
consectabantur silvestria saecla ferarum,
multaque vincebant, vitabant pauca latebris,
saetigerisque pares subus
975 missilibus saxis et magno pondere clavae.
silvestria membra
970 nuda dabant terrae, nocturno tempore capti,
circum se foliis ac frondibus involventes.
nec plangore diem magno solemque per agros
quaerebant pavidi palantes noctis in umbris,
sed taciti respectabant somnoque sepulti,
976 dum rosea face sol inferret lumina caelo:
a parvis quod enim consuerant cernere semper
alterno tenebras et lucem tempore gigni,
non erat ut fieri posset mirarier umquam

949 umore || 953 scribant || 959 sciebant || 962 lugebat || 970 Nudabant || 973 parvidi || 976 rotea || 977 Apervis

Digitized by Google

nec diffidere, ne terras aeterna teneret
nox in perpetuum detracto lumine solis.
sed magis illud erat curae, quod saecla ferarum
infestam miseris faciebant saepe quietem:
eiectique domo fugiebant saxea tecta
spumigeri suis adventu validive leonis,
atque intempesta cedebant nocte paventes
hospitibus saevis instrata cubilia fronde.
Nec nimio tum plus quam nunc mortalia saecla
dulcia linquebant labentis lumina vitae.
unus enim tum quisque magis deprensus eorum
pabula viva feris praebebat, dentibus haustus,
et nemora ac montis gemitu silvasque replebat,
viva videns vivo sepeliri viscera busto.
at quos effugium servarat corpore adeso,
posterius tremulas super ulcera tetra tenentes
palmas horriferis accibant vocibus Orcum,
donique eos vita privarant vermina saeva,
expertis opis, ignaros quid volnera vellent.
at non multa virum sub signis milia ducta
una dies dabat exitio, nec turbida ponti
aequora fligebant navis ad saxa virosque.
hic temere in cassum frustra mare saepe coortum
saevibat leviterque minas ponebat inanis,
nec poterat quemquam placidi pellacia ponti
subdola pellicere in fraudem ridentibus undis.
tum penuria deinde cibi languentia leto
membra dabat, contra nunc rerum copia mersat.
illi inprudentes ipsi sibi saepe venenum
vergebant, nunc se nudant sollertius ipsi.

---

984 Electique || 985 validique || 989 lamentis || 992 gemitus || 993 vino || 995 vicerat || 996 accibunt || 997 Denique || 1001 lidebant || 1002 Nec || 1003 Saevidat || potebas || 1006 Improba navigii ratio tum caeca iacebat. || 1008 daeant || 1009 prudentes || 1010 nunc se *omissa*.

Digitized by Google

Inde casas post quam ac pellis ignemque pararunt,
et mulier coniuncta viro concessit in unum
conubium, prolemque ex se videre creatam,
tum genus humanum primum mollescere coepit.
1015 ignis enim curavit ut alsia corpora frigus
non ita iam possent caeli sub tegmine ferre,
et Venus inminuit viris, puerique parentum
blanditiis facile ingenium fregere superbum.
tunc et amicitiem coeperunt iungere aventes
1020 finitimi inter se nec laedere nec violari,
et pueros commendarunt muliebreque saeclum,
vocibus et gestu cum balbe significarent
imbecillorum esse aecum misererier omnis.
nec tamen omnimodis poterat concordia gigni,
1025 sed bona magnaque pars servabat foedera caste:
aut genus humanum iam tum foret omne peremptum,
nec potuisset adhuc perducere saecla propago.
At varios linguae sonitus natura subegit
mittere, et utilitas expressit nomina rerum,
1030 non alia longe ratione atque ipsa videtur
protrahere ad gestum pueros infantia linguae,
cum facit ut digito quae sint praesentia monstrent.
sentit enim vim quisque suam quo ad possit abuti.
cornua nata prius vitulo quam frontibus extent,
1035 illis iratus petit atque infestus inurget.
at catuli pantherarum scymnique leonum
unguibus ac pedibus iam tum morsuque repugnant,
vix etiam cum sunt dentes unguesque creati.
alituum porro genus alis omne videmus
1040 fidere et a pinnis tremulum petere auxiliatum.

1011 cassas || pellus || 1013 Cognita sunt || 1016 ferri. || 1020 violare. || 1023 omni. || 1025 casti. || 1033 vis || quod || 1035 infessus || 1038 tiam || 1039 proporro

Digitized by Google

proinde putare aliquem tum nomina distribuisse
rebus, et inde homines didicisse vocabula prima,
desiperest. nam cur hic posset cuncta notare
vocibus et varios sonitus emittere linguae,
tempore eodem alii facere id non quisse putentur?
praeterea si non alii quoque vocibus usi
inter se fuerant, unde insita notities est
utilitatis et unde data est huic prima potestas,
quid vellet, facere ut scirent animoque viderent?
cogere item pluris unus victosque domare
non poterat, rerum ut perdiscere nomina vellent.
nec ratione docere ulla suadereque surdis,
quid sit opus facto, facilest: neque enim paterentur,
nec ratione ulla sibi ferrent amplius auris
vocis inauditos sonitus obtundere frustra.
postremo quid in hac mirabile tantoperest re,
si genus humanum, cui vox et lingua vigeret,
pro vario sensu varia res voce notaret?
cum pecudes mutae, cum denique saecla ferarum
dissimilis soleant voces variasque ciere,
cum metus aut dolor est et cum iam gaudia gliscunt.
quippe etenim licet id rebus cognoscere apertis.
inritata canum cum primum inmane Molossum
mollia ricta fremunt duros nudantia dentes,
longe alio sonitu rabie restricta minantur,
et cum iam latrant et vocibus omnia complent:
et catulos blande cum lingua lambere temptant,
aut ubi eos iactant pedibus morsuque petentes
suspensis teneros minitantur dentibus haustus,
longe alio pacto gannitu vocis adulant,

1048 Utilitas || 1049 sciret || videret. || 1052 surdes. || 1053 facile si || 1055 sonitu subtundere || 1058 varias res || 1062 in || 1063 magna || 1064 premunt || 1065 alia || stricta minatur. || 1067 At || 1068 lactant || potentes. || 1069 imitantur

Digitized by Google

et cum deserti baubantur in aedibus, aut cum
plorantis fugiunt summisso corpore plagas.
denique non hinnitus item differre videtur,
inter equas ubi equus florenti aetate iuvencus
1075 pinnigeri saevit calcaribus ictus amoris,
et fremitum patulis ubi naribus edit ad arma,
et cum sic alias concussis artibus hinnit?
postremo genus alituum variaeque volucres,
accipitres atque ossifragae mergique marinis
1080 fluctibus in salso victum vitamque petentes,
longe alias alio iaciunt in tempore voces,
et quom de victu certant praedaeque repugnant:
et partim mutant cum tempestatibus una
raucisonos cantus, cornicum ut saecla vetusta
1085 corvorumque greges ubi aquam dicuntur et imbris
poscere et inter dum ventos aurasque vocare.
ergo si varii sensus animalia cogunt,
muta tamen cum sint, varias emittere voces,
quanto mortalis magis aecumst tum potuisse
1090 dissimilis alia atque alia res voce notare!
[Illud in his rebus tacitus ne forte requiras,
fulmen detulit in terram mortalibus ignem
primitus, inde omnis flammarum diditur ardor:
multa videmus enim caelestibus inlita flammis
1095 fulgere, cum caeli donavit plaga vapore.
et ramosa tamen cum ventis pulsa vacillans
aestuat in ramos incumbens arboris arbor,
exprimitur validis extritus viribus ignis
et micat inter dum flammai fervidus ardor,
1100 mutua dum inter se rami stirpesque teruntur.

1071 desertibus aubantur || 1072 Florantis || 1076 sub || 1082 praedataque || 1084 et || 1085 gregis || 1087 variis || 1088 Multa || 1090 re || 1094 insita || 1095 vaporis. || 1096 Ut || 1097 Aestua || ardoris || 1099 Emicat

Digitized by Google

quorum utrumque dedisse potest mortalibus ignem.
inde cibum quoquere ac flammae mollire vapore
sol docuit, quoniam mitescere multa videbant
verberibus radiorum atque aestu victa per agros.
Inque dies magis hi victum vitamque priorem
commutare novis monstrabant rebu' benigni,
ingenio qui praestabant et corde vigebant.
condere coeperunt urbis arcemque locare
praesidium reges ipsi sibi perfugiumque,
et pecus atque agros divisere atque dedere
pro facie cuiusque et viribus ingenioque:
nam facies multum valuit viresque vigorque.
posterius res inventast aurumque repertum,
quod facile et validis et pulchris dempsit honorem:
divitioris enim sectam plerumque secuntur
quam lubet et fortes et pulchro corpore creti.
quod siquis vera vitam ratione gubernet,
divitiae grandes homini sunt vivere parce
aequo animo: neque enim est umquam penuria parvi.
at claros homines voluerunt se atque potentes,
ut fundamento stabili fortuna maneret
et placidam possent opulenti degere vitam,
ne quiquam, quoniam ad summum succedere honorem
certantes iter infestum fecere viai,
et tamen e summo, quasi fulmen, deicit ictos
invidia inter dum contemptim in Tartara taetra;
ut satius multo iam sit parere quietum
quam regere imperio res velle et regna tenere.
proinde sine in cassum defessi sanguine sudent,
angustum per iter luctantes ambitionis;

1101 igne. || 1102 quoq. vere || 1105 in || 1106 et igni. || 1110 pecudes || diviser atque debere. || 1112 vigebant. || 1116 certi. || 1121 stabuli || 1122 placida possunt || 1124 Certantesque inter || 1126 thetra. || 1129 side || 1130 ambitiones.

Digitized by Google

1133 quandoquidem sapiunt alieno ex ore petuntque
res ex auditis potius quam sensibus ipsis,
nec magis id nunc est neque erit mox quam fuit ante,
1131 invidia quoniam, ceu fulmine, summa vaporant
plerumque et quae sunt aliis magis edita cumque.
1136 Ergo regibus occisis subversa iacebat
pristina maiestas soliorum et sceptra superba,
et capitis summi praeclarum insigne cruentum
sub pedibus vulgi magnum lugebat honorem:
1140 nam cupide conculcatur nimis ante metutum.
res itaque ad summam faecem turbasque redibat,
imperium sibi cum ac summatum quisque petebat.
inde magistratum partim docuere creare,
iuraque constituere, ut vellent legibus uti.
1145 nam genus humanum, defessum vi colere aevom,
ex inimicitiis languebat; quo magis ipsum
sponte sua cecidit sub leges artaque iura.
acrius ex ira quod enim se quisque parabat
ulcisci quam nunc concessumst legibus aequis,
1150 hanc ob rem est homines pertaesum vi colere aevom.
inde metus maculat poenarum praemia vitae.
circumretit enim vis atque iniuria quemque,
atque unde exortast, ad eum plerumque revertit,
nec facilest placidam ac pacatam degere vitam
1155 qui violat factis communia foedera pacis:
etsi fallit enim divom genus humanumque,
perpetuo tamen id fore clam diffidere debet;
quippe ubi se multi per somnia saepe loquentes
aut morbo delirantes protraxe ferantur
1160 et celata mala in medium et peccata dedisse.]

1132 altis || 1141 taque || recidat. || 1142 patebat. || 1143 recreare. || 1145 vi cere || 1147 lura. || 1150 colore || 1152 ius || iniuriam || 1159 dilirantes || 1160 mala *omissum*.

Digitized by Google

Nunc quae causa deum per magnas numina gentis
pervulgarit et ararum compleverit urbis
suscipiendaque curarit sollemnia sacra,
quae nunc in magnis florent sacra rebu' locisque,
unde etiam nunc est mortalibus insitus horror,
qui delubra deum nova toto suscitat orbi
terrarum et festis cogit celebrare diebus,
non ita difficilest rationem reddere verbis.
quippe etenim iam tum divom mortalia saecla
egregias animo facies vigilante videbant,
et magis in somnis mirando corporis auctu.
his igitur sensum tribuebant propterea quod
membra movere videbantur vocesque superbas
mittere pro facie praeclara et viribus amplis.
aeternamque dabant vitam, quia semper eorum
subpeditabatur facies et forma manebat,
et tamen omnino quod tantis viribus auctos
non temere ulla vi convinci posse putabant.
fortunisque ideo longe praestare putabant,
quod mortis timor haut quemquam vexaret eorum,
et simul in somnis quia multa et mira videbant
efficere et nullum capere ipsos inde laborem.
praeterea caeli rationes ordine certo
et varia annorum cernebant tempora verti,
nec poterant quibus id fieret cognoscere causis:
ergo perfugium sibi habebant omnia divis
tradere et illorum nutu facere omnia flecti.
in caeloque deum sedes et templa locarunt,
per caelum volvi quia lux et luna videtur,
luna, dies, et nox, et noctis signa serena,
noctivagaeque faces caeli, flammaeque volantes,

1172 proptere || 1178 illa || 1184 varias || 1185 fierent || 1189 nox || 1190 e noctis || severa.

Digitized by Google

nubila, sol, imbres, nix, venti, fulmina, grando,
et rapidi fremitus, et murmura magna minarum.
O genus infelix humanum, talia divis
1195 cum tribuit facta atque iras adiunxit acerbas!
quantos tum gemitus ipsi sibi, quantaque nobis
volnera, quas lacrimas peperere minoribu' nostris!
nec pietas ullast velatum saepe videri
vertier ad lapidem atque omnis accedere ad aras,
1200 nec procumbere humi prostratum et pandere palmas
ante deum delubra, nec aras sanguine multo
spargere quadrupedum, nec votis nectere vota,
sed mage pacata posse omnia mente tueri.
nam cum suspicimus magni caelestia mundi
1205 templa, super stellisque micantibus aethera fixum,
et venit in mentem solis lunaeque viarum,
tunc aliis oppressa malis in pectora cura
illa quoque expergefactum caput erigere infit,
ne quae forte deum nobis inmensa potestas
1210 sit, vario motu quae candida sidera verset:
temptat enim dubiam mentem rationis egestas,
ecquae nam fuerit mundi genitalis origo,
et simul ecquae sit finis, quo ad moenia mundi
solliciti motus hunc possint ferre laborem,
1215 an divinitus aeterna donata salute
perpetuo possint aevi labentia tractu
inmensi validas aevi contemnere viris.
praeterea cui non animus formidine divum
contrahitur, cui non correpunt membra pavore,
1220 fulminis horribili cum plaga torrida tellus
contremit et magnum percurrunt murmura caelum?
non populi gentesque tremunt, regesque superbi

1192 flumina || 1198 ulla velatumst || 1203 placata || 1208 eriger || 1214 Et taciti || 1220 Fulmini || 1221 murmure

Digitized by Google

corripiunt divum percussi membra timore,
nequid ob admissum foede dictumve superbe
poenarum grave sit solvendi tempus adultum?
summa etiam cum vis violenti per mare venti
induperatorem classis super aequora verrit
cum validis pariter legionibus atque elephantis,
non divom pacem votis adit ac prece quaesit
[ventorum pavidus paces animasque secundas],
ne quiquam, quoniam violento turbine saepe
correptus nilo fertur minus ad vada leti?
usque adeo res humanas vis abdita quaedam
opterit, et pulchros fascis saevasque secures
proculcare ac ludibrio sibi habere videtur.
denique sub pedibus tellus cum tota vacillat
concussaeque cadunt urbes dubiaeque minantur,
quid mirum, si se temnunt mortalia saecla
atque potestatis magnas mirasque relinquunt
in rebus viris divum, quae cuncta gubernent?
Quod super est, aes atque aurum ferrumque repertumst
et simul argenti pondus plumbique potestas,
ignis ubi ingentis silvas ardore cremarat
montibus in magnis, seu caelo fulmine misso,
sive quod inter se bellum silvestre gerentes
hostibus intulerant ignem formidinis ergo,
sive quod inducti terrae bonitate volebant
pandere agros pinguis et pascua reddere rura,
sive feras interficere et ditescere praeda:
nam fovea atque igni prius est venarier ortum
quam saepire plagis saltum canibusque ciere.
quidquid id est, qua cumque e causa flammeus ardor

1224 Nequod || 1225 adauctum. || 1226 Summe || 1229 a || 1232 aquada || 1236 sui || 1241 est aeque || 1243 gentis || 1248 panguis || 1252 Quicquid

Digitized by Google

horribili sonitu silvas exederat altis
ab radicibus et terram percoxerat igni,
1255 manabat venis ferventibus in loca terrae
concava conveniens argenti rivus et auri,
aeris item et plumbi. quae cum concreta videbant
posterius claro in terra splendere colore,
tollebant nitido capti levique lepore,
1260 et simili formata videbant esse figura
atque lacunarum fuerant vestigia cuique.
tum penetrabat eos posse haec liquefacta calore
quam libet in formam est faciem decurrere rerum,
et prorsum quamvis in acuta ac tenvia posse
1265 mucronum duci fastigia procudendo,
ut sibi tela darent, silvasque ut caedere possent
materiemque domo, levare ac radere tigna
et terebrare etiam ac pertundere perque forare.
nec minus argento facere haec auroque parabant
1270 quam validi primum violentis viribus aeris,
ne quiquam, quoniam cedebat victa potestas
nec poterat pariter durum sufferre laborem.
tum fuit in pretio magis aes, aurumque iacebat
propter inutilitatem hebeti mucrone retusum:
1275 nunc iacet aes, aurum in summum successit honorem.
sic volvenda aetas commutat tempora rerum.
quod fuit in pretio, fit nullo denique honore:
porro aliut succedit et e contemptibus exit,
inque dies magis adpetitur floretque repertum
1280 laudibus et miro est mortalis inter honore.
Nunc tibi quo pacto ferri natura reperta
sit facilest ipsi per te cognoscere, Memmi.

1253 sonitus || 1254 A || 1255 venit || 1258 terras || 1259 capiti || 1260 videbat || 1266 parent || et || possint. || 1267 dolaret levare || 1272 poterant || 1273 Nam fui || aes *omissum*. || 1278 e *omissum*. || 1280 Claudibus

Digitized by Google

arma antiqua manus ungues dentesque fuerunt,
et lapides et item silvarum fragmina rami,
5 et flamma atque ignes, post quam sunt cognita primum.
posterius ferri vis est aerisque reperta.
et prior aeris erat quam ferri cognitus usus,
quo facilis magis est natura et copia maior.
aere solum terrae tractabant, aereque belli
0 miscebant fluctus et vulnera vasta serebant
et pecus atque agros adimebant: nam facile ollis
omnia cedebant armatis nuda et inerma.
inde minutatim processit ferreus ensis,
versaque in obprobrium species est falcis ahenae,
5 et ferro coepere solum proscindere terrae
exaequataque sunt creperi certamina belli.
et prius est armatum in equi conscendere costas
et moderarier hunc frenis dextraque vigere
quam biiugo curru belli temptare pericla.
0 et biiugos prius est quam bis coniungere binos
et quam falciferos armatum escendere currus.
inde boves lucas turrito corpore, tetras,
anguimanus, belli docuerunt volnera Poeni
sufferre et magnas Martis turbare catervas.
5 sic alid ex alio peperit discordia tristis,
horribile humanis quod gentibus esset in armis,
inque dies belli terroribus addidit augmen.
Temptarunt etiam tauros in moenere belli,
expertique sues saevos sunt mittere in hostis.
10 et validos partim prae se misere leones
cum doctoribus armatis saevisque magistris,
qui moderarier his possent vinclisque tenere,
ne quiquam, quoniam permixta caede calentes

1285 flamm || 1288 maiore. || 1294 speciest || athenae. || 1300 biiugo || 1302 cas || tetros. || 1307 bellis

Digitized by Google

1314 turbabant saevi nullo discrimine turmas,
1316 nec poterant equites fremitu perterrita equorum
pectora mulcere et frenis convertere in hostis.
inritata leae iaciebant corpora saltu
undique, et adversum venientibus ora petebant,
1320 et nec opinantis a tergo deripiebant,
deplexaeque dabant in terram volnere victos,
morsibus adfixae validis atque unguibus uncis.
iactabantque suos tauri pedibusque terebant,
et latera ac ventres hauribant supter equorum
1325 cornibus, et terram minitanti fronte ruebant.
et validis socios caedebant dentibus apri,
tela infracta suo tinguentes sanguine saevi,
1329 permixtasque dabant equitum peditumque ruinas:
nam transversa feros exibant dentis adactus
iumenta aut pedibus ventos erecta petebant,
ne quiquam, quoniam ab nervis succisa videres
concidere atque gravi terram consternere casu.
si quos ante domi domitos satis esse putabant.
1335 effervescere cernebant in rebus agundis,
volneribus, clamore, fuga, terrore, tumultu,
nec poterant ullam partem redducere eorum:
diffugiebat enim varium genus omne ferarum;
ut nunc saepe boves lucae ferro male mactae
1340 diffugiunt, fera fata suis cum multa dedere.
sic fuit ut facerent. sed vix adducor ut, ante
1343 quam commune malum fieret foedumque, futurum
1342 non quierint animo praesentire atque videre.
1347 sed facere id non tam vincendi spe voluerunt,

1315 Terrificas capitum quatientes undique cristas. || 1319 patebant. || 1325 mente || 1328 In se fracta suo tinguentes sanguine tela. || 1330 adauctus. || 1331 petebat. || 1340 facta || 1341 Si || 1344 Et magis id possis factum contendere in omni. || 1345 = 528. || 1346 Quam certo atque uno terrarum quo libet orbi.

Digitized by Google

quam dare quod gemerent hostes, ipsique perire,
qui numero diffidebant armisque vacabant.
0 Nexilis ante fuit vestis quam textile tegmen.
textile post ferrumst, quia ferro tela paratur,
nec ratione alia possunt tam levia gigni
insilia ac fusi, radii, scapique sonantes.
et facere ante viros lanam natura coëgit
5 quam muliebre genus: nam longe praestat in arte
et sollertius est multo genus omne virile;
agricolae donec vitio vertere severi,
ut muliebribus id manibus concedere vellent
atque ipsi pariter durum sufferre laborem,
0 atque opere in duro durarent membra manusque.
At specimen sationis et insitionis origo
ipsa fuit rerum primum natura creatrix,
arboribus quoniam bacae glandesque caducae
tempestiva dabant pullorum examina supter;
5 unde etiam libitumst stirpis committere ramis
et nova defodere in terram virgulta per agros.
inde aliam atque aliam culturam dulcis agelli
temptabant, fructusque feros mansuescere terram
cernebant indulgendo blandeque colendo.
0 inque dies magis in montem succedere silvas
cogebant infraque locum concedere cultis,
prata lacus rivos segetes vinetaque laeta
collibus et campis ut haberent, atque olearum
caerula distinguens inter plaga currere posset
5 per tumulos et convallis camposque profusa;
ut nunc esse vides vario distincta lepore
omnia, quae pomis intersita dulcibus ornant
arbustisque tenent felicibus opsita circum.
[At liquidas avium voces imitarier ore

1354 ianam || 1361 A || 1366 defodire || 1368 terra.

Digitized by Google

1380 ante fuit multo quam levia carmina cantu
concelebrare homines possent aurisque iuvare.
et zephyri, cava per calamorum, sibila primum
agrestis docuere cavas inflare cicutas.
inde minutatim dulcis didicere querellas,
1385 tibia quas fundit digitis pulsata canentum,
avia per nemora ac silvas saltusque reperta,
per loca pastorum deserta atque otia dia.
1390 haec animos ollis mulcebant atque iuvabant
cum satiate cibi: nam tum sunt carmina cordi.
saepe itaque inter se prostrati in gramine molli
propter aquae rivom sub ramis arboris altae
non magnis opibus iucunde corpora habebant,
1395 praesertim cum tempestas ridebat et anni
tempora pingebant viridantis floribus herbas.
tum ioca, tum sermo, tum dulces esse cachinni
consuerant. agrestis enim tum musa vigebat:
tum caput atque umeros plexis redimire coronis
1400 floribus et foliis lascivia laeta monebat,
atque extra numerum procedere membra moventes
duriter et duro terram pede pellere matrem;
unde oriebantur risus dulcesque cachinni,
omnia quod nova tum magis haec et mira vigebant.
1405 et vigilantibus hinc aderant solacia somni,
ducere multimodis voces et flectere cantus
et supera calamos unco percurrere labro;
unde etiam vigiles nunc haec accepta tuentur,
et numerum servare sonis didicere, neque hilo
1410 maiorem interea capiunt dulcedini' fructum
quam silvestre genus capiebat terrigenarum.

1388 1389 = 1454 1455. || 1390 iuvabat. || 1391 omnia || 1392 gramina || 1393 Proptere || 1397 loca || 1399 redimere || 1400 movebat. || 1404 vigebat. || 1405 somno. || 1409 genus || 1410 Maiore || dulcedine

Digitized by Google

nam quod adest praesto, nisi quid cognovimus ante
suavius, in primis placet et pollere videtur,
posteriorque fere melior res illa reperta
1415 perdit et immutat sensus ad pristina quaeque.
sic odium coepit glandis, sic illa relicta
strata cubilia sunt herbis et frondibus aucta.
pellis item cecidit vestis contempta ferinae;
quam reor invidia tali tunc esse repertam,
1420 ut letum insidiis qui gessit primus obiret,
et tamen inter eos distractam sanguine multo
disperiisse neque in fructum convertere quisse.
tunc igitur pelles, nunc aurum et purpura curis
exercent hominum vitam belloque fatigant;
1425 quo magis in nobis, ut opinor, culpa resedit.
frigus enim nudos sine pellibus excruciabat
terrigenas: at nos nil laedit veste carere
purpurea atque auro signisque ingentibus apta,
dum plebeia tamen sit, quae defendere possit.
1430 ergo hominum genus in cassum frustraque laborat
semper et in curis consumit inanibus aevom,
ni mirum, quia non cognovit quae sit habendi
finis et omnino quo ad crescat vera voluptas:
idque minutatim vitam provexit in altum
1435 et belli magnos commovit funditus aestus.]
At vigiles mundi magnum versatili' templum
sol et luna suo lustrantes lumine circum
perdocuere homines annorum tempora verti
et certa ratione geri rem atque ordine certo.
1440 Iam validis saepti degebant turribus aevom,
et divisa colebatur discretaque tellus,

1416 sigilla || 1418 ferina. || 1419 nunc || 1425 ina || 1429 plebela || 1431 in *omissum*. || 1436 versatile || 1440 degebat || 1441 disceretaque

Digitized by Google

iam mare velivolis florebat puppibus, et res
auxilia ac socios iam pacto foedere habebant,
carminibus cum res gestas coepere poëtae
1445 tradere: nec multo priu' sunt elementa reperta.
propterea quid sit prius actum respicere aetas
nostra nequit, nisi qua ratio vestigia monstrat.
Navigia atque agri culturas, moenia, leges,
arma, vias, vestes, et cetera de genere horum,
1450 praemia, delicias quoque vitae funditus omnis,
carmina, picturas, et daedala signa polire,
usus et impigrae simul experientia mentis
paulatim docuit pedetemtim progredientis.
sic unum quicquid paulatim protrahit aetas
1455 in medium ratioque in luminis erigit oras:
namque alid ex alio clarescere conveniebat,
artibus ad summum donec venere cacumen.

1442 Tum || propter odores. || 1444 caepere || 1449 et *omissum*. || 1451 polito. || 1456 corde videbant.

Digitized by Google

T. LUCRETI CARI

DE RERUM NATURA

LIBER SEXTUS.

Primae frugiparos fetus mortalibus aegris
dididerunt quondam praeclaro nomine Athenae,
et recreaverunt vitam legesque rogarunt,
et primae dederunt solacia dulcia vitae,
5 cum genuere virum tali cum corde repertum,
omnia veridico qui quondam ex ore profudit;
cuius, et extincti, propter divina reperta
divolgata vetus iam ad caelum gloria fertur.
nam cum vidit hic ad victum quae flagitat usus
10 omnia iam ferme mortalibus esse parata,
et, pro quam posset, vitam consistere tutam,
divitiis homines et honore et laude potentis
affluere atque bona gnatorum excellere fama,
nec minus esse domi cuiquam tamen anxia corda,
15 atque animi ingratis vitam vexare querellis
passimque infestis cogei saevire periclis,

---

1 aegros. || 4 solaci || 7 extincta || 10 acortalibus || 11 possent || 13 excollere || 14 cordi. || 16 Pausa atque || coget || querellis.

Digitized by Google

intellegit ibi vitium vas efficere ipsum,
omniaque illius vitio corrumpier intus,
quae conlata foris, et commoda, cumque venirent;
20 partim quod fluxum pertusumque esse videbat,
ut nulla posset ratione explerier umquam;
partim quod taetro quasi conspurcare sapore
omnia cernebat, quae cumque receperat, intus.
veridicis igitur purgavit pectora dictis,
25 et finem statuit cuppedinis atque timoris,
exposuitque bonum summum, quo tendimus omnes,
quid foret, atque viam monstravit, tramite parvo
qua possemus ad id recto contendere cursu,
quidve mali foret in rebus mortalibu' passim,
30 quod fieret naturali varieque volaret
seu causa seu vi, quod sic natura parasset,
et quibus e portis occurri cuique deceret,
et genus humanum frustra plerumque probavit
volvere curarum tristis in pectore fluctus.
35 nam vel uti pueri trepidant atque omnia caecis
in tenebris metuunt, sic nos in luce timemus
inter dum, nilo quae sunt metuenda magis quam
quae pueri in tenebris pavitant finguntque futura.
hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest
40 non radii solis nec lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque.
quo magis inceptum pergam pertexere dictis.
Et quoniam docui mundi mortalia templa
esse et nativo consistere corpore caelum,
45 et quae cumque in eo fiunt fateare necessest
pleraque dissolui, quae restant percipe porro,

---

17 fas || 22 conspurgare || 28 recta || 30 fuerit || 31 casu || signatura || 32 E || 33 prustra || 34 Volnere || 35 caelis. || 44 et *omissum*. || 45 fierique

Digitized by Google

quandoquidem semel institui conscendere currum
ventosum et certant plangentia flamina rursum;
quae fuerint, sine, placato conversa furore.
Cetera quae fieri in terris caeloque tuentur
mortales, pavidis cum pendent mentibu' saepe,
haec faciunt animos humilis formidine divom
depressosque premunt ad terram propterea quod
ignorantia causarum conferre deorum
cogit ad imperium res et concedere regnum.
nam bene qui didicere deos securum agere aevom,
si tamen interea mirantur qua ratione
quaeque geri possint, praesertim rebus in illis
quae supera caput aetheriis cernuntur in oris,
rursus in antiquas referuntur religionis,
et dominos acris adsciscunt, omnia posse
quos miseri credunt, ignari quid queat esse,
quid nequeat, finita potestas denique cuique
qua nam sit rationi atque alte terminus haerens;
quo magis errantes caeca ratione feruntur.
quae nisi respuis ex animo longeque remittis
dis indigna putare alienaque pacis eorum,
delibata deum per te tibi numina sancta
saepe oberunt; non quo violari summa deum vis
possit, ut ex ira poenas petere inbibat acris,
sed quia tute tibi placida cum pace quietos
constitues magnos irarum volvere fluctus,
nec delubra deum placido cum pectore adibis,
nec de corpore quae sancto simulacra feruntur
in mentes hominum divinae nuntia formae,

---

47 insignem || 48 Ventorum exirtant placentur omnia || 49 sint || favore. || 51 montibus || 52 Et || 56 57 = 90 91 || 63 adciscunt || 64 miseris || 68 longique remitti. || 71 oderunt || violaris || 72 ire || 73 quietus. || 74 fletus. || 76 fuerunt.

Digitized by Google

suscipere haec animi tranquilla pace valebis.
inde videre licet qualis iam vita sequatur.
80 quam quidem ut a nobis ratio verissima longe
reiciat, quamquam sunt a me multa profecta,
multa tamen restant et sunt ornanda politis
versibus: est ratio fulgendi visque tonandi,
sunt tempestates et fulmina clara canenda,
85 [quid faciant et qua de causa cumque ferantur;
ne trepides caeli divisis partibus amens,
unde volans ignis pervenerit aut in utram se
verterit hinc partim, quo pacto per loca septa
insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se.]
90 quorum operum causas nulla ratione videre
possunt ac fieri divino numine rentur.
tu mihi supremae praescribta ad candida calcis
currenti spatium praemonstra, callida musa
Calliope, requies hominum divomque voluptas,
95 te duce ut insigni capiam cum laude coronam.
Principio tonitru quatiuntur caerula caeli
propterea quia concurrunt sublime volantes
aetheriae nubes contra pugnantibu' ventis.
nec fit enim sonitus caeli de parte serena,
100 verum ubi cumque magis denso sunt agmine nubes,
tam magis hinc magno fremitus fit murmure saepe.
praeterea neque tam condenso corpore nubes
esse queunt quam sunt lapides ac tigna, neque autem
tam tenues quam sunt nebulae fumique volantes:
105 nam cadere ab bruto deberent pondere pressae
ut lapides, aut ut fumus constare nequirent
nec cohibere nives gelidas et grandinis imbris.

---

83 et ratio caelisque tenenda. || 84 flumina || 86 trepidas || 87 perveneret || 91 fier || 92 prescribita ac || callis. || 95 laudi || 102 Pretere || nure. || 103 pepides ac iigna || 105 avi

Digitized by Google

dant etiam sonitum patuli super aequora mundi,
carbasus ut quondam magnis intenta theatris
10 dat crepitum malos inter iactata trabesque,
inter dum perscissa furit petulantibus auris
et fragilis sonitus chartarum commeditatur:
id quoque enim genus in tonitru cognoscere possis,
aut ubi suspensam vestem chartasve volantis
15 verberibus venti versant planguntque per auras.
fit quoque enim inter dum ut non tam concurrere nubes
frontibus adversis possint quam de latere ire
diverso motu radentes corpora tractim,
aridus unde auris terget sonus ille diuque
20 ducitur, exierunt donec regionibus artis.
Hoc etiam pacto tonitru concussa videntur
omnia saepe gravi tremere et divolsa repente,
maxima dissiluisse capacis moenia mundi,
cum subito validi venti conlecta procella
25 nubibus intorsit sese, conclusaque ibidem
turbine versanti magis ac magis undique nubem
cogit uti fiat spisso cava corpore circum,
post ubi conminuit vis eius et impetus acer,
tum perterricrepo sonitu dat fissa fragorem.
30 nec mirum, cum plena animae vensicula parva
saepe det haut parvum sonitum displosa repente.
Est etiam ratio, cum venti nubila perflant,
ut sonitus faciant: etenim ramosa videmus
nubila saepe modis multis atque aspera ferri;
35 scilicet, ut, crebram silvam cum flamina cauri
perflant, dant sonitum frondes ramique fragorem.

---

110 matos || 111 petuiantibus || 112 sonitus *omissum*. || chatarum || 114 chartasque || 115 plaguentque || 116 ut *omissum*. || 118 corpore || 120 exierum || 122 teremere || 124 concollecta || 126 versante || 129 missa || 131 Saepe ita dat parvum || 132 perfiant. || 136 Perfiant

Digitized by Google

fit quoque ut inter dum validi vis incita venti
perscindat nubem perfringens impete recto:
nam quid possit ibi flatus manifesta docet res,
140 hic, ubi lenior est, in terra cum tamen alta
arbusta evolvens radicibus haurit ab imis.
sunt etiam fluctus per nubila, qui quasi murmur
dant in frangendo graviter; quod item fit in altis
fluminibus magnoque mari, cum frangitur aestus.
145 id quoque, ubi e nubi in nubem vis incidit ardens
fulminis, haec multo si forte umore recepit
ignem, continuo magno clamore trucidat;
ut calidis candens ferrum e fornacibus olim
stridit, ubi in gelidum propere demersimus imbrem.
150 aridior porro si nubes accipit ignem,
uritur ingenti sonitu succensa repente;
lauricomos ut si per montis flamma vagetur
turbine ventorum comburens impete magno:
nec res ulla magis quam Phoebi Delphica laurus
155 terribili sonitu flamma crepitante crematur.
denique saepe geli multus fragor atque ruina
grandinis in magnis sonitum dat nubibus alte:
ventus enim cum confercit, franguntur in arto
concreti montes nimborum et grandine mixti.
160 Fulgit item, nubes ignis cum semina multa
excussere suo concursu; ceu lapidem si
percutiat lapis aut ferrum: nam tum quoque lumen
exilit et claras scintillas dissipat ignis.
sed tonitrum fit uti post auribus accipiamus,
165 fulgere quam cernant oculi, quia semper ad auris
tardius adveniunt quam visum quae moveant res.

---

141 volvens || 144 aest. || 145 Fit || 149 propter || 151 ingentis || recente. || 153 Turne || 154 vita || 155 sonitum || 158 artum. || 162 Percuciat || 165 Fugere

Digitized by Google

id licet hinc etiam cognoscere. caedere si quem
ancipiti videas ferro procul arboris auctum,
ante fit ut cernas ictum quam plaga per auris
70 det sonitum: sic fulgorem quoque cernimus ante
quam tonitrum accipimus, pariter qui mittitur igni
e simili causa, concursu natus eodem.

Hoc etiam pacto volucri loca lumine tingunt
nubes et tremulo tempestas impete fulgit.
75 ventus ubi invasit nubem et versatus ibidem
fecit ut ante cavam docui spissescere nubem,
mobilitate sua fervescit; ut omnia motu
percalefacta vides ardescere, plumbea vero
glans etiam longo cursu volvenda calescit.
180 ergo fervidus hic nubem cum perscidit atram,
dissipat ardoris quasi per vim expressa repente
semina, quae faciunt nictantia fulgura flammae:
inde sonus sequitur, qui tardius adficit auris
quam quae perveniunt oculorum ad lumina nostra.
185 scilicet, hoc densis fit nubibus et simul alte
extructis aliis alias super impete miro.
189 contemplator enim, cum montibus adsimulata
nubila portabunt venti transversa per auras,
aut ubi per magnos montis cumulata videbis
insuper esse aliis alia atque urguere superne
in statione locata sepultis undique ventis;
187 ne tibi sit frudi quod nos inferne videmus
quam sint lata magis quam sursum extructa quid extent.
194 tum poteris magnas moles cognoscere eorum
speluncasque vel ut saxis pendentibu' structas
cernere, quas venti cum tempestate coorta

---

168 Ungipiti videat || 170 fulgurem || 178 adescere || 179 quiescit. || 180 perscindit || 183 adlicit || 185 alti. || 191 culata || 192 superna. || 193 satione || 188 sit || extricta

Digitized by Google

conplerunt, magno indignantur murmure clausi
nubibus, in caveisque ferarum more minantur,
nunc hinc nunc illinc fremitus per nubila mittunt,
200 quaerentesque viam circum versantur, et ignis
semina convolvunt e nubibus atque ita cogunt
multa, rotantque cavis flammam fornacibus intus,
donec divolsa fulserunt nube corusci.

Hac etiam fit uti de causa mobilis ille
205 devolet in terram liquidi color aureus ignis,
semina quod nubes ipsas permulta necessust
ignis habere: etenim cum sunt umore sine ullo,
flammeus est plerumque colos et splendidus ollis:
quin etiam solis de lumine multa necessest
210 concipere, ut merito rubeant ignesque profundant.
hasce igitur cum ventus agens contrusit in unum
compressitque locum cogens, expressa profundunt
semina, quae faciunt flammae fulgore colores.
fulgit item, cum rarescunt quoque nubila caeli.
215 nam cum ventus eas leviter diducit euntis
dissoluitque, cadant ingratis illa necessest
semina quae faciunt fulgorem: tum sine taetro
terrore et sonitu fulgit nulloque tumultu.

Quod super est, quali natura praedita constent
220 fulmina, declarant ictu loca inusta, vaporis
signa, notaeque gravis halantis sulpuris auras:
ignis enim sunt haec non venti signa neque imbris.
praeterea saepe accendunt quoque tecta domorum
et celeri flamma dominantur in aedibus ipsis.
225 hunc tibi subtilem cum primis ignibus ignem

---

199 fremitu || 201 c *omissum*. || 205 calor || 207 Ignes || 208 Flameusq. plerumque || olis. || 209 Quippe enim || 210 iubeant || 213 fulgere || 216 ingratius || 218 sonis || 219 quali *omissum*. || 220 ictu et inusta || 221 auris. || 223 se

Digitized by Google

constituit natura minutis mobilibusque
corporibus, cui nil omnino obsistere possit.
28 transit enim validum fulmen per saxa, per aera,
30 et liquidum puncto facit aes in tempore et aurum,
curat utei vasis integris vina repente
diffugiant, quia, ni mirum, facile omnia circum
conlaxat rareque facit lateramina vasis
adveniens calor eius, et insinuatus in ipsum
35 mobiliter soluens differt primordia vini.
quod solis vapor aetatem non posse videtur
efficere usque adeo pollens fervore corusco.
tanto mobilior vis et dominantior haec est.
Nunc ea quo pacto gignantur et impete tanto
40 fiant ut possint ictu discludere turris,
disturbare domos, avellere tigna trabesque,
et lamenta virum commoliri atque ciere,
exanimare homines, pecudes prosternere passim,
cetera de genere hoc qua vi facere omnia possint,
45 expediam, neque te in promissis plura morabor.
Fulmina gignier e crassis alteque putandumst
nubibus extructis: nam caelo nulla sereno
nec leviter densis mittuntur nubibus umquam.
nam dubio procul hoc fieri manifesta docet res;
50 quod tum per totum concrescunt aëra nubes,
undique uti tenebras omnis Acherunta reamur
liquisse et magnas caeli complesse cavernas.
usque adeo tetra nimborum nocte coorta
inpendent atrae formidinis ora superne,
55 cum commoliri tempestas fulmina coeptat.

---

226 montibusque. || 228 per septa domorum. || 229 Clamor ut ac voces transit per sasca per aera. || 231 item || 234 ut || 237 tellens fervere || 241 igna || 242 monimenta || 245 te *omissum*. || 246 gigni e classis || 250 tunc

Digitized by Google

praeterea persaepe niger quoque per mare nimbus,
ut picis e caelo demissum flumen, in undas
sic cadit effertus tenebris procul et trahit atram
fulminibus gravidam tempestatem atque procellis,
260 ignibus ac ventis cum primis ipse repletus,
in terra quoque ut horrescant ac tecta requirant.
sic igitur supera nostrum caput esse putandumst
tempestatem altam. neque enim caligine tanta
obruerent terras, nisi inaedificata superne
265 multa forent multis exempto nubila sole:
nec tanto possent venientes opprimere imbri,
flumina abundare ut facerent camposque natare,
si non extructis foret alte nubibus aether.
hic igitur ventis atque ignibus omnia plena
270 sunt: ideo passim fremitus et fulgura fiunt.
quippe etenim supra docui permulta vaporis
semina habere cavas nubes, et multa necessest
concipere ex solis radiis ardoreque eorum.
hoc ubi ventus eas idem qui cogit in unum
275 forte locum quemvis, expressit multa vaporis
semina seque simul cum eo commiscuit igni,
insinuatus ibi vortex versatur in arto
et calidis acuit fulmen fornacibus intus:
nam duplici ratione accenditur, ipse sua cum
280 mobilitate calescit, et e contagibus ignis.
inde ubi percaluit gravida, aut vis ignis et acer
impetus incessit, maturum tum quasi fulmen
perscindit subito nubem, ferturque coruscis
omnia luminibus lustrans loca percitus ardor.
285 quem gravis insequitur sonitus, displosa repente

---

257 dimissum fulmen || 258 et fertus || 269 plana. || 272 haecdere || necesset. || 277 alto. || 281 gravis venti vis igni. || et acer *omissa*. || 285 repenati.

Digitized by Google

exprimere ut caeli videantur templa superne.
inde tremor terras graviter pertemptat, et altum
murmura percurrunt caelum: nam tota fere tum
tempestas concussa tremit fremitusque moventur.
quo de concussu sequitur gravis imber et uber,
omnis uti videatur in imbrem vertier aether
atque ita praecipitans ad diluviem revocari:
tantus discidio nubis ventique procella
mittitur, ardenti sonitus cum provolat ictu.
est etiam cum vis extrinsecus incita venti
incidit in gravidam maturo fulmine nubem;
quam cum perscidit, extemplo cadit igneus ille
vertex, quem patrio vocitamus nomine fulmen.
hoc fit idem in partis alias, quo cumque tulit vis.
fit quoque ut inter dum venti vis missa sine igni
igniscat tamen in spatio longoque meatu,
cum venit amittens in cursu corpora quaedam
grandia, quae nequeunt pariter penetrare per auras,
atque alia ex ipso conradens aëre portat
parvola, quae faciunt ignem commixta volando;
non alia longe ratione ac plumbea saepe
fervida fit glans in cursu, cum multa rigoris
corpora dimittens ignem concepit in auris.
fit quoque ut ipsius plagae vis excitet ignem,
frigida cum venti pepulit vis missa sine igni,
ni mirum, quia, cum vementi perculit ictu,
confluere ex ipso possunt elementa vaporis,
et simul ex illa quae tum res excipit ictum;
ut, lapidem ferro cum caedimus, evolat ignis,
nec, quod frigida vis ferrist, hoc setius illi

---

286 Opprimere || 288 pccurrunt || 290 concussus || 291 ut || 292 revocare. || 295 Es || 296 valida || culmine || 298 spatio || 302 Dum || 308 concipit || 309 ipsis || 315 ille.

Digitized by Google

semina concurrunt calidi fulgoris ad ictum.
sic igitur quoque res accendi fulmine debet,
opportuna fuit si forte et idonea flammis.
nec temere omnino plane vis frigida venti
320 esse potest, ea quae tanta vi missa supernest,
quin, prius in cursu si non accenditur igni,
at tepefacta tamen veniat commixta calore.
Mobilitas autem fit fulminis et gravis ictus,
et celeri ferme percurrunt fulmina lapsu,
325 nubibus ipsa quod omnino prius incita se vis
colligit et magnum conamen sumit eundi,
inde ubi non potuit nubes capere inpetis auctum,
exprimitur vis atque ideo volat impete miro,
ut validis quae de tormentis missa feruntur.
330 adde quod e parvis et levibus est elementis,
nec facilest tali naturae opsistere quicquam:
inter enim fugit ac penetrat per rara viarum,
non igitur multis offensibus in remorando
haesitat, hanc ob rem celeri volat impete labens.
335 adde quod omnino natura pondera deorsum
omnia nituntur, cum plagast addita vero,
mobilitas duplicatur et impetus ille gravescit,
ut vementius et citius quae cumque morantur
obvia discutiat plagis itinerque sequatur.
340 denique quod longo venit impete, sumere debet
mobilitatem etiam atque etiam, quae crescit eundo
et validas auget viris et roborat ictum:
nam facit ut quae sint illius semina cumque
e regione locum quasi in unum cuncta ferantur,
345 omnia coniciens in eum volventia cursum.

---

318 indoneat || 320 ex quae tantau || 321 cursus non || 322 colore. 323 Nobilitas || 324 At || percunt || 335 Deinde || deorum. || 336 plaga si || 344 regionem

Digitized by Google

forsitan ex ipso veniens trahat aëre quaedam
corpora, quae plagis incendunt mobilitatem.
incolumisque venit per res atque integra transit
multa, foraminibus liquidus quia transvolat ignis.
multaque perfigit, cum corpora fulminis ipsa
corporibus rerum inciderunt, qua texta tenentur.
dissoluit porro facile aes aurumque repente
conferve facit, e parvis quia facta minute
corporibus vis est et levibus ex elementis,
quae facile insinuantur et insinuata repente
dissoluont nodos omnis et vincla relaxant.
autumnoque magis stellis fulgentibus apta
concutitur caeli domus undique totaque tellus,
et cum tempora se veris florentia pandunt.
frigore enim desunt ignes, ventique calore
deficiunt neque sunt tam denso corpore nubes.
interutraque igitur cum caeli tempora constant,
tum variae causae concurrunt fulminis omnes:
nam fretus ipse anni permiscet frigus et aestum,
quorum utrumque opus est fabricanda ad fulmina nubi,
ut discordia sit rerum magnoque tumultu
ignibus et ventis furibundus fluctuet aër.
prima caloris enim pars est postrema rigoris,
tempus ut est vernum; quare pugnare necessest
dissimilis inter se res turbareque mixtas:
et calor extremus primo cum frigore mixtus
volvitur, autumni quod fertur nomine tempus,
hic quoque confligunt hiemes aestatibus acres.
propterea freta sunt haec anni nominitanda,

---

346 here || 349 transviat || 356 vincia || 357 alta. || 359 ris || 360 calores. || 362 Inter utrasque || 364 et *omissum*. || 365 nobis. || 366 sit *omissum*. || 368 ligoris. || 369 id || 370 res *omissum*. || 372 Vovitur || 374 freta *omissum*.

Digitized by Google

375 nec mirumst, in eo si tempore plurima fiunt
fulmina tempestasque cietur turbida caelo,
ancipiti quoniam bello turbatur utrimque,
hinc flammis, illinc ventis, umoreque mixto.
Hoc est igniferi naturam fulminis ipsam
380 perspicere et qua vi faciat rem quamque videre,
non Tyrrhena retro volventem carmina frustra
indicia occultae divum perquirere mentis,
unde volans ignis pervenerit aut in utram se
verterit hinc partim, quo pacto per loca saepta
385 insinuarit, et hinc dominatus ut extulerit se,
quidve nocere queat de caelo fulminis ictus.
quod si Iuppiter atque alii fulgentia divi
terrifico quatiunt sonitu caelestia templa
et iaciunt ignem quo cuiquest cumque voluptas,
390 cur quibus incautum scelus aversabile cumquest
non faciunt icti flammas ut fulguris halent
pectore perfixo, documen mortalibus acre,
et potius nulla sibi turpi conscius in re
volvitur in flammis innoxius inque peditur
395 turbine caelesti subito correptus et igni?
cur etiam loca sola petunt frustraque laborant?
an tum bracchia consuescunt firmantque lacertos?
in terraque patris cur telum perpetiuntur
optundi? cur ipse sinit, neque parcit in hostis?
400 denique cur numquam caelo iacit undique puro
Iuppiter in terras fulmen sonitusque profundit?
an simul ac nubes successere, ipse in eas tum
descendit, prope ut hinc teli determinet ictus?
in mare qua porro mittit ratione? quid undas

---

375 eos tempore || 376 cie || 377 bellio || 382 menti. || 383 utrame. || 384 hic || 385 catulerit || 386 fulmines || 389 quo inquest || voluntas. || 393 concius || 401 Iuppiterras || 402 in aes

Digitized by Google

arguit et liquidam molem camposque natantis?
praeterea si vult caveamus fulminis ictum,
cur dubitat facere ut possimus cernere missum?
si nec opinantis autem volt opprimere igni,
cur tonat ex illa parte, ut vitare queamus,
cur tenebras ante et fremitus et murmura concit?
et simul in multas partis qui credere possis
mittere? an hoc ausis numquam contendere factum,
ut fierent ictus uno sub tempore plures?
at saepest numero factum fierique necessest,
ut pluere in multis regionibus et cadere imbris,
fulmina sic uno fieri sub tempore multa.
postremo cur sancta deum delubra suasque
discutit infesto praeclaras fulmine sedes
et bene facta deum frangit simulacra suisque
demit imaginibus violento volnere honorem?
altaque cur plerumque petit loca, plurimaque eius
montibus in summis vestigia cernimus ignis?
Quod super est, facilest ex his cognoscere rebus,
presteras Graiei quos ab re nominitarunt,
in mare qua missi veniant ratione superne.
nam fit ut inter dum tam quam demissa columna
in mare de caelo descendat, quam freta circum
fervescunt graviter spirantibus incita flabris,
et quae cumque in eo tum sint deprensa tumultu
navigia in summum veniant vexata periclum.
hoc fit ubi inter dum non quit vis incita venti
rumpere quam coepit nubem, sed deprimit, ut sit
in mare de caelo tam quam demissa columna,
paulatim, quasi quid pugno bracchique superne
coniectu trudatur et extendatur in undas:

---

406 vivit || 417 dilubra || 421 ioca || plus. || 424 grali || 426 tam cum || 428 lacita || 430 veniunt

Digitized by Google

quam cum discidit, hinc prorumpitur in mare venti
vis et fervorem mirum concinnat in undis:
versabundus enim turbo descendit et illam
deducit pariter lento cum corpore nubem;
440 quam simul ac gravidam detrusit ad aequora ponti,
ille in aquam subito totum se inmittit et omne
excitat ingenti sonitu mare fervere cogens.
fit quoque ut involvat venti se nubibus ipse
vertex, conradens ex aëre semina nubis,
445 et quasi demissum caelo prestera imitetur:
hic ubi se in terras demisit dissoluitque,
turbinis inmanem vim provomit atque procellae.
sed quia fit raro omnino montisque necessest
officere in terris, apparet crebrius idem
450 prospectu maris in magno caeloque patenti.
Nubila concrescunt, ubi corpora multa volando
hoc supero in caeli spatio coïere repente
asperiora, moris quae possint indupedita
exiguis tamen inter se comprensa teneri.
455 haec faciunt primum parvas consistere nubes:
inde haec comprendunt inter se conque gregantur
et coniungendo crescunt ventisque feruntur
usque adeo donec tempestas saeva coortast.
fit quoque uti montis vicina cacumina caelo
460 quam sint quoque magis, tanto magis edita fument
adsidue furvae nubis caligine crassa
propterea quia, cum consistunt nubila primum,
ante videre oculi quam possint, tenvia, venti
portantes cogunt ad summa cacumina montis:
465 hic demum fit uti turba maiore coorta

---

436 vent. || 440 detruit || 444 aeri || 447 procellat. || 449 Officeret || 452 super || coire || 453 modis || 454 compressa || 456 ea || 461 fulvae nubes || 465 mmor

Digitized by Google

et condensa queant apparere et simul ipso
vertice de montis videantur surgere in aethram:
nam loca declarat sursum ventosa patere
res ipsa et sensus, montis cum ascendimus altos.
praeterea permulta mari quoque tollere toto
corpora naturam declarant litore vestes
suspensae, cum concipiunt umoris adhaesum.
quo magis ad nubis augendas multa videntur
posse quoque e salso consurgere momine ponti:
nam ratio consanguineast umoribus ollis.
praeterea fluviis ex omnibus et simul ipsa
surgere de terra nebulas aestumque videmus,
quae vel ut alitus hinc ita sursum expressa feruntur
suffunduntque sua caelum caligine et altas
sufficiunt nubis paulatim conveniundo:
urget enim quoque signiferi super aetheris aestus
et quasi densendo subtexit caerula nimbis.
fit quoque ut huc veniant in caelum extrinsecus illa
corpora quae faciunt nubis nimbosque volantis:
innumerabilem enim numerum summamque profundi
esse infinitam docui, quantaque volarent
corpora mobilitate ostendi quamque repente
inmemorabile per spatium transire solerent.
haut igitur mirumst, si parvo tempore saepe
tam magnis nimbis tempestas atque tenebrae
coperiunt maria ac terras inpensa superne,
undique quandoquidem per caulas aetheris omnis
et quasi per magni circum spiracula mundi
exitus introitusque elementis redditus extat.

---

466 condensatque arta parere || 467 videatur || 468 lo || 469 sensum || 473 Quod || 474 mhomine || 475 consanguinea se || omnis. || 476 fluvis || 481 Urgit || supe || 483 hunc || illi. || 488 per *omissum*. || 490 montis tempesta || 491 Coperiant || 492 cavias

Digitized by Google

495 Nunc age, quo pacto pluvius concrescat in altis
nubibus umor, et in terras demissus ut imber
decidat, expediam. primum iam semina aquai
multa simul vincam consurgere nubibus ipsis
omnibus ex rebus, pariterque ita crescere utrumque,
500 et nubis, et aquam, quae cumque in nubibus extat,
ut pariter nobis corpus cum sanguine crescit,
sudor item, atque umor qui cumque est denique membris.
concipiunt etiam multum quoque saepe marinum
umorem, vel uti pendentia vellera lanae,
505 cum supera magnum mare venti nubila portant.
consimili ratione ex omnibus amnibus umor
tollitur in nubis. quo cum bene semina aquarum
multa modis multis convenere undique adaucta,
confertae nubes umentia mittere certant
510 dupliciter: nam vis venti contrudit, et ipsa
copia nimborum turba maiore coacta
urget, de supero premit, ac facit effluere imbris.
praeterea cum rarescunt quoque nubila ventis
aut dissolvuntur, solis super icta calore,
515 mittunt umorem pluvium, stillantque, quasi igni
cera super calido tabescens multa liquescat.
sed vemens imber fit, ubi vementer utraque
nubila aquis cumulata premuntur et impete venti.
atque tenere diu pluviae longumque morari
520 consuerunt, ubi multa cientur semina aquarum,
atque aliis aliae nubes nimbique rigantes
insuper atque omni vulgo de parte feruntur,
terraque cum fumans umorem tota redhalat.

---

496 dimissus || 498 vincam || 500 Et nubibus || 502 idem || 503 Concidiunt || 509 viventi || 511 mmore || 512 e || primit || 514 calorem. || 515 stillante || 516 Tela || 518 vi || 519 At retineret || 520 fientur || 521 rignante. || 522 aque || 523 humorem || redralat.

Digitized by Google

hic ubi sol radiis, tempestatem inter opacam,
adversa fulsit nimborum aspargine contra,
tum color in nigris existit nubibus arqui.
Cetera quae cursu crescunt cursuque creantur,
et quae concrescunt in nubibus, omnia, prorsum
omnia, nix, venti, grando, gelidaeque pruinae,
et vis magna geli, magnum duramen aquarum,
et mora quae fluvios passim refrenat euntis,
perfacilest tamen haec reperire animoque videre
omnia quo pacto fiant qua reve creentur,
cum bene cognoris elementis reddita quae sint.
Nunc age, quae ratio terrai motibus extet
percipe. et in primis terram fac ut esse rearis
supter item ut supera ventosis undique plenam
speluncis, multosque lacus multasque lucunas
in gremio gerere et rupes deruptaque saxa:
multaque sub tergo terrai flumina tecta
volvere vi fluctus summersaque saxa putandumst:
undique enim similem esse sui res postulat ipsa.
his igitur rebus subiunctis suppositisque
terra superne tremit magnis concussa ruinis,
subter ubi ingentis speluncas subruit aetas:
quippe cadunt toti montes, magnoque repente
concussu late disserpunt inde tremores.
et merito, quoniam plaustri concussa tremescunt
tecta, viam propter, non magno pondere tota,
nec minus exultant, et ubi lapi' cumque viai
ferratos utrimque rotarum succutit orbes.
fit quoque, ubi in magnas aqüae vastasque lucunas

---

524 tempestate inte || 526 existi || 527 sursum || sursumque || 531 avintis. || 532 Perfacile si || 533 fluant || 536 terras || 537 super ventis || 539 rupes derupes || 541 summersosca || 542 simile esse vi || 548 plaustris || 550 es dupuis cumque vim.

Digitized by Google

gleba vetustate e terra provolvitur ingens,
ut iactetur aquae fluctu quoque terra vacillans;
555 ut vas inter dum non quit constare, nisi umor
destitit in dubio fluctu iactarier intus.

Praeterea ventus cum per loca subcava terrae
collectus parte ex una procumbit et urget
obnixus magnis speluncas viribus altas,
560 incumbit tellus quo venti prona premit vis:
tum supera terram quae sunt extructa domorum,
ad caelumque magis quanto sunt edita quaeque,
inclinata meant in eandem prodita partem,
protractaeque trabes inpendent ire paratae.
565 et metuunt magni naturam credere mundi
exitiale aliquod tempus clademque manere,
cum videant tantam terrarum incumbere molem!
quod nisi respirent venti, vis nulla refrenet
res neque ab exitio possit reprehendere euntis:
570 nunc quia respirant alternis inque gravescunt
et quasi collecti redeunt ceduntque repulsi,
saepius hanc ob rem minitatur terra ruinas
quam facit: inclinatur enim retroque recellit,
et recipit prolapsa suas in pondera sedes.
575 hac igitur ratione vacillant omnia tecta
summa magis mediis, media imis, ima perhilum.

Est haec eiusdem quoque magni causa tremoris,
ventus ubi atque animae subito vis maxima quaedam
aut extrinsecus aut ipsa tellure coorta
580 in loca se cava terrai coniecit, ibique
speluncas inter magnas fremit ante tumultu
versabundaque portatur, post incita cum vis
exagitata foras erumpitur et simul altam

---

554 vacillas. || 555 dum *omissum*. || 558 urges. || 563 minent in eadem || .a.a.q.q. || 568 ventis nulla refremet. || 582 Versabunda

Digitized by Google

diffindens terram magnum concinnat hiatum.
in Syria Sidone quod accidit et fuit Aegi
in Peloponneso, quas exitus hic animai
disturbat urbes et terrae motus obortus:
multaque praeterea ceciderunt moenia magnis
motibus in terris, et multae per mare pessum
subsedere suis pariter cum civibus urbes.
quod nisi prorumpit, tamen impetus ipse animai
et fera vis venti per crebra foramina terrae
dispertitur ut horror et incutit inde tremorem;
frigus uti nostros penitus cum venit in artus,
concutit invitos cogens tremere atque movere.
ancipiti trepidant igitur terrore per urbis,
tecta superne timent, metuunt inferne cavernas
terrai ne dissoluat natura repente,
neu distracta suum late dispandat hiatum
adque suis confusa velit complere ruinis.
proinde licet quamvis caelum terramque reantur
incorrupta fore aeternae mandata saluti:
et tamen inter dum praesens vis ipsa pericli
subdit athuc stimulum quadam de parte timoris,
ne pedibus raptim tellus subtracta feratur
in barathrum, rerumque sequatur prodita summa
funditus, et fiat mundi confusa ruina.
[Principio mare mirantur non reddere maius
naturam, quo sit tantus decursus aquarum,
omnia quo veniant ex omni flumina parte.
adde vagos imbris tempestatesque volantes,
omnia quae maria ac terras sparguntque rigantque:
adde suos fontis: tamen ad maris omnia summam

---

584 Diffidens || 586 qua || 588 ceciderct || 589 possum. || 594 ut in || **600 Idque** || comple || 604 Subditaet hunc || parti || 605 substructa || **609 Natura**

Digitized by Google

guttai vix instar erunt unius adaugmen;
615 quo minus est mirum mare non augescere magnum.
praeterea magnam sol partem detrahit aestu.
quippe videmus enim vestis umore madentis
exsiccare suis radiis ardentibu' solem:
at pelage multa et late substrata videmus.
620 proinde licet quamvis ex uno quoque loco sol
umoris parvam delibet ab aequore partem:
largiter in tanto spatio tamen auferet undis.
tum porro venti quoque magnam tollere partem
umoris possunt verrentes aequora, ventis
625 una nocte vias quoniam persaepe videmus
siccari mollisque luti concrescere crustas.
praeterea docui multum quoque tollere nubes
umorem magno conceptum ex aequore ponti,
et passim toto terrarum spargere in orbi,
630 cum pluit in terris et venti nubila portant.
postremo quoniam raro cum corpore tellus
est, et coniunctast, oras maris undique cingens,
debet, ut in mare de terris venit umor aquai,
in terras itidem manare ex aequore salso:
635 percolatur enim virus, retroque remanat
materies umoris et ad caput amnibus omnis
confluit, inde super terras redit agmine dulci
qua via secta semel liquido pede detulit undas.]
Nunc ratio quae sit, per fauces montis ut Aetnae
640 expirent ignes inter dum turbine tanto,
expediam: neque enim mediocri clade coorta
flammea tempestas Siculum dominata per agros
finitimis ad se convertit gentibus ora,

---

616 sol magnam || 621 ad || 624 venti. || 626 crustras. || 629 orbis. || 632 magis || 638 tulit || 639 faucas || 641 media grecia de || 642 Flammae

Digitized by Google

fumida cum caeli scintillare omnia templa
cernentes pavida complebant pectora cura,
quid moliretur rerum natura novarum.
Hisce tibi in rebus latest alteque videndum
et longe cunctas in partis dispiciendum,
ut reminiscaris summam rerum esse profundam,
et videas caelum summai totius unum
quam sit parvula pars et quam multesima constet,
nec tota pars, homo terrai quota totius unus.
quod bene propositum si plane contueare
ac videas plane, mirari multa relinquas.
numquis enim nostrum miratur, siquis in artus
accepit calido febrim fervore coortam
aut alium quemvis morbi per membra dolorem?
opturgescit enim subito pes, arripit acer
saepe dolor dentes, oculos invadit in ipsos,
existit sacer ignis et urit corpore serpens
quam cumque arripuit partim, repitque per artus,
ni mirum, quia sunt multarum semina rerum,
et satis haec tellus orbi caelumque mali fert,
unde queat vis immensi procrescere morbi.
sic igitur toti caelo terraeque putandumst
ex infinito satis omnia suppeditare,
unde repente queat tellus concussa moveri
perque mare ac terras rapidus percurrere turbo,
ignis abundare Aetnaeus, flammescere caelum:
id quoque enim fit, et ardescunt caelestia templa,
et tempestates pluviae graviore coortu
sunt, ubi forte ita se tetulerunt semina aquarum.
'at nimis est ingens incendi turbidus ardor.'
scilicet, et fluvius quivis est maximus ei

648 despiciendum. || 653 propositus || plani || 658 Obturcescit || 662 qui || 663 morbi || 667 concusso || 674 qui visus

Digitized by Google

675 qui non ante aliquem maiorem vidit, et ingens
arbor homoque videtur, et omnia de genere omni
maxima quae vidit quisque, haec ingentia fingit,
cum tamen omnia cum caelo terraque marique
nil sint ad summam summai totius omnem.
680 Nunc tamen illa modis quibus inritata repente
flamma foras vastis Aetnae fornacibus efflet,
expediam. primum totius subcava montis
est natura, fere silicum suffulta cavernis.
omnibus est porro in speluncis ventus et aër.
685 ventus enim fit, ubi est agitando percitus aër:
hic ubi percaluit cale fecitque omnia circum
saxa furens, qua contingit, terramque, et ab ollis
excussit calidum flammis velocibus ignem,
tollit se ac rectis ita faucibus eicit alte.
690 fert itaque ardorem longe, longeque favillam
differt, et crassa volvit caligine fumum,
extruditque simul mirando pondere saxa;
ne dubites quin haec animai turbida sit vis.
praeterea magna ex parti mare montis ad eius
695 radices frangit fluctus aestumque resorbet.
ex hoc usque mari speluncae montis ad altas
perveniunt subter fauces. hac ire fatendumst
et penetrare maris penitus percocta in apertum
atque efflare foras, ideoque extollere flammam
700 saxaque subiectare et arenae tollere nimbos.
in summo sunt vertice enim crateres, ut ipsi
nominitant; nos quod fauces perhibemus et ora.
Sunt aliquot quoque res quarum unam dicere causam
non satis est, verum pluris, unde una tamen sit;
705 corpus ut exanimum siquod procul ipse iacere

---

676 omnis. || 683 sillicum || 687 contigit || 690 itque || 695 resolvet. || 698 mari penitus res cogit aperto. || 701 verticeni || 705 iaceret.

Digitized by Google

conspicias hominis, fit ut omnis dicere causas
conveniat leti, dicatur ut illius una:
nam neque eum ferro nec frigore vincere possis
interiisse neque a morbo neque forte veneno,
verum aliquid genere esse ex hoc quod contigit ei
scimus. item in multis hoc rebus dicere habemus.
Nilus in aestatem crescit campisque redundat,
unicus in terris Aegypti totius amnis.
is rigat Aegyptum medium per saepe calorem,
aut quia sunt aestate aquilones ostia contra,
anni tempore eo qui etesiae esse feruntur,
et contra fluvium flantes remorantur et undas
cogentes sursus replent coguntque manere.
nam dubio procul haec adverso flabra feruntur
flumine, quae gelidis ab stellis axis aguntur:
ille ex aestifera parti venit amnis ab austro,
inter nigra virum percocto saecla colore
exoriens penitus media ab regione diei.
est quoque uti possit magnus congestus harenae
fluctibus adversis oppilare ostia contra,
cum mare permotum ventis ruit intus harenam;
quo fit uti pacto liber minus exitus amni
et proclivis item fiat minus impetus undis.
fit quoque uti pluviae, forsan, magis ad caput ei
tempore eo fiant, quod etesia flabra aquilonum
nubila coniciunt in eas tunc omnia partis:
scilicet, ad mediam regionem eiecta diei
cum convenerunt, ibi ad altos denique montis
contrusae nubes coguntur vique premuntur.
forsitan Aethiopum penitus de montibus altis

---

708 Namque || 710 Utrum genere aliquid || contioitel. || 716 etesire || 719 flabro || 723 Exorins || 726 rui || 727 amnis. || 730 quo

Digitized by Google

crescat, ubi in campos albas descendere ningues
tabificis subigit radiis sol omnia lustrans.
Nunc age, Averna tibi quae sint loca cumque lacusque
expediam, quali natura praedita constent.
740 principio, quo Averna vocantur nomine, id ab re
inpositumst, quia sunt avibus contraria cunctis,
e regione ea quod loca cum venere volantes,
remigi oblitae pennarum vela remittunt,
praecipitesque cadunt molli cervice profusae
745 in terram, si forte ita fert natura locorum,
aut in aquam, est si forte lacus substratus Averni.
is locus est Cumas aput, acri sulpure montes
oppleti calidis ubi fumant fontibus aucti;
est ut Athenaeis in moenibus, arcis in ipso
750 vertice, Palladis ad templum Tritonidis almae,
quo numquam pennis appellunt corpora raucae
cornices, non cum fumant altaria donis:
usque adeo fugitant non iras Palladis acris
pervigili causa, Graium ut cecinere poëtae,
755 sed natura loci vi ibus officit ipsa suapte.
in Syria quoque fertur item locus esse videri,
quadripedes quoque quo simul ac vestigia primum
intulerint, graviter vis cogat concidere ipsa,
manibus ut si fit divis mactatu' repente.
760 omnia quae naturali ratione geruntur,
et quibus effiant causis apparet origo;
ianua ne Puteis Orci regionibus esse
credatur, post hinc animas Acheruntis in oras
ducere forte deos manis inferne reamur,

---

736 albos decedere || 740 quod || 743 Remigio || 746 est *omissum*. || subiratus || 747 ecri suiper || 749 et || piso. || 754 glaium || 755 loci opus efficit || 759 sint || mactata || 761 e fiant || appare || 762 poteis || 764 inferna

Digitized by Google

65 naribus alipedes ut cervi saepe putantur
ducere de latebris serpentia saecla ferarum.
quod procul a vera quam sit ratione repulsum
percipe: nam de re nunc ipsa dicere conor.
Principio hoc dico, quod dixi saepe quoque ante,
70 in terra cuiusque modi rerum esse figuras;
multa, cibo quae sunt, vitalia, multaque, morbos
incutere et mortem quae possint adcelerare.
et magis esse aliis alias animantibus aptas
res ad vitai rationem ostendimus ante
75 propter dissimilem naturam dissimilisque
texturas inter sese primasque figuras.
multa meant inimica per auris, multa per ipsas
insinuant naris infesta atque aspera adactu,
nec sunt multa parum tactu vitanda neque autem
80 aspectu fugienda saporeque tristia quae sint.
Deinde videre licet quam multae sint homini res
acriter infesto sensu spurcaeque gravesque;
arboribus primum certis gravis umbra tributa
usque adeo, capitis faciant ut saepe dolores,
785 siquis eas supter iacuit prostratus in herbis.
est etiam magnis Heliconis montibus arbos
floris odore hominem taetro consueta necare.
scilicet, haec ideo terris ex omnia surgunt
multa modis multis multarum semina rerum,
790 quod permixta gerit tellus discretaque tradit.
nocturnumque recens extinctum lumen ubi acri
nidore offendit nares, consopit ibidem.
794 castoreoque gravi mulier sopita recumbit,
et manibus nitidum teneris opus effluit ei,
tempore eo si odoratast quo menstrua solvit.

---

767 vere || 770 culusque || 771 eque || 777 auras || 778 tactu. || 780 tristitia || 787 netare. || 788 indeo tris || 791 acris.

Digitized by Google

multaque praeterea languentia membra per artus
solvunt atque animam labefactant sedibus intus.
denique si calidis etiam cunctare lavabris
800 plenior et laveris, solio ferventis aquai
quam facile in medio fit uti des saepe ruinas,
793 concidere et spumam ut qui morbo mittere suevit!
802 carbonumque gravis vis atque odor insinuatur
quam facile in cerebrum, nisi aquam praecepimus ante!
at cum membra domus percepit fervidior vis,
805 tum fit odor viri plagae mactabilis instar.
nonne vides etiam terra quoque sulpur in ipsa
gignier et taetro concrescere odore bitumen;
denique ubi argenti venas aurique secuntur,
terrai penitus scrutantes abdita ferro,
810 qualis expiret Scaptensula subter odores?
quidve mali fit ut exhalent aurata metalla!
quas hominum reddunt facies qualisque colores!
nonne vides audisve perire in tempore parvo
quam soleant, et quam vitai copia desit,
815 quos opere in tali cohibet vis magna necessis?
hos igitur tellus omnis exaestuat aestus
expiratque foras in apertum promptaque caeli.
Sic ea Averna loca alitibus summittere debent
mortiferam vim, de terra quae surgit in auras,
820 ut spatium caeli quadam de parte venenet;
quo simul ac primum pennis delata sit ales,
impediatur ibi caeco correpta veneno,
ut cadat e regione loci, qua derigit aestus.
quo cum conruit, hic eadem vis illius aestus

---

798 labefaciant || 799 cunctere || 800 effluerís || 801 de || 793 pumos qui || 803 celebrum || aqua || 804 domnus || fervidaser || 805 vini || 806 ipso. || 808 argento || 811 metulla. || 813 audire || 815 necessest. || 818 et || locam alitbus || 820 patium || quodam

Digitized by Google

reliquias vitae membris ex omnibus aufert.
quippe etenim primo quasi quendam conciet aestum:
posterius fit uti, cum iam cecidere veneni
in fontis ipsos, ibi sit quoque vita vomenda
propterea quod magna mali fit copia circum.
Fit quoque ut inter dum vis haec atque aestus Averni
aëra, qui inter avis cumquest terramque locatus,
discutiat, prope uti locus hic linquatur inanis.
cuius ubi e regione loci venere volantes,
claudicat extemplo pinnarum nisus inanis,
et conamen utrimque alarum proditur omne.
hic ubi nixari nequeunt insistereque alis,
scilicet, in terram delabi pondere cogit
natura, et vacuum prope iam per inane iacentes
dispergunt animas per caulas corporis omnis.

*

non mihi si linguae centum sint oraque centum,
aerea vox,

*

mensibu' frigus

*

cameraeque caminis

*

ne oblimet

*

frigidior porro in puteis aestate fit umor,
rarescit quia terra calore, et semina si quae
forte vaporis habet, propere dimittit in auras.
quo magis est igitur tellus effeta calore,
fit quoque frigidior qui in terrast abditus umor.
frigore cum premitur porro omnis terra coitque

---

825 vita || 831 teramque || 832 hinc linquitur || 833 e *bis*. || 840 Que frigidior || 841 Arescit || semi siqua. || 842 proprie

Digitized by Google

et quasi concrescit, fit, scilicet, ut coëundo
exprimat in puteos si quem gerit ipsa calorem.
Esse apud Hammonis fanum fons luce diurna
frigidus et calidus nocturno tempore fertur.
850 hunc homines fontem nimis admirantur et acri
sole putant supter terras fervescere raptim,
nox ubi terribili terras caligine texit.
quod nimis a verast longe ratione remotum:
quippe, ubi sol nudum contractans corpus aquai
855 non quierit calidum supera de reddere parte,
cum superum lumen tanto fervore fruatur,
qui queat hic supter tam crasso corpore terram
perquoquere umorem et calido satiare vapore?
praesertim cum vix possit per septa domorum
860 insinuare suum radiis ardentibus aestum.
quae ratiost igitur? ni mirum, terra magis quod
rara tepet circum fontem quam cetera tellus,
multaque sunt ignis prope semina corpus aquai.
hoc ubi roriferis terram nox obruit umbris,
865 extemplo penitus frigescit terra coitque:
hac ratione fit ut, tam quam compressa manu sit,
exprimat in fontem quae semina cumque habet ignis,
quae calidum faciunt aqüae tactum atque saporem.
inde ubi sol radiis terram dimovit obortus
870 et rare fecit calido gliscente vapore,
rursus in antiquas redeunt primordia sedes
ignis, et in terram cedit calor omnis aquai.
frigidus hanc ob rem fit fons in luce diurna.
praeterea solis radiis iactatur aquai
875 umor et in lucem tremulo rarescit ab aestu:

---

846 in || 849 Frigidas || 851 partim. || 857 super || 858 Perquocere || soclare || 860 sum || 862 Para tenet || 864 undis. || 865 sonitus || 868 laticis || vaporem. || 870 miscente || 874 radis

Digitized by Google

propterea fit uti quae semina cumque habet ignis
dimittat; quasi saepe gelum, quod continet in se,
mittit et exolvit glaciem nodosque relaxat.
Frigidus est etiam fons, supra quem sita saepe
stuppa iacit flammam concepto protinus igni,
taedaque consimili ratione accensa per undas
conlucet, quo cumque natans impellitur auris.
ni mirum, quia sunt in aqua permulta vaporis
semina, de terraque necessest funditus ipsa
ignis corpora per totum consurgere fontem
et simul exspirare foras exireque in auras,
non ita multa tamen, calidus queat ut fieri fons,
propterea dispersa foras erumpere cogit
vis per aquam subito sursumque ea conciliari.
quod genus endo marist Aradi fons, dulcis aquai
qui scatit et salsas circum se dimovet undas:
et multis aliis praebet regionibus aequor
utilitatem opportunam sitientibu' nautis,
quod dulcis inter salsas inter vomit undas.
sic igitur per eum possunt erumpere fontem
et scatere illa foras in stuppam semina; quo cum
conveniunt aut in taedai corpore adhaerent,
ardescunt facile extemplo, quia multa quoque in se
semina habent ignis stuppae taedaeque tepentis.
nonne vides etiam, nocturna ad lumina linum
nuper ubi extinctum admoveas, accendier ante
quam tetigit flammam, taedamque pari ratione?
multaque praeterea prius ipso tacta vapore
eminus ardescunt quam comminus imbuat ignis.
hoc igitur fieri quoque in illo fonte putandumst.

---

877 Demittat || 878 nobosque || 879 Frigus || 880 lacit || 887 muita || 888 Preterea || 889 conciliare. || 890 marisparat || 892 praeter || 894 dulcit || 896 que || 897 deda corpora || 898 qui || 899 tenentes. || 900 lumine

Digitized by Google

Quod super est, agere incipiam quo foedere fiat
naturae, lapis hic ut ferrum ducere possit,
quem Magneta vocant patrio de nomine Grai,
Magnetum quia fit patriis in finibus ortu.
910 hunc homines lapidem mirantur: quippe catenam
saepe ex anellis reddit pendentibus ex se.
quinque etenim licet inter dum pluresque videre
ordine demissos levibus iactarier auris,
unus ubi ex uno dependet supter adhaerens,
915 ex alioque alius lapidis vim vinclaque noscit:
usque adeo permananter vis pervolat eius.
Hoc genus in rebus firmandumst multa prius quam
ipsius rei rationem reddere possis,
et nimium longis ambagibus est adeundum;
920 quo magis attentas auris animumque reposco.
Principio omnibus ab rebus, quas cumque videmus,
perpetuo fluere ac mitti spargique necessest
corpora quae feriant oculos visumque lacessant:
perpetuoque fluunt certis ab rebus odores;
925 frigus ut a fluviis, calor ab sole, aestus ab undis
aequoris, exesor moerorum, litora propter:
nec varii cessant sonitus manare per auras:
denique in os salsi venit umor saepe saporis,
cum mare versamur propter, dilutaque contra
934 cum tuimur misceri absinthia, tangit amaror.
usque adeo omnibus ab rebus res quaeque fluenter
930 fertur et in cunctas dimittitur undique partis,
nec mora nec requies inter datur ulla fluendi,
perpetuo quoniam sentimus et omnia semper.

---

907 lapsi || 908 Quam || 909 ortus. || 912 Qui neque || 913 demisso || iactarer auras. || 915 vinciaque || 916 permanater || pervalet || 919 ambaginibus || 922 miti sparcique || 923 aque || 925 a *omissum*. || fluvis || a sole || 928 vent || 931 requis || 933 = IV, 229.

Digitized by Google

Nunc omnis repetam quam raro corpore sint res
commemorare: quod in primo quoque carmine claret:
quippe etenim, quamquam multas hoc pertinet ad res
noscere, cum primis hanc ad rem protinus ipsam,
qua de disserere adgredior, firmare necessest
nil esse in promptu nisi mixtum corpus inani.
principio fit ut in speluncis saxa superne
sudent umore et guttis manantibu' stillent.
manat item nobis e toto corpore sudor,
crescit barba pilique per omnia membra, per artus.
diditur in venas cibus omnis, auget, alitque
corporis extremas quoque partis unguiculosque,
morbida visque simul, cum extrinsecus insinuatur.
frigus item transire per aes, calidumque vaporem,
sentimus, sentimus item transire per aurum
atque per argentum, cum pocula plena tenemus.
denique per dissepta domorum saxea voces
pervolitant, permanat odor frigusque vaposque
ignis, qui ferri quoque vim penetrare suëvit
denique qua circum Galli lorica coërcet.
et tempestate in terra caeloque coorta,
in caelum terrasque remotae iura facessunt;
quandoquidem nil est nisi raro corpori' nexu.
Huc accedit uti non omnia, quae iaciuntur
corpora cumque ab rebus, eodem praedita sensu
atque eodem pacto rebus sint omnibus apta.
principio terram sol exquoquit et facit are,
at glaciem dissolvit et altis montibus altas
extructasque nives radiis tabescere cogit:
denique cera lique fit in eius posta vapore.

---

937 clare. || 938 ardes. || 940 firmara || 941 msi corpus mixtum || 942 superna. || 954 caeli || 956 tempestatem || 957 iurae || 958 corpore nexum. || 962 quo || 964 Extructas

Digitized by Google

ignis item liquidum facit aes aurumque résolvit,
at coria et carnem trahit et conducit in unum.
umor aquae porro ferrum condurat ab igni,
at coria et carnem mollit durata calore.
970 barbigeras oleaster eo iuvat usque capellas,
effluat ambrosiae quasi vere et nectari' linctus;
qua nil est homini quod amariu' frondeat esca.
denique amaracinum fugitat sus et timet omne
ungentum: nam saetigeris subus acre venenumst;
975 quod nos inter dum tam quam recreare videtur.
at contra nobis caenum taeterrima cum sit
spurcities, eadem subus haec iucunda videtur,
insatiabiliter toti ut volvantur ibidem.

Hoc etiam super est, ipsa quam dicere de re
980 adgredior quod dicendum prius esse videtur.
multa foramina cum variis sint reddita rebus,
dissimili inter se natura praedita debent
esse et habere suam naturam quaeque viasque.
quippe etenim varii sensus animantibus insunt,
985 quorum quisque suam proprie rem percipit in se:
nam penetrare alio sonitus alioque saporem
cernimus e sucis, alio nidoris odores.
991 praeterea manare aliud per saxa videtur,
atque aliud lignis, aliud transire per aurum,
argentoque foras aliud vitroque meare:
nam fluere hac species, illac calor ire videtur,
995 atque aliis aliut citius transmittere eadem.
scilicet, id fieri cogit natura viarum
multimodis varians, ut paulo ostendimus ante,
990 propter dissimilem naturam textaque rerum.

---

969 calori. || 971 ambrosias || vero et nectare tinctus. || 972 marius frondeac exscet. || 973 maracinum || 977 civunda || 986 aloque || 988 989=996 997. || 991 Praetere manere || 992 ignis

Digitized by Google

3 Qua propter, bene ubi haec confirmata atque locata
omnia constiterint nobis praeposta parata,
0 quod super est, facile hinc ratio reddetur, et omnis
causa pate fiet, quae ferri pelliciat vim.
principio fluere e lapide hoc permulta necessest
semina, sive aestum, qui discutit aëra plagis,
inter qui lapidem ferrumque est cumque locatus.
5 hoc ubi inanitur spatium multusque vace fit
in medio locus, extemplo primordia ferri
in vacuum prolapsa cadunt coniuncta, fit utque
anulus ipse sequatur eatque ita corpore toto.
nec res ulla magis primoribus ex elementis
0 indupedita suis arte conexa cohaeret
quam validi ferri natura et frigidus horror.
quo minus est mirum, quo ducitur ex elementis,
corpora si nequeunt e ferro plura coorta
in vacuum ferri, quin anulus ipse sequatur;
5 quod facit, et sequitur, donec pervenit ad ipsum
iam lapidem caecisque in eo compagibus haesit.
hoc fit idem cunctas in partis, unde vace fit
cumque locus, sive e transverso sive superne
corpora continuo in vacuum vicina feruntur:
0 quippe agitantur enim plagis aliunde, nec ipsa
sponte sua sursum possunt consurgere in auras.
huc accedit utei, quare queat id magis esse,
haec quoque res adiumento motuque iuvetur;
quod, simul a fronte est anelli rarior aër
5 factus inanitusque locus magis ac vacuatus,
3 continuo fit uti qui post est cumque locatus

1000 omnes. || 1001 peliceatum. || 1006 ferre. || 1007 utqui. || 1009 ex *omissum*. || 1011 naturae || 1012 quod dicitur || 1014 anullus || 1018 et || 1020 plagit || 1021 Sporte || 1022 item || 1023 iuvatur. || 1025 magnis || 1033 locacatus.

Digitized by Google

1026 aër a tergo quasi provehat atque propellat.
semper enim circum positus res verberat aër:
sed tali fit uti propellat tempore ferrum,
parte quod ex una spatium vacat et capit in se.
1030 hic, tibi quem memoro, per crebra foramina ferri
parvas ad partis subtiliter insinuatus,
trudit et inpellit, quasi navem velaque ventus.
1034 denique res omnes debent in corpore habere
aëra, quandoquidem raro sunt corpore et aër
omnibus est rebus circum datus adpositusque.
hic igitur, penitus qui in ferrost abditus aër,
sollicito motu semper iactatur eoque
verberat anellum dubio procul et ciet intus,
1040 scilicet: ille eodem fertur, quo praecipitavit
iam semel et partem in vacuam conamina sumpsit.
Fit quoque ut a lapide hoc ferri natura recedat
inter dum, fugere atque sequi consueta vicissim.
exultare etiam Samothracia ferrea vidi
1045 et ramenta simul ferri furere intus ahenis
in scaphiis, lapis hic Magnes cum subditus esset:
usque adeo fugere ab saxo gestire videtur.
aere inter posito discordia tanta creatur
propterea quia, ni mirum, prius aestus ubi aeris
1050 praecepit ferrique vias possedit apertas,
posterior lapidis venit aestus et omnia plena
invenit in ferro, neque habet qua tranet ut ante:
cogitur offensare igitur pulsareque fluctu
ferrea texta suo; quo pacto respuit ab se
1055 atque per aes agitat, sine eo quod saepe resorbet.
Illud in his rebus mirari mitte, quod aestus
non valet e lapide hoc alias impellere item res.

1026 Er || 1032 ventis. || 1040 illo || 1046 scapiis || 1047 a || 1056 his *bis*.

Digitized by Google

pondere enim fretae partim stant; quod genus aurum:
et partim raro quia sunt cum corpore, ut aestus
pervolet intactus, nequeunt inpellier usquam;
lignea materies in quo genere esse videtur.
interutraque igitur ferri natura locata
aeris ubi accepit quaedam corpuscula, tum fit,
inpellant ut eam Magnesia flumine saxa.
nec tamen haec ita sunt aliarum rerum aliena,
ut mihi multa parum genere ex hoc suppeditentur,
quae memorare queam inter singillariter apta.
saxa vides primum sola colescere calce.
glutine materies taurino iungitur uno,
ut vitio venae tabularum saepius hiscant
quam laxare queant compages taurea vincla.
vitigeni latices aqüai fontibus audent
misceri, cum pix nequeat gravis et leve olivom.
purpureusque colos conchyli iungitur uno
corpore cum lanae, dirimi qui non queat usquam;
non si Neptuni fluctu renovare operam des;
non, mare si totum velit eluere omnibus undis.
denique non auro res aurum cōpulat una,
aerique aes plumbo fit uti iungatur ab albo?
cetera iam quam multa licet reperire! quid ergo?
nec tibi tam longis opus est ambagibus usquam,
nec me tam multam hic operam consumere par est,
sed breviter paucis praestat comprendere multa.
quorum ita texturae ceciderunt mutua contra,
ut cava conveniant plenis haec illius illa
huiusque inter se, iunctura haec optima constat.
est etiam, quasi ut anellis hamisque plicata

1059 At || 1062 Inter utrasque || loata. || 1064 eum || flumina || 1067 se singulariter aptam. || 1068 vide || coolescere || 1069 una. || 1071 vincia. || 1076 nenovara || 1077 eiuere || 1078 res auro || 1079 Aeraque plumbo

Digitized by Google

inter se quaedam possint coplata teneri;
quod magis in lapide hoc fieri ferroque videtur.
1090 Nunc ratio quae sit morbis, aut unde repente
mortiferam possit cladem conflare coorta
morbida vis hominum generi pecudumque catervis,
expediam. primum multarum semina rerum
esse supra docui quae sint vitalia nobis,
1095 et contra quae sint morbo mortique necessest
multa volare: ea cum casu sunt forte coorta
et perturbarunt caelum, fit morbidus aër.
atque ea vis omnis morborum pestilitasque
aut extrinsecus ut nubes nebulaeque superne
1100 per caelum veniunt, aut ipsa saepe coortae
de terra surgunt, ubi putorem umida nactast
intempestivis pluviisque et solibus icta.
nonne vides etiam caeli novitate et aquarum
temptari procul a patria qui cumque domoque
1105 adveniunt ideo quia longe discrepitant res?
nam quid Brittannis caelum differre putamus,
et quod in Aegypto est, qua mundi claudicat axis,
quidve quod in Ponto est differre, et Gadibus atque
usque ad nigra virum percocto saecla colore?
1110 quae cum quattuor inter se diversa videmus
quattuor a ventis et caeli partibus esse,
tum color et facies hominum distare videntur
largiter et morbi generatim saecla tenere.
est elephas morbus qui propter flumina Nili
1115 gignitur Aegypto in media, neque praeterea usquam.
Atthide temptantur gressus, oculique in Achaeis
finibus. inde aliis alius locus est inimicus
partibus ac membris: varius concinnat id aër.

1089 ferri || 1091 cradem || 1100 coorta. || 1109 calore. || 1115 aegypta

Digitized by Google

proinde ubi se caelum quod nobis forte alienum
commovet atque aër inimicus serpere coepit,
ut nebula ac nubes paulatim repit et omne
qua graditur conturbat et immutare coactat,
fit quoque ut, in nostrum cum venit denique caelum,
corrumpat reddatque sui simile atque alienum.
haec igitur subito clades nova pestilitasque
aut in aquas cadit aut fruges persidit in ipsas
aut alios hominum pastus pecudumque cibatus,
aut etiam suspensa manet vis aëre in ipso,
et, cum spirantes mixtas hinc ducimus auras,
illa quoque in corpus pariter sorbere necessest.
consimili ratione venit bubus quoque saepe
pestilitas et iam pigris balantibus aegror.
nec refert utrum nos in loca deveniamus
nobis adversa et caeli mutemus amictum,
an caelum nobis ultro natura coortum
deferat aut aliquid quo non consuevimus uti,
quod nos adventu possit temptare recenti.
Haec ratio quondam morborum et morti' ferai
finibus in Cecropis funestos reddidit agros
vastavitque vias, exhausit civibus urbem.
nam penitus veniens Aegypti finibu' morbus,
aëra permensus multum camposque natantis,
incubuit tandem populo Pandionis omnei.
inde catervatim morbo mortique dabantur.
principio caput incensum fervore gerebant
et duplicis oculos suffusa luce rubentes.
sudabant etiam fauces intrinsecus atrae

1119 aelenum. || 1121 Ve || 1122 graditus conturbas || 1124 reddetque || 1125 estilitasque. || 1132 calantibus || 1135 uitro || corumptum. || 1138 mortiferae. || 1139 cecropit || 1141 venies || ortus. || 1143 omnem.

Digitized by Google

sanguine, et ulceribus vocis via saepta coibat,
atque animi interpres manabat lingua cruore,
1150 debilitata malis, motu gravis, aspera tactu.
inde ubi per fauces pectus complerat et ipsum
morbida vis in cor maestum confluxerat aegris,
omnia tum vero vitai claustra lababant.
spiritus ore foras taetrum volvebat odorem,
1155 rancida quo perolent proiecta cadavera ritu.
atque animi prorsum tum vires totius, omne
languebat corpus, leti iam limine in ipso.
intolerabilibusque malis erat anxius angor
adsidue comes et gemitu commixta querella.
1160 singultusque frequens noctem per saepe diemque
corripere adsidue nervos et membra coactans
dissoluebat eos, defessos ante, fatigans.
nec nimio cuiquam posses ardore tueri
corporis in summo summam fervescere partem,
1165 sed potius tepidum manibus proponere tactum
et simul ulceribus quasi inustis omne rubere
corpus, ut est per membra sacer dum diditur ignis.
intima pars hominum vero flagrabat ad ossa,
flagrabat stomacho flamma ut fornacibus intus.
1170 nil adeo posses cuiquam leve tenveque membris
vertere in utilitatem, at ventum et frigora semper.
in fluvios partim gelidos ardentia morbo
membra dabant, nudum iacientes corpus in undas.
1178 multi praecipites lymphis putealibus alte
1174 inciderunt, ipso venientes ore patente:
insedabiliter sitis arida, corpora mersans,
aequabat multum parvis umoribus imbrem.

1148 viceribus || coibet. || 1150 tacta. || 1153 tum *bis*. || 1156 tum *omissum*. || 1165 totius || 1166 viceribus || 1167 vi est || 1171 Verteret || frigore || 1178 nymphis

Digitized by Google

nec requies erat ulla mali: defessa iacebant
'9 corpora. mussabat tacito medicina timore,
quippe patentia cum totiens ac nuntia mortis
lumina versarent oculorum expertia somno.
multaque praeterea mortis tum signa dabantur,
perturbata animi mens in merore metuque,
triste supercilium, furiosus voltus et acer,
35 sollicitae porro plenaeque sonoribus aures,
creber spiritus aut ingens raroque coortus,
sudorisque madens per collum splendidus umor,
tenvia sputa minuta, croci contacta colore
salsaque, per fauces raucas vix edita tussi.
90 in manibus vero nervi trahere et tremere artus
a pedibusque minutatim succedere frigus
non dubitabat: item ad supremum denique tempus
conpressae nares, nasi primoris acumen
tenve, cavati oculi, cava tempora, frigida pellis
95 duraque, inhorrescens rictum, frons tenta tumebat.
nec nimio rigidi post artus morte iacebant.
octavoque fere candenti lumine solis
aut etiam nona reddebant lampade vitam.
quorum siquis vix vitarat funera leti,
00 ulceribus taetris et nigra proluvie alvi
posterius tamen hunc tabes letumque manebat,
aut etiam multus capitis cum saepe dolore
corruptus sanguis expletis naribus ibat:
huc hominis totae vires corpusque fluebat.
05 profluvium porro qui taetri sanguinis acre
exierat, tamen in nervos huic morbus et artus

1177 mari || 1180 ardentia morbis. || 1186 spiritum || 1187 umum. || 1189 rauca || tusse. || 1192 suremum || temps. || 1195 inhorctiacet rectum || mebat. || 1196 rigida || 1198 Avi || 1199 ut est || 1200 Viccribus || 1205 cul taetris

Digitized by Google

ibat et in partis genitalis corporis ipsas.
et graviter partim metuentes limina leti
vivebant ferro privati parte virili,
1210 et manibus sine non nulli pedibusque manebant
in vita tamen, et perdebant lumina partim:
usque adeo mortis metus his incesserat acer.
atque etiam quosdam cepere oblivia rerum
cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi.
1215 multaque humi cum inhumata iacerent corpora supra
corporibus, tamen alituum genus atque ferarum
aut procul apsiliebat, ut acrem exeiret odorem,
aut, ubi gustarat, languebat morte propinqua.
nec tamen omnino temere illis solibus ulla
1220 comparebat avis, nec tristia saecla ferarum
exeibant silvis: languebant pleraque morbo
et moriebantur. cum primis fida canum vis
strata viis animam ponebat in omnibus aegre:
extorquebat enim vitam vis morbida membris.
1226 nec ratio remedi communis certa dabatur:
nam quod ali dederat vitalis aëris auras
volvere in ore licere et caeli templa tueri,
hoc aliis erat exitio letumque parabat.
1230 Illud in his rebus miserandum magnopere unum
aerumnabile erat, quod ubi se quisque videbat
implicitum morbo, morti damnatus ut esset,
deficiens animo maesto cum corde iacebat,
funera respectans animam amittebat ibidem.
1235 quippe etenim nullo cessabant tempore apisci
ex aliis alios avidi contagia morbi,
1245 lanigeras tam quam pecudes et bucera saecla.
1237 idque vel in primis cumulabat funere funus.

1212 iis incusserat || 1213 ciam || 1217 exciret || 1220 tia || 1221 Exicbant || 1228 turi. || 1235 apiscit.

Digitized by Google

nam qui cumque suos fugitabant visere ad aegros,
vitai nimium cupidos mortisque timentis
240 poenibat paulo post turpi morte malaque,
desertos, opis expertis, incuria mactans.
qui fuerant autem praesto, contagibus ibant
atque labore, pudor quem tum cogebat obire
blandaque lassorum vox mixta voce querellae.
246 optimus hoc leti genus ergo quisque subibat.
225 incomitata rapi cernebant funera vasta,
247 inque aliis alium populum sepelire suorum
certantes: lacrimis lassi luctuque redibant:
inde bonam partem in lectum maerore dabantur.
250 nec poterat quisquam reperiri, quem neque morbus
nec mors nec luctus temptaret tempore talei.
Praeterea iam pastor et armentarius omnis
et robustus item curvi moderator aratri
languebat, penitusque casa contrusa iacebant
255 corpora paupertate et morbo dedita morti.
exanimis pueris super exanimata parentum
corpora non numquam posses retroque videre
matribus et patribus natos super edere vitam.
nec minimam partem ex agris maeroris in urbem
260 confluxit labes, quem contulit agricolarum
copia conveniens ex omni morbida parte.
omnia conplebant loca tectaque; quo magis astu
confertos ita acervatim mors accumulabat.
multa siti protracta viam per proque voluta
265 corpora silanos ad aquarum strata iacebant
interclusa anima nimia ab dulcedine aquarum,
multaque per populi passim loca prompta viasque

1238 utsere || 1240 Poenibus at || 1241 incura || 1225 certabant || 1249 iectum || 1250 morbo. || 1251 tale. || 1260 languens || 1261 morbide || 1262 condiebant || aestus. || 1264 prostrata || 1265 tacebant.

Digitized by Google

languida semanimo cum corpore membra videres
horrida paedore et pannis cooperta perire,
1270 [corporis inluvie, pelli super ossibus una,]
ulceribus taetris prope iam sordique sepulta.
omnia denique sancta deum delubra replerat
corporibus mors exanimis onerataque passim
cuncta cadaveribus caelestum templa tenebat,
1275 hospitibus loca quae complerant aedituentes.
nec iam religio divom nec numina magni
pendebantur enim: praesens dolor exsuperabat.
nec mos ille sepulturae remanebat in urbe,
quo pius hic populus semper consuerat humari:
1280 perturbatus enim totus trepidabat, et unus
quisque suum pro re conpostum maestus humabat.
multaque res subitae et paupertas horrida suasit:
namque suos consanguineos aliena rogorum
insuper extructa ingenti clamore locabant,
1285 subdebantque faces, multo cum sanguine saepe
rixantes potius quam corpora desererentur.

1270 pellis || 1271 Viceribus || sordeque || 1272 rellerat. || 1274 manebat. || 1281 conpostum *omissum*. || 1282 res *omissum*. || subitaf || 1285 fauces

Digitized by Google

CAPITULA.

I, 44 TO MACARION CAE APHTARTON.
62 LAUS INVENTORIS.
84 EXEMPLUM RELIGIONIS.
107 FINIS DOLORIS.
112 DE ANIMA.
150 NIHIL DE NIHIL GIGNI.
215 NIHIL AD NIHILUM INTERIRE.
269 CORPORA QUAE NON VIDEANTUR.
277 DE VENTO.
298 DE ODORE, CALORE, FRIGORE, VOCE.
305 VESTES UVESCI ET ARESCI.
311 DE ANULO IN DIGITO ET CETERIS.
334 DE INANI.
370 DE PISCIBUS IN AQUA.
419 CORPUS ET INANE ESSE NATURAM RERUM.
430 TERTIAM NATURAM NULLAM ESSE RERUM.
498 SOLIDUM ESSE.
551 CONTRA IS APIRON TEN TOMEN.
565 DE MOLLI NATURA, AQUA, AËRE, ET CETERIS.
635 CONTRA HERACLITUM.
705 NEQUE IGNEM NEQUE AËRA NEQUE UMOREM PRINCIPIA ESSE.
716 CONTRA EMPEDOCLEN.
830 CONTRA ANAXAGORAN.
951 TO PAN APIRON: TO GAR PEPERASMENON ACRON ECHI.
1052 IS TO MESON E PHORA.

TITI LUCRETI CARI DE RERUM NATURA
LIBER I EXPLICIT,
INCIPIT LIBER SECUNDUS.

II, 14 SARCOS EUSTATES CATASTEMA.
62 DE MOTU PRINCIPIORUM, ET INFINITA ESSE.
89 IMUM NIHIL ESSE.
112 QUAE IN SOLIS RADIIS APPAREANT.
142 DE CELERITATE MOTUS.
183 NIHIL SURSUM FERRI CORPUSCULORUM,
SED PRESSA A RADICIBUS EXURGERE CORPORA.
221 DE CLINATIONE MOTUS.
333 DE FIGURA ATOMORUM.
388 DE LUMINE.
392 DE OLEO.
398 DE MELLE.
400 DE ABSENTHIO.
408 DE SERRAE STRIDORE.
447 DE ADAMANTE, FERRO, SILICE, AERE
464 DE SUDORE SALSO.

Digitized by Google

VI. . QUI PROCURATIONEM DIS ATTRIBUIT MUNDI, SIBI IPSUM DE DIS IMMORTALIBUS SOLLICITUDINES CONSTITUERE.
1 96 DE TONITRU.
160 DE FULGURE.
204 IN NUBIBUS SEMINA IGNITA INESSE.
219 DE FULMINE.
5 225 IGNIS EX FULMINE NATURA.
246 FULMINA IN CRASSIORIBUS NUBIBUS ET ALTE GIGNI.
285 DE TONITRIBUS ET TERRAE MOTU.
357 AUTUMNO MAGIS FULMINA ET TONITRUA FIERI.
451 DE NUBIBUS.
10 493 SPIRACULA MUNDI.
495 DE IMBRIBUS.
526 DE ARQUO.
535 DE TERRAE MOTU.
608 QUARE MARE MAIUS NON FIAT.
15 639 DE AETNA.
712 DE NILO FLUVIO.
738 DE LACU AVERNI.
749 CORNICES ATHENIS AD AEDEM MINERVAE NON ESSE.
756 IN SYRIA QUADRIPEDES.
20 840 CUR AQUA IN PUTEIS FRIGIDIOR SIT AESTATE.
848 DE FONTE AD HAMMONIS.
879 IN AQUA TAEDAM ARDERE.
23 888 DE FONTE ARADI IN MARE.
... DE LAPIDE MAGNETE.
24 921 FLUERE AB OMNIBUS REBUS.
... RARAS RES OMNIS ESSE.
25 1090 PESTILENTIA UNDE CREATUR.
1138 DE PESTILENTIA ATHENIENSIUM.

TITI LUCRETI CARI
DE RERUM NATURA
LIBER VI EXPLICIT
FELICITER.

TYPIS R. DECKERI.

Digitized by Google

CAROLI LACHMANNI

IN T. LUCRETII CARI

DE RERUM NATURA

LIBROS

COMMENTARIUS

ITERUM EDITUS

BEROLINI
IMPENSIS GEORGII REIMERI
MDCCCLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Ante hos mille annos in quadam regni Francici parte unum supererat Lucretiani carminis exemplar antiquum, e quo cetera, quorum post illa tempora memoria fuit, deducta sunt; nisi forte eum *librum Lucretii unum* quem saeculo decimo Bobienses se habere scripserunt in catalogo a Muratorio in Antiquitatibus Italicis edito, tomo III p. 820, et ipsum iam tunc antiquum fuisse suspicari volumus. certe huius nullum usquam extat vestigium: ex illo quem in regno Francico fuisse dicebam multi tribus, quantum cognoscere possumus, exemplis descripti sunt. id exemplar ceterorum ARCHETYPON (ita appellare soleo) constitit paginis CCCII, quarum non tantum prima et ultima, sed praeterea centesima nonagesima, quae erat post finem libri quarti, conscriptae non fuerunt: item una in libro primo, ut dicam ad huius versum 1093, vacua fuit relicta: in reliquis fuerunt versus vigeni seni, in ultima libri cuiusque pauciores. porro eius codicis scripturam litteris capitalibus gracilioribus, non uncialibus, fuisse multis indiciis cognosci potest: vocabulorum distinctio nulla fuit, sententiarum constantissima in mediis versibus. ex quibus rebus intellegitur eum saeculo post Christum natum quarto quintove conscriptum fuisse, Vergilianis exemplaribus, quae ex eo genere supersunt, simillimum. hoc tamen confitendum est, neque librarium rem suam satis studiose egisse, neque correctores, quos in libro expoliendo curam collocasse apparet, multa ab illo peccata emendasse: certe ne unum quidem ex iis versibus quos omisisset restituerunt; ut videantur mihi codicem suum, ut fere dicebant, sine exemplario legisse et ut potuerint emendasse.

Digitized by Google

Haec omnia ita ut dixi fuisse intelleget quicumque horum commentariorum aliquam partem pertractaverit. quarum rerum maxima pars e copiis ab Havercampo et ceteris cum summa iudicii imbecillitate collatis cum mihi sex fere mensium usu constitisset, cetera (praeter numerum paginarum, quem nuper subduxi) eo ipso paene momento patuerunt quo membranae Vossianae a me excuti coeptae sunt, mense Aprili anni MDCCCXLVI, cum insigni benevolentia ac favore illustrium academiae Leidensis curatorum, quos Iacobi Geelii, hominis optimi mihique non propter eruditionem solam cari, consilio usos esse suspicor, in hanc urbem essent tramissae. paulo ante id tempus duo adulescentes optime instituti, Hugo Purmannus Silesius et Iacobus Bernaysius Hamburgensis, via ac ratione ab Iohanne Nicolao Madvico, viro eruditissimo, monstrata (is enim emendando Lucretio primus artem sanam adhibuit in libello academico Hauniae anno 1832 et iterum biennio post inter opuscula edito) in expendendis huius poëmatis emendandi praesidiis magno studio neque infeliciter elaboraverunt. horum Purmannus Lucretianarum quaestionum specimen Vratislaviae mense Martio eiusdem anni 1846 edidit, Bernaysius suae de emendatione Lucretii commentationi, quam Fridericus Ritschelius in Rhenanum museum philologiae anno 1847 recepit, subscripsit eundem illum Aprilem anni 1846. sed eorum opera, ut fuit in hoc negotio sane laudabiliter posita, ita mihi, ut verum dicam, ad summam rei non profuit, quoniam illi partim ea quae mihi notissima erant attulerunt, alia, ut adulescentes neque satis in Lucretii ingenio cognoscendo versati, aut praetermiserunt aut falsis admixtis contaminarunt. hos igitur de quibusnam rebus recte sensisse iudicem ex consensu facile intellegetur: omnia singillatim recensere, ne lectoribus molestia paretur, nolo.

De illis autem tribus apographis, quibus inde a saeculo nono memoriam Lucretiani carminis ad nostram aetatem propagatam esse dixi, ante omnia sciendum est unum horum eo ipso saeculo ex archetypo factum superesse. is est codicum Leidensium alter, numero trigesimus, quem OBLONGUM dico, quia ea forma est quam vulgo *in folio minori* dicunt. hic unde ad Isaacum Vossium pervenerit (nam pater eius hunc non habuit, sed alterum) dicere non possum,

Digitized by Google

neque eo ante Vossium qui usus sit quemquam reperio: olim tamen Maguntiae fuisse docent quae scripta sunt pagina prima in margine inferiore, 'Iste liber pertinet ad librariam Sancti Martini ecclesie Maguntin. M. Sindicus subscripsit anno 1479.' schedae, sive *folia* dicere malumus, sunt numero 192, versus paginarum viceni, in scheda 42 (quae est quaternionis sexti tertia) viceni septeni (II. 484—536). una pagina tota vacua est post versum libri VI 78: ea est pagina versa schedae quintae in ternione, cuius scheda sexta excisa est. hic liber eo ipso quo scriptus est tempore a duobus librariis correctus est. eorum CORRECTORUM alter scribendi genere Saxonico usus supplevit versus a Francone per neglegentiam omissos, ita quidem ut priore scriptura eluta versuum spatia non nimis angusta faceret. hic Saxo, praeter quam quod *e* litterae plerumque caudam subiunxit, ut *ae* fieret, non multa correxit. alter post eum (nam in libro I cum Saxo in litura versus unius scripsisset 549 et 550, hic alter ultimam in *reparare* litteram in *i* mutavit) locis innumeris litteras et vocabula vel emendavit vel corrupit, partim de coniectura, alia ex eodem illo antiquissimo codice, quo hunc quoque usum esse ex iis apparet quae aut intellectum non habent aut eodem modo in exemplari quadrato, de quo infra dicam, scripta extant.

Alterum libri antiquissimi apographum in Italiam travectum est; quae quibus codicibus per saeculum quintum decimum usa est, eos omnes habuit eodem exemplo scriptos, oblongo nostro ab omni parte simillimos neque tamen ex oblongo ductos: aliquando enim ab hoc dissentiunt et cum quadrato faciunt, idque in iis rebus quas coniectura adsequi nemo potuit. horum codicum eum, e quo ceteri derivati sunt, a Poggio Florentino e Germania allatum adfirmarem (nam ante huius tempora Dantes, Petrarcha, Boccacius, nisi fallor, Lucretii mentionem fecerunt nullam, Gulielmus Pastrengicus, nisi quod *poëtam comicum* dicit, Hieronymi chronicon sequitur), nisi Poggius ipse in oratione in funere Nicolai de Nicolis scripta itemque in dialogo de infelicitate principum se *Lucretii partem* in lucem extulisse diceret eoque modo laudem ab aliis sibi tributam ipse extenuare videretur. quamquam vereor ne Poggius, cum nimis doctus esse vellet, ipse sibi fecerit iniuriam: nam cum Var-

Digitized by Google

ronis de lingua Latina libros (hoc enim satis constat) legisset, falli facile potuit iis quae in libro quinto invenisset hoc modo scripta, *A qua bipartita divisione Lucretius suorum unius et viginti librorum initium fecit hoc, Aetheris et terrae genitabile quaerere tempus*. certe in libro Laurentiano plutei xxxv 30 totum Lucretii carmen continetur: is autem liber manu ipsius Nicolai Nicoli civis Florentini, qui Lucretium Poggii duodecim annis apud se tenuerat, scriptus esse existimatur. quod si verum est, huius Nicolai, qui decessit anno 1437, non magnae in Lucretio emendando fuerunt partes: tantum enim scio, libri primi versum 1068 et proximos in hoc exemplari dimidiatos legi, nec dubitandum est quin multo et audacior et ingeniosior hoc primo conatu diorthosis illa sit quam soleo aut simpliciter doctis Italis aut Antonio Marii filio, civi et notario Florentino, adscribere, cuius manu, quam se probe cognosse adseverabat, Henricus Keilius, vir doctissimus, codicem Laurentianum eiusdem plutei primum et tricesimum circa annum 1440 scriptum esse tum dixit, cum mihi eius libri utendi (excusserat enim eum totum) copiam fecit. huic simillimis exemplaribus Michahelem Marullum, de quo infra dicam, usum esse manifestum est: sed eidem, cum libros impressos raro inspiceret (neque enim facile Gifanio credere possum Marulli ipsius manu annotatum fuisse illud exemplar impressum quod se ab Iohanne Sambuco utendum accepisse scribit), alia praesto fuerunt minus emendata, hoc est antiquae archetypi lectionis tenaciora. atque ex hoc ipso rudiore ac maioris fidei genere fuit id quod libri olim impressi maxime imitati sunt. hi enim cum et in aliis rebus plerisque et in duobus libri primi (157 158) tribusque secundi versibus (492—494), quos habent Antonius Marii et Marullus, omittendis inter se consentiant, Brixiensis autem editor, qui Lucretium 'Thoma Ferando auctore' edidit, unicum exemplar in manus suas pervenisse testetur, atque eius editionis exemplar (eam post annum 1473 factam negant qui eius hodie in toto orbe tria exemplaria superesse demonstrarunt, ut Dibdinus in Bibliotheca Spenceriana, tomo ii p. 149) sed cum Brixiense nullum exemplar Veronensibus ac Venetis typographis notum fuisse constet (ii sunt Paulus Fridenberger et Theodorus de Ragazonibus, anni autem editionum 1486 et 1495), crediderim

Digitized by Google

eos omnes aut uno exemplari aut duobus inter se simillimis usos esse; quamquam Venetus, qui in ceteris Veronense exemplar quamvis mendosum expressit, versus libri quarti LXVIII (125—190), qui Veronensi desunt, aliunde acceperit necesse est. sed quod typographos antiquam neque emendatam lectionem fidelius quam notarium Florentinum aliosque Italos ei similes observasse dixi, cavendum nihilo minus est ne multo plus impressis quam calamo Italico scriptis credamus: nam in impressis quoque non pauca sunt de coniectura emendata, in Brixiensi quidem paulo plura et audacius quam in Veronensi et Veneto; quare falluntur, ut solent, qui libris pretium statuunt ex raritate, cum Brixiensem illis fide et auctoritate praestare censent. mihi, cum et Venetum exemplar in manibus haberem et e Veronensi Havercampus Wakefieldus Forbiger multa excepissent, ad ea quae vellem cognoscenda suffecit quamvis imperite et neglegenter facta ab Iohanne Gerardo quattuor primarum editionum recensio, quae in Glasguensis editionis tomo quarto exhibita est paginis CCXL (163—402).

Superest ut de tertio genere exponam, quod ab eadem stirpe venisse supra dixi. ex hoc duo mihi nota sunt exemplaria, alterum non integrum, neutrum vetustate par oblongo, neutrum denique ita scriptum ut librario librum antiquissimum ipsum ante oculos fuisse appareat. qui liber antiquissimus cum olim esset, quod multis documentis intellegitur, passim detritus, corrosus, sordibus obductus, aliqua etiam parte lacer et schedae LXVIII paginis inversis (IV, 299—347), dum illa priora apographa conficiebantur, accidit ut quattuor schedae, quae erant numero XVI XXIX XXXIX CXV, compagibus solutis a suis sedibus aberrarent; quo factum est ut ea quae his schedis continebantur (quaenam ea fuerint dicam ad librum I, 734) in hoc novo codicum genere, quod erat tertium, suis locis sine ullo defectus indicio omissa post libri sexti finem seorsum reponerentur. hoc novum et tertium genus dico: nam siquis hoc primum fuisse atque illud damnum codicem prius quam oblongus et Italicorum parens nascerentur fecisse existimabit, is quomodo librarii schedas perturbatas in verum ordinem restituerint docere non poterit. itaque horum codicum alter est Leidensis QUADRATUS, notatus numero 94, scriptus saeculo decimo a

Digitized by Google

librario, nisi species fallit, Germano, schedis numero 69, paginis bipertitis ita ut in singulis laterculis sint versus XXVIII. huius CORRECTORES fuerunt complures, omnes saeculi quinti decimi; quorum tamen nullus alio exemplari usus esse videtur, nisi quod unus ceteris recentior post libri quinti versum 927 haec adscripsit, 'Desunt versus 62. Nisi traiecti. Sed habes folio penultimo'; qui ne falsum quidem numerum (sunt enim versus LII) dicere potuit sine alio libro. ceterum hunc eundem librum quadratum, ante quam Gerhardi Iohannis Vossii fieret, e coenobio Sancti Bertini, quod est prope oppidum Sancti Audomari, Lutetiam missum Hadrianus Turnebus usque ad librum sextum satis, ut videtur, diligenter excussit et excerpta sua Dionysio Lambino utenda concessit. alterius codicis SCHEDAE octo Hauniae in bibliotheca regia adservantur, decem Vindobonae in Caesarea. Haunienses olim, cum Gottorpii essent, Marquardus Gudius excussit, cuius manu factis excerptis, quae mihi e Guelferbytana bibliotheca Carolus Schönemannus amicissime concesserat, uti nolui, postquam Madvicus me docuit se ipsas schedas Hauniae, cum diu latuissent, repperisse. paulo post R.I.F.Henrichsen, quae 'de fragmento Gottorpiensi Lucretii' accurate scripta Othiniae, quod Fioniae oppidum est, anno 1846 edidit, mihi humanissime misit. Vindobonensium schedarum vix usquam in his commentariis mentionem facere volui, quamvis earum excerpta haberem ab Henrico Keilio facta, sed rudiuscule et, ut ipse dicebat, cum in arte parum exercitatus esset. neque harum schedarum sive Hauniensium sive Vindobonensium ulla propria auctoritas est, nisi cum aliquando cum oblongo consentiunt: pleraque enim vel minima cum quadrato ita habent communia, ut quadratum nimia fide, schedarum autem librarios, quos plures fuisse testatum habemus, summa neglegentia peccasse certum sit. octo Hauniensibus continetur liber Lucretii primus et secundi versus 456, omissis tamen bis quinquagenis binis (I, 734—785 II, 253—304), ut supra dixi, et praeter eos tribus et viginti (I, 123 890 891 1023 1068—1075 1094—1101 II, 310—312): insunt, capitulorum titulis connumeratis, versus conscripti, nisi fallor, 1489. de his Henrichsenius haec dicit, 'Codex Gottorpiensis est membranaceus folii minoris —— binis columnis ita exaratus, ut singulae fere qua-

Digitized by Google

dragenos septenos, perpaucae quadragenos octonos versus complectantur, ultima quadragenos ternos contineat'; quae quamquam paulo curiosius exposita vellem, summae tamen satis inter se conveniunt. tum una scheda periit, in qua fuerunt versus libri II 457—640, numero (tot enim in quadrato sunt) 188, qui sunt quater quadrageni septeni. nam a versu libri II 641 initium ducunt schedae Vindobonenses, quibus eiusdem codicis particulam contineri mihi satis certum videtur; quod manifestum facere possem, nisi Purmannus p. 15 et 16 dissertationis in describenda schedarum condicione auctore usus esset parum idoneo, qui ne hoc quidem didicisset de laceris ac dispersis necessario quot in quaque pagina versus essent, dicendum esse. constat tamen has schedas pariter atque Haunienses habere paginas bipertitas: Endlicherus in catalogo codicum Vindobonensium I p. 54 eas 'in folio' scriptas dicit, Purmannus 'in quarto maiore': saeculo decimo has adscribit Endlicherus, Gottorpienses octavo nonove nimis liberaliter Gudius. liber Lucretii secundus ab eo versu quem dixi totus (641—1174) praeter versus duo et quinquaginta (757—806) omissos, item tertii versus primi 621, quae simul efficiunt versus conscriptos 1129, hoc est viciens quater quadragenos septenos et unum, ea sunt in sex prioribus schedis Vindobonensibus, columnis XXIV: nam quod est apud Purmannum p. 16, 'Desinit fol. 14, b, 1,' hoc est columna XXIII, quae est paenultima, verum esse non potest, si nos credere postulat quae subiecit, 'non una re apparere librum olim integrum fuisse.' sed reliquis columnis quattuordecim (tot enim supersunt: nam in scheda decima versa scriptum est Iuvenalis satirarum initium) numeri Haunienses non conveniunt, sed ampliores; quare in his scripturam suspicor esse angustiorem. est enim ibi extrema pars libri sexti a versu 740, versus 558, tum extra clusa, versus 212; qui fiunt simul versus 770. ratio conficitur, si hae columnae quattuordecim singulae sunt versuum quinquagenum quinum.

Nimis multa mihi de iis quae minimam utilitatem adferunt dicenda fuisse aegre fero: omnis enim vetustae lectionis memoria e Vossianis codicibus repetenda est; nisi quod oblongo fidem interdum Italici abrogant, quadrati auctoritatem aliquando, ut dixi, inminuunt schedae. iam si eadem

Digitized by Google

fide eademque arte qua Mediceum Vergilii codicem Fogginius expressit, ii librarii qui Vossianos conscripserunt exemplar antiquissimum per ductus litterarum singulos imitati essent, in Lucretii carminibus recensendis, quoniam uterque eodem exemplo scriptus esset, neque ii tantum usquam inter se quantum Romanus et Mediceus Maronis dissentire possent, nihil sane agendum esset nisi ut paucula, in quibus eorum alteruter peccasset, notarentur: nam quid prima quid alia manu, quid inter versus aut in margine scriptum esset, quid inductum erasum superscriptum, quid denique vi aut madore interisset, ea omnia libri nostri accuratissime expressa repraesentarent. verum huius modi artis non modo illo tempore studium fuit nullum, nulla utilitatis cognitio, sed ne multis quidem post illa saeculis: neque Iohannen Iovianum Pontanum unum Taciti libellum tam superstitiosa sedulitate transcripsisse ullus homo suspicari potuit, nisi insigniter perversus. itaque ea omnia auctoritatis momenta, quae, si ipsum exemplar ceterorum *archetypon* haberemus, oculis observari possent, ita confusa apparent ut recensenti paria videri debeant. hoc dico. ubicumque testimoniis fide dignis inter se collatis perspicuum est in archetypo scripturam fuisse duplicem (hoc autem ita est, quotiens *oblongus* et *quadratus* inter se dissentiunt, neque eorum alterutrum peccare aut e *schedis* aut ex *Italicis* sive manu scriptis sive *impressis* apparet), ad recensionem iudicium adhibendum est, neque tam certo utra scriptura antiquior fuerit dici potest, quam utra aut vera aut verae propior sit disputari. sed ego cum hoc de testium dissensu iudicium paene ubique certissimum et extra periculum positum intellexissem, nolui mendis, quae in altero libro essent, in altero non essent, enumerandis taedium et mihi et lectoribus facere sine ullo ad verum inveniendum emolumento. scio quidem multos in hac re confidentiam meam reprehensuros esse, qui mihi id quod ipsi videre velint credi postulem: sed hi erunt fere ii qui aut se Heynio et Philippo Wagnero de Mediceo Vergilii codice idem concedere, quoniam illi se multa tacuisse non dixerunt, nesciant, aut in alienam diligentiam, ut ingenii sui praestantiam ostentent, cupiant involare. quibus ego auctor sum ut aut, si possint, mihi, homini quidem neque errorum experti, non tamen nimis incurioso aut neglegenti, credant

Digitized by Google

non facile usquam multo quam ego dixerim plus auctoritatis inesse exemplaribus nostris antiquissimis, aut, si studia mea examinare velint, eadem exemplaria denuo post me excutiant, sed cum cura et intenta oculorum acie, ne forte prima manu scripta esse putent quae sint correctorum, neve plura quam is quem notare voluerint peccasse arguantur.

Itaque recensendi munere ita functus sum, ut quodcumque bonum et verum esset aut in utroque aut in alterutro codice, id sine ullo dubitationis indicio exhiberem, versuum autem ordinem eum, quo essent a veteribus librariis scripti, numeris appositis indicarem: emendationem his rebus contineri arbitratus sum, primum ut versus a librariis traiecti in suum locum reducerentur; quod ubi evenit, numeri sese naturali ordine excipere non potuerunt; deinde ut ipsa versuum vocabula, ubi vel perissent vel depravata essent, quantum fieri posset, reciperarentur, ita tamen ut singula ad codicum fidem scripta cum singulis commentariorum particulis praefigerentur, tum in imis paginis carminum enumerarentur.

Operam vero maximam eamque satis fastidiosam posui in primo emendationis cuiusque auctore investigando: nam quis quemque secutus esset, quisve alio tempore idem per se vidisset, non saepe curavi, nisi in mirabilioribus. ergo si quando librariorum manus a vero aberrasse apparebat, ante omnia quaesivi numquid melius adferret *correctorum antiquissimus*, qui saeculo nono codicem oblongum interpolavit. a quo si nihil rettuleram, multo plura bona et in his exquisitissima non pauca praebuerunt *correctores quadrati*. his aetate par et in emendandi officio paulo constantior est *Antonius Marii* vel potius huius auctor *Italus*, qui manifesta vitia sustulit innumera: habent etiam propria quaedam bona *olim impressi*. sed omnium studia cum ingenio tum diligentia longe superavit Michahel *Marullus*, ortu Graecus, sed in poësi Latina eximius, qui cum se totis viribus in Lucretii ingenium et artem insinuasset, in eius carminibus emendandis multo plus praestitit quam post eum vel doctiores. ab huius prope Volaterras in Cecina fluvio interitu anno duodecimo Petrus Candidus Lucretium ab eo emendatum edidit, impressum Florentiae sumptibus Philippi Giuntae anno 1512 mense Martio; cuius editionis exemplar ab Iohanne

Digitized by Google

Schulzio, viro illustri litterarum colendarum adiuvandarumque studiosissimo, commodatum mihi maxime profuit ad reddendas Marullo laudes suas, quas plerique, qui eum secuti sunt, vel silentio presserunt vel conviciis contaminaverunt. horum primus fuit Hieronymus *Avantius* Veronensis, qui cum se hoc poëma suo ingenio et labore sine antiquo exemplari emendasse scribit, furtum insigne dissimulat, quo eum pleraque Marulli inventa turpiter corripuisse demonstrabo ad librum III, 98. hic tamen Avantius, cuius editionem Venetiis impressit Aldus anno 1500, habet laudabilia satis multa non a Marullo petita, quaedam etiam e libris quadrato nostro similibus; quibus improbi furis nomen, quia non potui aliud, apposui invitus. huius ineptissimam scribendi rationem Eichstadius studiose imitatus est. Avantium, cuius tamen nullam mentionem fecit, in plerisque omnibus sequitur Iohannes Baptista *Pius* Bononiensis, qui in commentario Bononiae anno 1511 edito non nulla egregie correxit, antiquissimorum exemplarium fide identidem interposita, cum tamen eum nullis nisi recentissimis arte Italorum expolitis usum esse et res ipsa ostendat et eorum nomina quorum codicibus usus est. dicit enim se quasi Zeusin e *quattuor* corporibus unam Lucretio formam praestitisse, enumerat autem exemplaria, quibus usus sit, nisi fallor, *quinque* (itaque de Zeuxide Cicero et Plinius), codicem Hermolai et Pomponii (a quo differre existimo Basileensem a Pomponio in carcere scriptum anno 1468, in quo Barbari ullam mentionem esse non refert Orellius in historia critica eclogarum ex Salustii historiarum libris edita Turici anno 1833 p. 35), codicem non omnino malum qui fuisset 'viri non indocti gentis clarissimae Strotiorum,' Philippi Beroaldi 'impressum quidem, sed tamen perpense examinatum,' praeterea Codri (Brixiensem, puto, qui in I, 853 habet quod ille e Codri codice adfert, *sanguis omoios*), postremo Marulli. ita a Pio usque ad Forbigerum omnes Lucretii editores nullo veritatis studio exemplaria vetera et recentissima, multi Marulliana quoque et Aldina, omnia eodem numero locoque habuerunt; quo factum est ut omnes multo plura temere et imperite temptando corrumperent quam correctorum veterum et Italorum Marullique exemplo in integrum restituerent. Andreas *Naugerius*, cuius opera Aldus usus est cum

Digitized by Google

Lucretium iterum ederet mense Ianuario 1515, exemplar Marullianum prope totum, sed diligentius distinctum, repetiit, ipse pauca novavit eaque prudenter. annis XLVIII interiectis Dionysius *Lambinus* (utor eius editione tertia, quae facta est Lutetiae anno 1570), homo ingenii felicis idemque philosophiae studiosus et linguae Latinae in primis peritus, tantum praestitit, ut proxime post Marullum, longo tamen intervallo, collocandus sit, siquis in utroque ea quae bona sunt sola numeret: nam et Marullus saepissime peccavit, et Lambinus, praeter multa verissima, mirabili quadam animi levitate innumera alia temere intulit nulla causa nulloque certo consilio, quae possessione iniuria occupata tandem expulit Wakefieldus. triennio post primas Lambini curas Obertus *Gifanius* prodiit, indice seu conlectaneis, libro illis temporibus utilissimo, clarior factus quam emendatione; qui quo iure aut Lambinum aut alios compilasse dictus esset non quaesivi: ex editione altera, quae facta est Lugduni Batavorum anno 1595, non adeo multa petere potui, quae priores visi essent neglexisse. neque mihi multo aut plura aut exquisitiora praebuit Tanaquil *Faber*, homo acutus, sed idem temerarius, qui Lucretium edidit Salmurii anno 1662. eiusdem anni mense Ianuario Richardus *Bentleius* natus est, quem anno 1689 ad finem vergente Oxonii Lucretium studiose legisse Monkius demonstravit in vita Bentleii p. 16: eoque tempore, hoc est ante editam anno 1691 ad Millium epistulam, scripta esse ea quae Glasguenses tomo quarto paginis LXIV post 402 ediderunt, Wakefieldum et Eichstadium non ignorare par fuit. nam Forbigero iniuriam faciat qui eum vel minimam rem per se intellegere postulet: et habebat cui crederet, Birgerum Thorlacium, qui Lucretium 'ex recensione Bentleio-Wakefieldiana' editum ridicule prae se tulisset Hauniae anno 1813. sed in iuvenilibus Bentleii schediasmatis permulta sunt summo et perfecto artifice dignissima; quorum partem videtur cum Thoma *Creechio* communicasse tum in eadem Oxoniensi universitate editionem parante, quae in lucem prodiit anno 1695, repetita est Londini 1717: habet enim Bentleiana complura Creechius, quae simpliciter adscribit *aliis*, scilicet ne iuvenis artium magistri eiusque Cantabrigiensis nomen diceret. ipse quidem Creechius multa rectius interpretatus est quam scripsit, in philo-

Digitized by Google

sophia explicanda sane diligens, sed linguae Latinae imperitissimus. *editio Londinensis* anno 1712 facta mihi ad hoc unum utilis fuit, ut aliquot emendationum auctores primos cognoscerem. neque Sigeberti *Havercampi* duo volumina Lugduni Batavorum anno 1725 edita ulla laude digna sunt: nam neque ipse aut emendando aut interpretando memorabile quicquam effecit, neque ea quae priores egerant recte et cum cura disposita exhibuit, neque in Leidensium codicum auctoritate testificanda ulla fide aut sollertia usus est. sed Havercampum quidem omni tempore omnes contempserunt: Gilberto *Wakefieldo* unde praeclaram quandam apud Germanos existimationem accessisse dicam dubito, nisi forte modestiae specie hominibus modestis et ab omni iudicii subtilitate abhorrentibus mirabiliter imposuisse censendus est. enim vero ista modestia non fuit hominis sapientis, sed, quod incredibile videatur, prope furiosi, qui cum a Marullo et Lambino multa sine causa contra veterum exemplarium fidem invecta recte intellexisset, haec eiecisse non contentus, verissima quaeque et certissima nullo nisi iniuriae ulciscendae consilio cum ira et conviciis foedissimis exagitaverit; quo fit ut Aiaci Varroniano simillimus sit: *Aiax tum credit ferro se caedere Ulixen, Cum baculo silvam caedit porcosque trucidat*. itaque in vastis Wakefieldi commentariis, quos ipse splendidissime edidit Londini annis 1796 et 97, Glasguenses paulo commodiore forma repetierunt anno 1813, nullum prope studium animadvertas Lucretii rationum recte intellegendarum, nullam linguae Latinae scientiam, sed praeter convicia aliquam sane elegantiarum poëticarum e lectione multa sed parum subacta consectationem, et insignia neque ea nimis rara summi ingenii egregiique acuminis vestigia, e quibus appareat eum, nisi mentis error obstitisset, potuisse re vera tantum in hoc poëmate emendando efficere quantum multis visus sit effecisse. huius et imitatores et in artis studiique contemptu aemulos, Henricum Carolum Abrahamum *Eichstadium* et Albertum *Forbigerum*, cur commemorandos ducam multi recte sane mirabuntur, a quibus ne tantum quidem quantum ab Havercampo capere potuerim: nam Eichstadius unum libri quinti versum emendavit (584), Forbiger nihil usquam laudabiliter gessit. sed mihi, cum antiquiores eorum similes, Danielem Pareum, Iohannem

Digitized by Google

Nardium, Michahelem Fayum, volens praetermittam, operae pretium est notare stolidam nostrorum patientiam, qua per tot annos, hoc est inde a 1801 et 1828, exemplaribus corruptissimis, quorum magna pars neque intellegi posset neque ab ipsis auctoribus intellecta esset, tamquam optimis usi sint atque integerrimis. in quo si quos forte Eichstadii nominis gloria quaedam decepit, certe mercennariam Forbigeri operam, in qua neque ratio ulla esset neque diligentia, contemnere debebant. itaque volui documentum statuere, nequis pari arrogantia res magnas atque difficiles, quibus se imparem sciret, suscipere auderet. sed horum pravitate omissa licet mihi in spe laeta certaque finem facere praefandi, qua ductus futurum auguror ut Lucretii carmen interpretatione doctiore illustretur, cuius cum in hominis cuiusdam egregii studiis iandudum maxima versatur expectatio, tum nuper specimen sane luculentum Iosephus Reisackerus dedit in Lucretianis quaestionibus Bonnae mense Decembri anni 1847 editis. interim nos ut poterimus perpoliemus hoc carmen,

I, 1. Aeneadum genetrix *ubi prima*, ut dicit Ovidius in tristium libro II, 261. in quo ipso principio, quod Ausonius inseruit epigrammati 33, is qui se recensionem Bentleio-Wakefieldianam sequi profitetur, horum utroque spreto scripsit naviter *Aeneadum genitrix*. sed Probus in arte minore p. 249 Mai, quasi hanc vocabuli formam ne nosset quidem, quaesivit qua de causa *genitor* per *i* et *genetrix* per *e* litteram scriberetur. eadem quaestio locum habet in *genetivo* et *genitali* vel *genitura*. nam *genetalia* Charisius p. 28 quaenam sacra dicat nescio, nisi forte *genealia* τυχαῖα quae appellantur in Vindobonensi grammaticorum sylloge p. 100, *genialia* τὰ τυχία in glossario Philoxeni, quae ad genium loci spectant: *genetivus casus* per *e* sine exceptione scribitur in libris saeculi sexti et proximorum, neque aliter *genetivis notis* exemplaria meliora Suetonii, Memmianum et Mediceum, in Octaviano 80; ut N. Heinsio, qui ad Ovidii metam. III, 331 et ex Ponto III, 2, 107 ad *genitivam imaginem* et ad *genitiva nomina* e libris antiquis nihil in schedas rettulerit, non magna apud me fides sit, neque vulgaria Macrobii exemplaria curem, in quibus Saturnalium III, 6 *Cato* (immo *Varro in Cato*) de liberis educandis *Apollinis genitivi* mentio-

Digitized by Google

nem fecisse fertur. porro eadem differentia est in *institore* et *obstetrice*, in *meritorio* et *meretrice*, de quibus nemo dubitat, quamquam vetus codex Plauti in Cistellaria II, 3, 22 23 habet *meritrix*. eodem referenda est *anetina fortuna* Plauti in Rudente II, 6, 49, ubi Nonius p. 406, 5 *ego anutinam :* nam *anas*, quia μονῆρες est, sub simillimorum rationem succidit et facit *anites*, quod est in Captivis V, 4, 6 (et *anitum* prima manu Vindobonensis saeculi decimi codex in Ciceronis de natura deorum libro II, 124, idem a correctore non bene *anetum*): ergo pro *anitino*, propter *i* longum quod in proxima syllaba est, dicitur *anetinum*. sed ab eodem vocabulo etiam correpto *i* subsequente *aneticulam* prima manu vetus Camerarii in Asinaria III, 3, 103, a correctore idem *aniticulam*. ac ne in iis quidem quae *i* productum habent, legem certis finibus descriptam invenio : est enim *internecinum* quidem sive *internecivum*, sed veteribus magis placuit *subsicivum* quam *subsecivum*, neque mutant *asininus*, *hirundininus*, *recidivus*, *abditivus*, *conditivus*, *insitivus*, *primitivus*, *monitrix*, *proditrix*, *debitrix*, *ianitrix*. haec igitur grammaticis evolvenda commendabimus, qui adhuc *genitivo* delectantur. Lucretii *primo versu* (ita dicit) Priscianus usus est p. 733, secundi parte Servius ad Aeneidos I, 198, et hic quidem sine nomine poëtae, ut videatur errore memoriae Lucretii verba apposuisse pro Vergilianis quae sunt in georgicon II, 157, *antiquos supter labentia muros* : dicit enim *Ante malorum* ὑφ' ἓν *est, ut alibi caeli subter labentia signa*. versum tertium cum parte quarti habet Nonius p. 274, 32.

5. LUMINA SOLIS. 7. ADVENTUMQUE TUUM. Hic semel dicam quod lectorem semper meminisse oportet, quem admodum Havercampo nihil credendum sit, ita eum omnium minime audiendum esse, cum Vossiano utrique, quos notat Y Z, ea adscribat quae a me non referantur. hic in utroque dicit esse *lumine*, in utroque *Adventuque tuo :* habet *lumina* oblongus, *lumine* quadratus et schedae, *Adventumque tuum* oblongus quadratus schedae. *daedala tellus* e Lucretio, qui iterum ita dixit versu 228, Macrobius in Saturnalium VI, 4. *daedalam terram* ex eodem profert non satis curiose agens Paulus diaconus e Festo libro IV p. 52 Lindemanni. ad proximos versus respicit Servius, cum dicit ad georgicon II, 329, *Et Venerem certis repetunt armenta diebus. statutis,*

Digitized by Google

legitimis, a natura arcana quadam ratione dispositis; ut tractat Lucretius, qui dicit rationem hanc ex aetherio calore descendere.

11. Et reserata viget genitabilis aura favoni. Hunc versum litteris uncialibus scriptum oblongus habet, sed atramento; versum numero 411, *Hoc tibi*, litteris uncialibus rubrica pictis. *genitabilis* autem veteres membranae, Antonius Marii, Brixiensis editio, Marullus: *genitalis* Veronensis editio et Veneta. hoc typographi Veronensis peccatum Wakefieldus cum in Vossianis esse dicit, Havercampi silentio non recte intellecto fallitur ut homo: Forbigeri neglegentiae venia danda non est, qui cum sua ex aliorum libris exscribat, debebat scire unde essent exscribenda. sed ille hoc agebat ut Gifanii et Abrahami Preigeri exemplo versus inmodulatos huic poëtae adfingeret. Ennio enim cum *t* littera propter duritiem in fine vocabulorum ancipiti natura esse videretur (dicebat enim, puto, *quod id haud* in fine sono lenissimo), huic sane licuit haec scribere, *Infit o cives, uter esset induperator, rumores ponebat ante salutem:* sed post Ennium neque Cicero in versus speciem incidit, cum dixit in Miloniana 54 *tamen appareret uter esset insidiator*, neque poëtae illis similia aut in *t* littera aut in ceteris ausi sunt. apud Nonium p. 449, 31 Lucilii versus ita scriptus est, *Intereunt, labuntur, euntur omnia vorsum;* ubi verissime docti *eunt rursum omnia vorsum*. in Horatii carminum III, 5, 17 mihi videtur scribendum esse *Si non perires inmiserabilis, Captiva pubes*, non *periret:* hoc enim vocativi genus poëtis saepe restituendum est, ut Sereno Samonico 533, *Quodque tuis melius verbis dicemus, Horati*, ubi vulgo legitur *Quodque satis melius*. Lucretius vero neque illam Ennii neque aliam ullam in versibus fingendis licentiam admisit, sed, quod poëtarum saeculi ab urbe condita septimi proprium est, omnia ad certae regulae exegit severitatem, a qua primus Maro, cum studeret elegantiae et concinnitati, paulum remisit. quam ob rem summa nuper huic poëtae a Theodoro Bergkio, viro doctissimo, facta iniuria est, cum eum tamquam Ennium aliquem *ingenio maximum, arte rudem* fuisse dixit. hoc ne Horatius quidem aut Ovidius, quamvis illam dulcem et gravem cum ornatu quasi oratorio simplicitatem aspernarentur, dicere umquam ausi sunt: Quintilianus quoque Lucretium, quamvis *difficilem* (ad intellegendum, puto, parum attentis

Digitized by Google

et alia philosophia instructis), *elegantem* tamen *in sua materia* esse concedit: solus Eichstadius p. LXXVII LXXIX in hoc poëta, quo nullum sibi per omnia similiorem cognovi, inaequalitatem quandam et discrepantiam orationis deprehendit, unde carmen ex auctoris manu *incohatum et rude* prodisse neque a correctore satis constanter expolitum sibi cognoscere visus est; is scilicet qui ne manifesta quidem recte intellexisset, ut qui coniungeret inter se haec in V, 118 *par esse ritu Gigantum*, in VI, 1067 *singulariter memorare*, in II, 402 *ora centauri sapore pertorquent*, et alias *centauri feri natura sapore pertorquent ora*, in VI, 238 vini *vim mobiliorem* dici opinaretur, et in IV, 864 *languida anhelare* vel corpora vel membra, in III, 683 animam *cresse in sanguine* quod ibi potuisset *cernere*, in III autem 775 *obruat* putaret valere id quod proruat et II, 1137 *proquam* perquam, item in III, 569 *moventur* id quod movent, denique in I, 508 *Corpus ea non est* ita interpretaretur, Corpus natura loci non est. sed Bergkius suae de hoc poëta sententiae auctorem M. Tullium perhibet; quod profecto non faceret, nisi ab aliis seorsum quam simpliciter iudicare maluisset. nam Marcum plerique cum haec ad Quintum fratrem in libro II, 11 scripsisse credidissent, *Lucretii poëmata ut scribis ita sunt, non multis luminibus ingenii, multae tamen artis*, addita scilicet priori membro negandi particula, quam libri ignorant, e contraria parte ille Cicerones Lucretio ingenium concessisse statuit, sed eosdem in eo parum artis esse iudicasse. quod in Marco sane mirandum esset, quippe qui eius artis qua Lucretius pollet ne minimam quidem partem in carminibus suis adsecutus esset. contra idem cur pauca *ingenii lumina* in Lucretii carmine animadverterit, non potest obscurum esse: nam ei Ennius et Attius ea re *ingeniosi* videbantur, quod oblectando docerent et animis movendis corrigerent mores. pro Murena 30 *Etenim ut ait ingeniosus poëta et auctor valde bonus, proeliis promulgatis Pellitur e medio non solum ista vestra verbosa simulatio prudentiae, sed etiam ipsa illa domina rerum sapientia, vi geritur res*. pro Plancio 59 *Quae scripsit gravis ille et ingeniosus poëta, non ut illos regios pueros, qui iam nusquam erant, sed ut nos et nostros liberos ad laborem et ad laudem excitaret*.

14. ET RAPIDOS —— 15. INDE FERE —— 16. TE SE-

Digitized by Google

QUITUR CUPIDE QUO QUAMQUE INDUCERE TERGIS. Corrector oblongi PERGIS. verum ordinem versuum expresserunt Antonius Marii et olim impressi; quod vix credibile ducet qui scierit eos habere *quocumque inducere pergis*. itaque Marullus, cum hoc teneret, non sine causa totum versum infulsit hunc, *Illecebrisque tuis omnis natura animantum;* quem Avantius, cum *quo quamque* restituisset, rectissime reiecit, male servarunt Naugerius Lambinus ceteri et ineptissime uncis inclusum Wakefieldus cum sectatoribus suis Eichstadio et Forbigero.

18. FRONDIFERASQUE DOMOS AVIUM. His Servius utitur ad georgicon II, 372. quadratus et schedae *Frondiferosque*. Lambinus sine codicum nobis notorum auctoritate *Frundiferasque*, nisi quod hoc ipsum quadratus habet in I, 256. idem in IV, 97 *prumptu*, III, 400 *cumes*. oblongus V, 107 *furtuna*, IV, 935 *curio*. e contrario quadratus *Particolas* II, 833, *tremolis* IV, 404, *Incolomis* IV, 600, *podorem* III, 83, *sopina* IV, 517.

27. OMNIBUS ORALATUM. Corrector oblongi et Priscianus p. 838 et 896 ORNATUM.

29. FERA MOENERA MILITIA. Ita prima manu oblongus: MILITIAI corrector oblongi, quadratus prima manu, itaque Priscianus p. 728. hi genetivi non saepe per *ai* scripti sunt in utroque codice, *viai* II, 249, *vitai* III, 396, *animai* I, 112 III, 670 713 838 VI, 693, *pilai* V, 720 726, *aquai* V, 946. vix saepius ita quadratus altero dissentiente, hoc versu *militiai*, porro *aquai* I, 283 307 453 II, 663, *viai* I, 406, *vitai* I, 415, *materiai* I, 1051 II, 544 562 666: et quidem in I, 453 II, 666 oblongus ante quam corrigeretur habuit *aquae* et *material*; ceteris locis *a* simplex pro *ai* litteris. atque hac ratione, qua *i* omisso scribitur *a* tantum, uterque librarius per totum opus satis constanter usus est, I, 41 *patria*, 85 *Iphianassa*, 251 *terra*, et similiter cetera, quae singula annotare nihil opus est: nam ubicumque aut *ae* scriptum aut illam rariorem formam genetivi casus alio modo corruptam invenerim studiose indicabo. ceterum in Ennii versu, quo Cicero in Catone 16 utitur, et regius et ceteri libri plerique omnes habent *sese flexere via* pro *viai*.

32. QUONIAM BELLI FERAM ONERA MAVORS ARMIPOTENS REGIUM IN GREMIUMQ. SAEPE TUUM SE REI-

Digitized by Google

CIT. *Fera moenia* scholiastes Statii ad Thebaidos III, 296: *munera* Itali hic et in versu 29, MOENERA primus Lambinus. tum Itali et interpres Statii *Armipotens* REGIT. *in gremium* QUI praeter illos corrector oblongi. *Reicit* quadratus et schedae, *Reficit* oblongus et olim impressi, *Refficit* Itali. apud scholiasten Statii *Reiicit:* sed ibidem *devinctus vulnere*, quod Lambinus dedit primus, qui cum Bertinianum codicem inter alios testem advocat, fallitur.

35. TERITI CERVICE. Antonius Marii filius TERETI. *sive teris* Columellae exemplaria in libro IX, 1, 3, *praepitis* in Aeneidos III, 361 Mediceum. e contrario idem in Aeneidos VI, 814 *resedes*. grammaticus Vindobonensis p. 444 *deses, non desis*. *reses, non resis*. hoc recto casu posuit Lucilius apud Festum p. 213, 5 *Pro obtuso ore pugil Piscinensis reses*, id est tam ignavus quam consentaneum est eum fieri cui os pugnis obtusum sit. *Deses et impatiens* Terentianus Maurus 1285. *perpes* in sententiis Publii, *Nec vita nec fortuna hominibus perpes est.*

43. COMMUNI ID ESSE SALUTI. Corrector oblongi *communi deesse*, olim impressi DESSE. Velius Longus p. 2227 *In hac autem* DE *praepositione, quam dixi plenam praeponi, animadvertendum illud, quod imminuitur, si quando sequens vox a littera* E (*aliter* Putschius) *incipit, ut est derrare desse; qua enuntiatione sufficit ipsa productio.*

44—49. OMNES ENIM PER SE DIVUM NATURA NECESSEST IMMORTALI AEVO SUMMA CUM PACE FRUATUR, SEMOTA AB NOSTRIS REBUS SEIUNCTAQUE LONGE: NAM PRIVATA DOLOREM OMNI, PRIVATA PERICLIS, IPSA SUIS POLLENS OPIBUS, NIHIL INDIGA NOSTRI, NEC BENE PROMERITIS CAPITUR NEC TANGITUR IRA. Hos versus Marullus delendos esse vidit; quos cur ex libro II, 646 lector frustra curiosus in hunc locum transtulisse videretur, Isaacus Vossius recte aperuit: 'ut ostenderet' inquit 'Lucretium sibi adversari, qui cum deos mortalia non curare affirmet, Venerem tamen invocet.'

50. 51. QUOD SUPEREST UT VACUAS AURIS SEMOTUM A CURIS ADIBE VERAM AD RATIONEM. Sic membranae sine ulla litura, qualem in Bertiniano fuisse Lambinus fingit. ex his UT tollendum recte iudicavit corrector oblongi. tum Antonius Marii, impressi, Marullus, *vacuas*

Digitized by Google

auris mihi, *Memmius* (Lambinus *Memmiada*), *et te Semotum a curis adhibe*; quod est durum et quaesitum. mihi verissimum videbatur et, nequid dissimulem, adhuc unice aptum videtur *vacuas auris* ANIMUMQUE, age, Memmi, *Semotum a curis adhibe veram ad rationem*. interim Iacobus Bernaysius cum a Veronensi interprete Vergilii ad georgicon III, 3 Lucretio haec verba adscribi vidisset, *vacuas aures animumque* SAGACEM, ea rectius ad operis initium referri statuit quam ad librum IV, 912, ubi est *Tu mihi da tenuis aures animumque sagacem*, non *vacuas*. cui docto viro ut non possum contra dicere, ita miror eundem id non vidisse, quod, si illud verum sit, necessario consequatur, ut ante hos versus, ubi emblema ab hoc loco alienum repudiavimus, vera Lucretii verba perierint: nam ut poëta a Venere orationem ad Memmium ne nomine quidem appellatum deflecteret fieri nullo modo potuit.

57. QUOVE EADEM RURSUM. Apud Senecam, qui his quattuor versibus utitur, in epistula XCV, *Quoque eadem rursus*.

66. MORTALIS TOLLERE CONTRA EST OCULOS AUSUS. Quae hos versus praecedunt, eorum parte Nonius usus est p. 314, 28 et 379, 13, item p. 327, 1, alia parte Lactantius institutionum III, 27, 10 ita, *Quae sese caeli regionibus ostentabat*. sic certe ibi editio Veneta anni 1471 et Rostockcensis 1476, item codex nunc Berolinensis (theol. 381), olim Erfurtensis, scriptus anno 1468: nam duo alii, qui olim fuerunt 'domus gloriose virginis Marie in Evertzclusen ordinis canonicorum regularium Treverensis diocesis' (eorum alterum (theol. 277) descripsit ex altero (266) 'Anthonius Raid de Salmenroir anno 1469'), ii versum sic scriptum exhibent, *qui se celi regionibus ostentavit*. ineptissime Servius ad Aeneidos VIII, 187 *aut secundum Lucretium superstitio est superstantium rerum, id est caelestium et divinarum, id est quae super nos stant, inanis et superfluus timor*. quae exscripserunt Isidorus originum VIII, 3, 7 et tertius mythographus Mai p. 184. hic vero Nonius p. 411, 2, ubi *tendere* quam vario modo dicatur ostendit, *mortalis tendere contra Est oculos ausus*: libri nostri *tollere*. horum utrumque rectissime habere Bentleius ostendit ad Horatium carm. I, 3, 18 et epist. I, 1, 28, neque Philippo Wagnero concedendum puto quod dicit ad Aeneidos II, 405,

Digitized by Google

lumina proprie non *tendi*, cum tamen ea vulgo *contendi* atque *intendi* dicantur, neque in IV, 300 Lucretius addiderit, quod ille necesse esse putat, *manusque*, sed dixerit simpliciter *oculos contra tendere*. itaque TENDERE ut a teste nostris antiquiore editum praeferendum duco.

68. QUEM NEQ. FAMA DEUM NEC FULMINA. Rectissime Bentleius FANA *deum;* quod Wakefieldus allato simili versu libri V 75 probavit, 'sine ulla idonea causa' ut videtur Forbigero. scilicet *fama* non omnis necessario *magna* est, neque tam anguste Lucretius loquitur, ut epitheton, ubi res exigit, praetermittat.

70. INRITAT ANIMI VIRTUTEM, CONFRINGERE UT ARTA NATURAE PRIMUS PORTARUM CLAUSTRA CUPERET. Non male corrector oblongi *frangere:* sed cum apud Nonium p. 506, 33 sit *perfringe ut ar*, verissimum esse censendum est quod habet Priscianus p. 879 EFFRINGERE *ut arta*. tum apud Priscianum *terrarum claustra* per errorem, sed CUPIRET recte. hoc ipsum corrector oblongi posuit, qui tamen adiecit haec sane mirabilia, *al. videret*.

74. ATQUE OMNEM IMMENSUM. Corrector oblongi OMNE. in proximis Nonius p. 381, 25 *Unde refert novus dictor*. sed multa quae huius generis sunt praeteribo.

77. QUANTUM SIT RATIONE. Corrector oblongi QUANAM. ita scriptum extat infra versu 595, item in V, 90 et in VI, 65.

82. 83. INDUGREDI —— SAEPIUS ILLA —— ATQUE IMPIA FACTA. Horum priora confirmat Probus p. 1438, *atque impia* Lactantius institut. I, 21. quadratus et schedae *ac impia*, errore mirabili, sed errore tamen: nam ferendi non sunt qui rem iandudum profligatam recinere non desinunt. *ac* brevi syllaba constare dicit Probus p. 1425. in Silii Italici libro XV, 147 vix credibile est Heinsium et Drakenborchium e Coloniensi edidisse *ac iret:* debebat enim addi spiritus, *Tum vero capere arma iubent, genibusque salutant Submissi augurium: hac iret, qua ducere divos Perspicuum et patrio monstraret semita signo*. in eiusdem XVII, 242 libri (sed auctoritas Coloniensis deficit) *ac imbribus:* rectę fecerunt *nubibus*, quod confirmat versus ibidem 66.

84. TRIVIAT VIRGINIS —— 85. IPHIANASSATUR PARUNT SANGUINE FOEDE. Priscianus p. 728 TRIVIAI,

Digitized by Google

tum IPHIANASSAI *turparunt*, deinde *phoede* (sic Mediceus in Aeneïdos x, 498) vel *foedi*; quod fecerunt *fede* Wakefieldus Eichstadius Forbiger, secuti barbaros Isidorum et Bedam. corrector oblongi et Antonius Marii *Triviai ad:* idem corrector *Iphianassai*, Antonius imperite (vide quae dixi ad versum 29) *Iphianasseo*. quadratus et schedae *sanuine* et in versu proximo *dilecti*.

92. GENIBUS SUMMISSA PETEBAT. In scholiis Veronensibus ad Aeneïdos XII, 718 *petivit*; quod nollem homo doctus nuper probasset. Maronem scimus et *petivit* et *petiit* et sub condicione *petit* dixisse: sed unde scimus quid horum Lucretio placuerit? non recte Merkelius in Ovidii fastorum I, 314 et VI, 117 dedit *subivit* et *ante ivit*.

95. TREMIBUNDAQUE AD ARAS. Quadratus et schedae *ad aram*. *tremibunda* Mediceus et Romanus in Aeneïdos x, 522. apud Arnobium *tremibundum* VI p. 200, *tremibundas* VII p. 213, *fremibundus* VI p. 196, *pavibundis* VII p. 221. in epistula tamen ad Hebraeos XII, 21 Fuldensis liber cum Werdinensi *tremebundus*, Claromontanus et Guelferbytanus *tremibundus*.

102. IAM QUODVIS TEMPORE. Eum versum qui hunc praecedit, Lactantius habet in institutionum I, 21, 14. in hoc corrector oblongi QUOVIS, neque aliter Servius ad Aeneïdos IV, 606 et Priscianus p. 947.

104. QUAM MULTA TIBI IAM FINGERE POSSUM SOMNIA. *Iam* oblongus et Italorum libri: *me* quadratus et schedae, in quo nulla species veri est. sed recte Marullus POSSUNT. Forbiger insigniter fallitur, cum hic *possum* recte scribi dicit quia rationem habeat in versu 400: neque enim animadvertit poëtam alterum de veris dixisse, alterum de falsis ac superstitiosis.

107. ET MERITO —— VIDERENT. Hoc versu Nonius usus est p. 205, 9.

111. AETERNAS QUONIAM POENAS IN MORTE TIMENDUM. Non aliter Servius ad Aeneïdos XI, 230. nihilo minus et hic scribendum puto TIMENDUMST et in V, 302 non *putandum*, sed *Sic igitur solem lunam stellasque putandumst Ex alio atque alio lucem iactare subortu*. nam ita saepissime Lucretius, et quae restant dubiae auctoritatis sunt: in V enim 44 *sunt* vitiose scriptum est, ex quo eodem iure facias *tunc*

Digitized by Google

et *tumst;* in II, 468 *necessu*, cuius vocabuli partem perisse apparet. sed ubi additum est *esse*, potest omitti finitum *est*. I, 627 *Illa quoque esse tibi solida atque aeterna fatendum*. 963 *extra summam quoniam nil esse fatendum*. II, 39 *animo quoque nil prodesse putandum*. III, 543 *Mortalem tamen esse animam fateare necesse*. quam ob rem etiam in III, 796 ferendum puto *tanto magis infitiandum Totum posse:* nam *posse* est *potesse;* quamquam Prisciani codices habent *infitiandum est*.

117. Ennius ut noster cecinit, qui primus. Quadratus et schedae *ut primus* et *qui noster*. versus Ennii, *Ova parire solet genu' pennis condecoratum, Non animam, et post inde venit divinitu' pullis Ipsa anima*, apud Varronem de lingua Latina V p. 64.

120. Etsi praeterea tamen esse acherusia templa Ennius aeternis exponit versibus edens, Quo neque permaneant animae. *Praetereat* quadratus, schedae, corrector oblongi. deinde *edens* omnes; quod tamen nullum pondus addit sententiae: sed vinculo opus est, quo iungantur haec cum superioribus, *Ennius ut noster cecinit* —— *; Etsi praeterea tamen* —— *Ennius aeternis exponit versibus* idem. hoc pronomen *eidem* scriptum est in Florentino codice Varronis de lingua Latina X p. 550, 2, item in Florentino epistularum Ciceronis XIII, 1, 3, in Florentino epistularum ad Atticum I, 11, 1 et 14, 1 5, eamque scribendi rationem Cornelio Nepoti nuper vindicavit C. Nipperdeius in Spicilegio p. 49. ex hoc usu natus error quo in lege de Termesibus facta 2, 20 haec sunt, *eaedem leges eidemque ious eademque consuetudo*. postremo *Quo neque permaneant* membranae, Antonius Marii, Brixiensis editio: *permanent* Veronensis cum Veneta, Marullus, Avantius. hoc igitur vereor ne casu natum sit et quadam elegantiae specie Marullum ceterosque induxerit. et satis recte *permanere illo* dicuntur animae, ut de animo Ovidius in artis II, 120 *Solus ad extremos permanet ille rogos*. in decreto Tergestinorum II, 26 *uti ad posteros nostros tam voluntas amplissimi viri quam facta permaneant*. Cicero de natura deorum I, 105 *speciem dei percipi cogitatione, non sensu, nec esse in ea ullam soliditatem, neque eam ad numerum permanere*. item in II, 85 *perdiuturna, permanens ad longincum et immensum paene tempus*. Varro rerum rusticarum II, 4, 8 *verris octo mensum incipit salire, permanet,*

Digitized by Google

ut id recte facere possit, *ad trimum*. eum versum qui hos sequitur, *Sed quaedam simulacra*, cum Vergiliano componit Macrobius in Saturnaliorum VI, 1: non habent eum quadratus et schedae. e proximis Donatus ad Andriam I, 2, 4 *semper florentis Homeri*.

125. LACRIMAS EFFUNDERE SALSAS COEPISSET. *Coepisse* ET corrector quadrati et Antonius Marii. *et fundere* quadratus; quod male probavit Lambinus. *lacrumas* vero et *ecfundere* libri nostri non exhibent: horum autem scribendi rationem reddere satis habeo, nisi quod *ae* et *e* paulo rectius scribo praeter quam in minus certis, velut *erumna teter septa meror mestus presto gleba scena penuria fecula*, quae in consensu membranarum non repudio, quamvis Lucretium ea omnia per diphthongon protulisse credam. omnino autem ita sentio, et posse et debere nos in plerisque uti orthographia saeculi quarti, neque nobis recentiora admittere licere: sed summam constantiam in dicendo scribendove quaerere animi illiberalis est. me quidem Hertzbergius studere dicit ut libri mei saeculum tertium decimum referre videantur, in Philologo Schneidewini II p. 589: sed in tota illa pagina quaecumque scripsit non capio, velut cum fabulas Aviani saeculo quinto *tutius* adscribi dicit quam secundo.

130. TUNC CUM PRIMIS. *Tunc* ante consonantem contra poëtarum antiquiorum usum uterque codex praeter hunc locum bis, in III, 710 *tunc periit*, in VI, 250 *tunc per*; quadratus solus *Tunc porro* I, 426 et *Tunc vigilare* IV, 455. in Germanici prognosticis 1, 4 recte libri *Fulmina tum crebro iaculatur Iuppiter, et tunc Intonat emissis violentior ignibus aether*; quorum certe prius impune mutari non potest, quod tamen fecit Orellius. sed in hoc versu Antonius Marii maiorem linguae Latinae peritiam exhibuit quam Wakefieldus Eichstadius Forbiger: scripsit enim ille ideo TUM, quia praecessit *cum*. nequis tamen nullo tempore has particulas quae sunt *cum* et *tunc* in enumerando coniunctas esse putet, non modo librarii in Caesaris de bello Gallico VI, 32, 5 scripserunt *hunc cum reliquis rebus locum probarat, tunc quod superioris anni minitiones integrae manebant*, et in Nonii p. 435, 17 e Ciceronis de officiis I, 123 *luxuria vero cum omni aetati turpis tunc senectuti foedissima est*, sed etiam in Iuvenalis versu satirae IX 118 verissimi auctores tradiderunt haec, *Vivendum recte est cum*

Digitized by Google

propter plurima tunc est Idcirco, hoc est *tunc et Idcirco*, quod a Iuvenale scriptum esse sane probabile est.

134. CERNERE UTI VIDEAMUR. Hunc versum cum proximo Macrobius Saturnaliorum libro VI, 1 e libro primo Lucretii protulit cum Vergiliano collatum.

141. QUEMVIS EFFERRE LABOREM. *Efferre laborem* qui dixerit neminem novi, nisi quem Turnebus iam advocavit, in adversariis XIX, 15, Attium, cuius versu Cicero usus est in Sestiana 102, *si laborem summa cum cura efferas Nullum*. similiter tamen ipse Cicero in Tusculanarum disputationum libro IV, 62 e Graecis Euripidis, *Nec fors, nec ira caelitum invectum malum, Quod non natura humana patiendo ecferat*. sed hi, nisi fallor, id *efferri* dicunt quod susceptum amoliamur. quod Wakefieldus cum non intellegeret, utroque auctore sine iudicio usus improbavit *perferre*, quod ut aptissimum dederunt Antonius Marii, Venetus editor (Brixiensis enim et Veronensis *efferre* habent), Marullus. sed verissime Tanaquil Faber *quemvis* SUFFERRE *laborem* ex constanti usu Lucretii. hic igitur *s* littera cum bis scribenda esset, librarii peccarunt: e contrario mox 147 quadratus et in eodem versu, ubi est in VI, 40, oblongus *Non radiis solis;* quem versum Maximus Victorinus p. 1968 profert propter ipsum illud *i* in fine vocabuli non elisum, quod contra factum sit in Vergilii versu georg. I, 446, *Diversi rumpent radii aut ubi pallida surget*. sed ibi Lindemannus Maronis versum dimidiatum apposuisse satis habuit, grammatici verba ut intellegi possent nihil curans.

149. PRINCIPIUM CUIUS HINC NOBIS. Marullus *Principium hinc cuius*, Avantius *Cuius principium hinc*, neuter satis perite. Lucilius apud Nonium p. 320 et 366 *Cuius vultu ac facie, ludo ac sermonibu' nostris, Virginis hoc pretium atque hunc reddebamus honorem*. hoc ipsum *cuius* monosyllabum reddam Lucretio in libro IV, 1089. Cicero in Arateis, de natura deorum II, 109, *Atque eius ipse manet religatus corpore torto;* de quo versu egit Hauptius in observationibus criticis p. 46. eadem licentia veteres Itali dixerunt *Ecco Cin da Pistoia, Guitton dArezzo; Quanto di qua per un migliaio si conta;* quae mihi videntur ita protulisse, ut *i* littera inter ceteras magis sonantes delitesceret: nam *guaj* cum monosyllabum faciebant, dicebant e duabus *i* priore elisa *guai*, *Non*

Digitized by Google

suonan come guai, *ma son sospiri*. video tamen quosdam ita scribere per diphthongum, *Pistoi*, *gioi*, *noi*, *migliai*; quod cum certum sit eos codicum antiquorum auctoritate facere. his simile videri potest *cui' cui' modi* pro eo quod erat *cuiu' cuiu' modi*, eidemque rationi convenient *cuis eis huis* monosyllaba. *huius* et *eius* disyllaba priore correpta attingam ad librum III, 374, quae sonant aut *hous ĕus* illa priore ratione, aut *huĭs eĭs*, quem admodum Italos video dixisse *gioĭ*, *Non mente a quelli che son suoi*, *Anzi li dona gioi* (*Poesie italiane inedite raccolte da Francesco Trucchi*, *Prato* 1846, vol. I p. 35).

158. PERSPICIEMUS, UT UNDE QUEAT. Egregia emendatione Marullus in hoc versu scripsit ET *unde*, idemque versum 155 huic subiunxit. hunc post Pium omnes secuti sunt, laudavit nemo.

159. NAM SI DE NILO FIERENT —— 160. NIHIL SEMINE EGERET. In his versibus, quos Lactantius de ira dei 10, 16 poëtae obicit, oblongus *de nihilo* et *nihil*, quadratus *de nilo* et *ni nil* (sic in V, 871 *ni* vel *in* pro *nil*): de schedis hoc tantum notatum est, in versu altero esse *ninihil*. in versu huius libri 185 uterque Vossianus *si e nilo*, in VI, 679 uterque *Nil*. quadratus *nilo* I, 180 266 II, 287; quibus locis oblongus habet *nihilo*, atque hoc modo *nihil nihilo nihilum* ceteris, praeter eos quos dixi, omnibus uterque. de his vocabulis primum hoc dicere possum, abstinuisse eis in ea quae ad nos pervenit carminum parte Ciceronem, Gratium, scriptorem Culicis, Columellam. deinde inter omnes poëtas unum novi qui monosyllabon ignorare videatur, Manilium, qui terdeciens dixerit ad hunc modum, *Deficiat nihil et*, semel ita, *Est aequale nihil terrenos*, in IV, 416. Iliados interpres utrum bibreve voluerit an monosyllabon non constat, cum scripserit semel 262, nec saepius, *nihil adiuvat*. monosyllabon ceterorum nullus repudiavit, eoque uno Germanicum usum esse certum est, phaen. 665 681, progn. 2, 55, itaque semel qui Moretum scripsit 64, semel qui Diras 66, neque ulla causa est cur Lucilium Lucretium Persium disyllabon probasse dicamus. cum his facit Ciris 261 404 234 338, et Priapeorum poëtae 3 32 70 34, Tibullo excepto, qui binis syllabis pronuntiavit in 83, 15 et 35. e duabus alteram syllabam, ad similitudinem *hili*, Plautus et Ovidius produxerunt. alter in Poenulo III, 2, 10 *Quám sunt hi*, *qui si nihil est*

Digitized by Google

litium, *litès emunt*, et in Rudente IV, 4, 9 *Haut pudet. nihil ago tecum: érgo abi hinc sis. qudeso, respondé senex*. Ovidius in tristium V, 14, 41 et ex Ponto libro III, 1, 113 *Morte nihil opus est*, in metamorphoseon VII, 644 *In superis opis esse nihil. at in aedibus ingens*. eundem in X, 520 scripsisse suspicor *Estque nihil annis velocius*: a correctoribus venit illud *Et nihil est*, quod Ovidii more pronuntiatum nimis tardos efficit numeros, *Et nil est annis velocius*. eandem syllabam manifesto corripiunt Catullus, Horatius, Tibullus, Propertius, is qui scripsit epistulam Herus (170), Seneca, Martialis, Silius semel in XVII, 188. idem Silius disyllabo semel ante consonantem usus est, *Bella nihil vitae*, XV, 465, ceteri quos disyllabon habere dixi (Manilio excepto) vel saepius: multi in disyllabo hanc ambiguam rationem secuti sunt solam, Terentius comicus, Varro in versibus, Vergilius, isque bis tantum (ecl. 2, 6 Aen. II, 287), Phaedrus, Lucanus, Calpurnius semel, Valerius Flaccus bis (VI, 488 VII, 388), Statius, Iuvenalis. *nihilo* tribus syllabis Catullum (28, 12 61, 197) extulisse constat: disyllabon fecit idem Catullus (97, 3) cum Lucretio, Horatio, Priapeo carmine 53: de ceteris, quantum scio, propter metrorum ambiguitatem nihil adfirmari potest. Lucretio tamen, quia *nihil* disyllabum, ut dixi, non habet, *nihum* et *nilo* sola probata fuisse existimo.

168. CONSISTERE DERTA. Sic oblongus: idem a correctore CERTA. quadratus *terta*.

176. SUO QUI TEMPORE. Itali QUIA.

177. QUOD CUMQUE ORCATU. Quadratus et schedae *ora cantu*, corrector oblongi CREATUR.

186. EX INFANTIBUS PARVIS. His grammatici omnes pro exemplo utuntur, Maximus Victorinus p. 1963, Claudius Sacerdos p. 26, Diomedes (post Sacerdotem, cuius nomen in exemplo ponit p. 303) p. 424 tribuens Lucillio, Probus p. 1438, Pompeius (qui se Maurum dicit p. 246) p. 30. sed hi omnes uno ore testantur poëtam *s* litteram scripsisse: scribit *infantibu* Probus: *sic enim*, inquit, *versus scandi potest*; quem admodum Cicero in oratore 161 *ita enim* inquit *loquebamur*, *qui est omnibu princeps*; *non omnibus princeps*, *et vita illa dignu locoque*, *non dignus*. in Lucretii carminibus breviore scriptura nemo usus est ante Lambinum, neque eam vetera exemplaria saepius quam bis conservarunt et quidem

Digitized by Google

cum vitio coniunctam, in v, 627 *cum posterioribus ignis*, vocabulis male distinctis, et in vi, 1138 *morborum et mortiferae* pro *morti' ferai*, multis tamen indiciis cognosci potest hanc scribendi rationem olim multo magis in usu fuisse. neque eius rei nulla sunt in nostris aliorum scriptorum exemplaribus vestigia. apud Ciceronem de finibus ii, 24 libri omnes rectissime in Lucilii versibus *O lapathe, ut iactare, nec es satis cognitu' qui sis!* apud eundem in versu Ennii, de divinatione i, 66, *Aut ubi illa paulo ante sapiens virginali' modestia?* apud Festum p. 290, 11 Mülleri ex Lucilio *si suggeri' suppus*, et p. 343, 21 ex Ennio *Pandite suetigenias*, apud Paulum p. 70 *sulpigenas*, hoc est *sulti' genas*. atque eo modo, ubi ne versus quidem mensuram valde adiuvat, Nonius p. 346, 18 ex Accio *Aequisoni*, hoc est *Aquiloni'*, *stridor gelidas molitur nives*. neque id mirum, cum in oratione prosa Quintilianus institutionum ix, 4, 38 Messalla, ut videtur, teste referat idem Servium Sulpicium asperitatis vitandae causa observasse; qui scripsit, nisi fallor, sic, *quae fuit causa et Servio, ut dixit, subtrahendae s litterae:* nam quod libri habent, *ut dixi*, ferri non posse constat. atque in ipso Varronis de lingua Latina librorum fine Florentinus codex *non enim opufuit ut in servis*, et ex eiusdem Parmenone Nonius p. 86, 16 *alius caballum arbori' ramo in humili adligatum relinquit*. eodem pertinent *tale qualest similest simile's*, pro *talis, qualis est, similis est* et *es*, a Nonio e comicis veteribus consignata p. 227, 14 198, 31 224, 23. sed in versibus saepe utilissimum est veram pronuntiandi rationem scribendo exprimere. itaque qui sciet Varronem in choliambis severam Graecorum legem secutum esse, eum versum quem Nonius 86, 24 e Sexagessis satira protulit hoc modo scribendum ducet, *Sensibus* (libri *Senibus*) *crassis homulli non videmu' quid fiat*. neque is qui de disciplinis ea scripsit quae Censorini libello adhaerent p. 96, 1 Sotadeum, qui potest Ennii esse, vitium in tertia syllaba habere dixisset, si *s* tollendum vidisset, *Ille ictu' retro reccidit in natem supinus*. Lucilius fortasse solus Graeca vocabula *s* littera truncare ausus est. *Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis*, in Ciceronis de oratore iii, 171. *Hic ut muscipulae tentae atque ut scorpio' cauda Sublata*, apud Nonium p. 181 266 385.

188. OMNIA QUANDO PAULATIM CRESCUNT, UT PAR EST, SEMINE CERTO, CRESCENTESQUE GENUS SERVANT.

Digitized by Google

In his illa, *ut par est*, non sunt suo loco posita: neque enim id sonant quod dicit Creechius, *ut ipsa postulat natura rerum*, sed ea paulatim crescere par est quae certo semine creantur. hoc Marullus non animadvertit, sed idem vidit *Crescentes*, quod Creechius et Wakefieldus, magni soloecismorum patroni, tuentur, ferri non posse; quare scripsit *Crescendoque*. nos utrumque vitium eadem opera corrigemus scribendo *omnia quando Paulatim crescunt, ut par est semine certo* CRESCERE, RES*que genus servant*.

191. QUICQUE SUA DE MATERIA. *Quidque* apud Nonium p. 115, 8: corrector oblongi, Itali, olim impressi, *Quaeque*. *materia* Nonius, oblongus, Itali, impressi: *materiae* quadratus, schedae *materie;* quorum utrum verius sit dicere non possum, praesertim cum poëta praeter hunc versum ablativo casu non utatur.

207. POSSENT PROFERRIER. Apud Lactantium, qui hos versus exhibet de ira capitulo 10, 16, POSSINT, itaque Marullus.

215. UTI QUICQUID IN SUA CORPORA. Quadratus et schedae *quidquid*. Itali *quaeque:* recte Lambinus QUICQUE.

217. MORTALE CUNCTIS PARTIBUS. Italii et impressi E *cunctis*.

222. DIVERVERET. Sic membranae et hic et in II, 152 VI, 1027, item *verva* II, 690, *acervas* V, 1195, *Cerverus* III, 1011, *superva* V, 1137, *superve* (codex quadratus *superbe*, supra versum addito *v*) V, 1224, *morvida* VI, 955 1092 1097, *arvita* V, 941 965, *valve* V, 1022, *vellum* IV, 968 V, 1245 1289, *vonitate* V, 1247, *vene* III, 1071 IV, 572 1129 V, 82, *av* II, 99, *aveant* I, 1108, *lavier* IV, 445, *lavitur* V, 718, *civo* (quadratus *civa*) I, 1038, *livera* V, 79, *novilitate* II, 11. liber oblongus VI, 1097 *perturvarunt*, IV, 288 *av*, 1234 *avsterrent*, V, 1290 *serevant*, VI, 238 *movilior*, V, 858 *movilitas*. quadratus IV, 661 *acerva*, I, 1113 *davit*, II, 875 *pavula*, V, 930 *civi*, IV, 617 *civum*, II, 897 *glaevis*. ut taedium hoc indiculo contractum leniatur, addam in Ciceronis de oratore II, 91, ubi est *vitiosum*, *ambitiosum* scribendum esse, hoc modo, *Nihil est facilius quam amictum imitari alicuius aut statum aut motum: si vero etiam vitiosi aliquid est, id sumere et in eo ambitiosum esse non magnum est;* item in eodem loco *probavit* esse pro futuro, *Qui autem ita faciet ut oportet, primum*

Digitized by Google

vigilet necesse est in deligendo, deinde quem probabit, in eo quae maxime excellent, ea diligentissime persequatur.

227. UNDE ANIMALE GENUS. Disputat hoc Charisius p. 46 et 93.

230. UNDE MARE, INGENUEI FONTES, EXTERNAQUE LONGE FLUMINA SUPPEDITANT? Neque *externa* flumina hic locum habere possunt, neque *longe externa* quae dicantur scio, et multo minus quomodo *longe suppeditent*. Wakefieldus ex codice nescio quo musei Britannici *aeternaque longe*, quod nihilo magis explicari potest. mihi poëta videtur scripsisse EXTENTA*que longe Flumina*, in longitudinem extenta, quae *longa* dicuntur Ovidio in metamorphoseon XIV, 339.

240. INTER SE NEXUS MINUS AUT MAGIS INDUPEDITA. Rectissime Marullus NEXU; quem secutus Wakefieldus pessime interpretatur: non enim res, sed ipsa materies inter se nexu impedita esse dicitur.

257. HINC FESSAE PECUDES PINGUIS. Sic Vossiani, Antonius Marii, Brixiensis editio, *pinguis:* in schedis vocabulum omissum esse perhibetur, et recentiore manu super scriptum *pingues*. ad Vergilii versum in georgicon III, 124, ubi est *denso distendere pingui*, Iunius Philargyrius *Pingui* inquit *absolute posuit, ut est illud Lucretianum, Hic fessae pecudes* PINGUI. in proximis de *artubus* quid Scaurus protulerit dicam ad librum V, 1077.

263. QUANDO ALIT EX ALLO REFICIT. Corrector oblongi *ex alo*, quadratus praepositione omissa *alo*. Itali *ex* ALIO.

264. NISI MORTE ADLUTA ALIENA. Corrector oblongi ADIUTA.

269. QUAE CORPORA. *Quae* oblongus et Priscianus p. 947, corrector oblongi *quod*, quadratus et schedae omittunt.

271. VENTI VIS VERBERAT INCITA CORTUS. Corrector oblongi *tortus*, quadrati *corpus*, Antonius Marii *portus*, Marullus *pontum*. mihi dubium non videtur quin legendum sit CAUTES.

275. ITA PERFURIT ACRI CUM FREMITU SAEVITQUE MINACI MURMURE PONTUS. At ea quae ante haec dicta sunt, ut sternantur arbores et vexentur montes, *pontus* non

Digitized by Google

efficit, sed VENTUS. hoc Marullum non vidisse miror, Wakefieldus ab amico sibi oblatum sprevit: Forbiger, quod absurda tam fortiter concoquere possit, laudari se postulat. Creechius probat commentum Fabri, quo fecit *minaci murmure côrtus*, contractione mihi non nota.

281. ET CUM MOLLIS AQUE FERTUR NATURA REPENTE FLUMINE ABUNDANTI, QUEM LARGIS IMBRIBUS AUGET. *Quem* 'exquisitioris elegantiae' videtur Wakefieldo. Marullus *quod:* sed poterat lenius QUAM.

286. TURBIBUS. Sic oblongus: quadratus et schedae *turbio*. corrector oblongi TURBIDUS, itaque Antonius Florentinus et impressi.

288. VOLVITQUE SUB UNDIS GRANDIA SAXA, RUIT QUA QUIDQUID FLUCTIBUS OBSTAT. *Qua* prima manus in oblongo omisit, puto quia minus clare scriptum erat in archetypo. erat autem scribendum *ruit* Q. ITA *quidquid fluctibus obstat*. Wakefieldo et Germanis grammaticis satis proprium videtur *qua quicquam*, quod habent Brixiensis, Venetus, Marullus.

291. QUAE —— 294. CORRIPIUNT RAPIDIQUE ROTANTI TURBINE PORTANT. Scilicet *venti flamina* res omnes *corripiunt rapidique portant:* et tamen haec Wakefieldo concinna et suavia videntur. Marullus cum non satis attendisset, fecit *rapidoque rotantes:* inde Lambinus primum *rapidoque rotantia*, postea *rapidoque rotanti*. quadratus prima manu *rapidisque*. aptissimum est RAPIDE*que rotanti turbine portant*. quae media sunt inter hos versus, eorum partem protulit scholiastes Statii ad Thebaidos VII, 585. omne huius loci argumentum Servius indicat ad georgicon IV, 219.

304. TANGERE ENIM ET TANGI. Hoc versu usi sunt Seneca in epistula 106, Gellius Atticarum noctium V, 15, Tertullianus de anima 5, Nonius p. 408, 21. horum unus Gellius scripsit *aut tangi*, sed cum paulo ante Graeca haec exhibuisset, τὸ ἁρῶμενον ἢ πάσχον σῶμά ἐστιν. quare nihil erat cur ei maiorem quam ceteris fidem haberet Wakefieldus. versus proximos habet Nonius p. 175, 6, ubi scriptum est *eaedem candenti sole;* quod fortasse verius est altero. vide quae dico ad III, 988 et ad VI, 126.

313. STILICIDII CASUS LAPIDEM CAVAT. Regula est post longam vocalem e duabus *l* alteram subtrahi, si sequatur

Digitized by Google

i littera, nisi ea casualis sit; ut *Messalla*, *Messalina; mille*, *milleni*, *milli*, *milia*, *miliens; villa*, *villaticus*, *villula*, *villis*, *vilicus; stilla* (nam in *stiria i* productum apparet), *stillare*, *stillis*, *stilicidium*. *stelio* si recte scribitur in Mediceo Vergilii georgicon IV, 243 et in Neapolitano Festi p. 313, 13 Mülleri, ab eadem *stilla* originem ducit, quem admodum Varro rusticos *vellam* non *villam* dixisse tradit in rerum rusticarum I, 2, 14: itaque et Verrius Flaccus censuisse putatur, nec improbabile est Ovidium in metamorphoseon V, 461 edidisse *variis stillatus corpora guttis*, non *stellatus*. non raro tamen in huius generis vocabulis peccatum est. *Paullum* scripserunt veteres, quod postea in *Pollae* nomine diligentius servatum est: *Pollio*, quod vitiosum est, in fastis Capitolinis esse fertur, *Polionem* Graeci prope magis frequentant quam Latini, quamquam in Vergilianis codicibus utrumque fuisse testatur Servius ad eclogam III, 86, et magistrum suum *Polionem* appellat Marcus Caesar ad Frontonem p. 12 et 58, itaque exemplaria Martialis III, 20, 18 IV, 61, 9, Pithoeanum Iuvenalis VII, 176, Bambergense Plinii XXXV §. 10. in *Paulinae* nomine minus saepe peccatum est. *paullisper* hodie sine veterum librorum auctoritate faciunt suo periculo antiquarii; qui inepti habendi sunt, donec demonstraverint in huius modi vocabulis ablativos inesse, *quantis*, *aliquantis*, *paullis*, *pauxillis*, *tantis*. *nullificare* ore non satis Latino dixerunt Afri, *nullibi* est in glossariis Labbaei. *nitela* pro *nitella* non bene apud Plinium in naturalis historiae VIII, 57, 82, de quo dicam ad librum III, 1015, sed rectissime *nitelinus* in XVI, 37, 69. in Digestis Florentinis semper scriptum est *stillicidium;* quare gratia habenda est librario codicis oblongi, qui in hoc vocabulo veram scribendi rationem servavit solus, nisi quod Brixiensis quoque editio *Stilicidiique* habere fertur. ex eodem vocabulo primus, ut puto, Marullus *i* paenultimum sustulit sic, *Stillicidi*. in VI, 1226 codex uterque *remedii*, in eodem 434 *brachii*, *Apsinthii* et *Absinthii* in IV, 16, quadratus in VI, 1074 *conchylii*. schedae in subscriptione libri I II VI TITI LUCRETI, oblongus et Antonius Marii in quinque prioribus TITI LUCRETII, in sexto TITI LUCRETI: in summis paginis oblongus LUCRETII LIB. II, sic III, IIII, V, sed LUCRETI LIB. VI. Veneta editio ubique *T. Lucreti Cari*. ceterum Lucretii verba Seneca posuit in naturalium quaestionum IV, 3.

Digitized by Google

313. UNCUS ARATRI FERREUS OCCULTE DECRESCIT VOMER IN ARVIS. His utitur Isidorus in originum xv, 14. quinque ultima vocabula habet Servius ad georgicon I, 81. quattuor ultima grammaticus in libello de [illegible] ab Hauptio edito p. 103, 21, versum ab his proximum Isidorus originum xv, 16, 6. in his Servius et Isidorus *occulto in arvis*. grammaticus ille *in arvis*. sed Isidorus in xx Lucretii verbis haec subicit, *sumitque* (sive *sumpsitque*) *per detrimenta fulgorem*, eaque totidem verbis ab Hrabano Mauro descripta esse nuper indicavit Hugo Purmannus in Schneidewini Philologo p. 74 tomi tertii. in Isidoro olim vulgo fere bat *nitorem*; unde exorsi duo homines doctissimi nescio quia. bidine versus procuderunt, alter foedissimum, *Sumitque semper per per detrimenta nitorem*, alter Vergilio male usus parum elegantem, *Sumitque attritus per detrimenta nitorem*. equidem Seminaque floresque ingenii Lucretiani, ubi quid ex opere exciderit, recipere si possim, mihi sane gratulor. sed Lappaeque tribolique absint: nam iste nitor vomeris hic frustra emicat, cum poëta non describat splendentia, sed quae minuantur attritu.

321. PRAECLUSET SPECIEM NATURA VIDENDI. Corrector oblongi PRAECLUSIT. sed *speciem videndi* in illam esse neque esse posse Bentleius et Wakefieldus intellexerunt, nisi quod a vera emendandi ratione ideo aberrarunt, quod huic poëtae simplicissima quaeque et rei accommodatissima unice convenire non satis perspexerant. itaque in [illegible] nihil aliud inesse potuit, nisi naturam nobis videndi *facultatem* non tribuisse: sed poëta, cum *praecludendi* vocabulo uteretur, debuit magis proprie sic dicere, *Invida praeclusit* SPATIUM *natura videndi*.

326. NEC, MAREQ. INPENDENT, VESCO SALSA PERESA. *Vesco* abest quadrato et schedis; propter quod vocabulum ipsum haec commemorant Gellius in xvi, 5, Paulus e Festo libro xix p. 158 Lindem., Philargyrius ad georgicon iii, 174. iisdem Donatum usum esse ad Phormionem i, 4, 2 demonstrabo ad librum vi, 489.

334. QUA PROPTER LOCUS EST INTACTUS INANE VACANSQUE. Qua propter? quaeso. ni mirum quia id cognosse utile est: aut certe quia extat inane, ideo id inane locus intactus est. neque enim quicquam praecessit [illegible]

Digitized by Google

definitio vera esse intellegatur, neque *qua propter* ita ut *igitur* in simplici orationis progressu dicitur. sed ne ipsa quidem definitio aut necessaria est aut recta: nam *inane vacansque* ipsum *intactile est* I, 437 aut *intactum manet* V, 358 aut vocari potest *locus ac spatium* I, 426 955 1074, *spatium vacuum inane* 523 527, non *locus intactus*. Epicurus apud Diogenem in X, 40 ὃ κενὸν καὶ χώραν καὶ ἀναφῆ φύσιν ὀνομάζομεν, § 86 ὅτι τὸ πᾶν σῶμα καὶ ἀναφὲς φύσις ἐστίν. Sextus empiricus p. 476, 15 κατὰ τὸν Ἐπίκουρον τῆς ἀναφοῦς καλουμένης φύσεως τὸ μέν τι ὀνομάζεται κενόν, τὸ δὲ τόπος, τὸ δὲ χώρα, ἐπείπερ ἡ αὐτὴ φύσις ἔρημος μὲν καθεστηκυῖα παντὸς σώματος κενὸν προσαγορεύεται, καταλαμβανομένη δὲ ὑπὸ σώματος τόπος καλεῖται, χωρούντων δὲ δι' αὐτῆς σωμάτων χώρα γίνεται. κοινῶς μέντοι φύσις ἀναφὲς εἴρηται παρὰ τῷ Ἐπικούρῳ διὰ τὸ ἐστερῆσθαι τῆς κατὰ ἀντίβασιν ἁφῆς. itaque hunc versum, qui in oblongo totus a correctore in litura scriptus est, Bentleius et Wakefieldus merito reiciendum iudicarunt.

347. ESSE LICERET RARO. Itali et impressi LICET.

349. UBERIBUS FIENT OMNIA GUTTIS. Italii et Brixiensis FLENT.

352. AB RADICIMUS IMIS. Ita quadratus et schedae: oblongus in litura *bus imis* a correctore, qui RADICIBUS scribendum animadvertisse videtur primus.

356. QUA POSSENT CORPORA QUAEQUE TRANSIRE HAUD ULLA VALERENT RATIONE VIDERES. Ita quadratus et schedae: oblongus in litura *fieri ratione videres*, non ab eo correctore qui pleraque emendavit, sed ab eo quem littera Saxonica usum dixi. hunc quia tam audacem non novi, suspicor in archetypo ipso ad *valerent* adscriptum fuisse FIERI, quod ipsum Itali et impressi recte secuti sunt.

360. NAM SI TANTUNDEMST IN LANE GLOMERE QUANTUM CORPORIS IN PLUMBO EST. Primam in *glomere* syllabam a Lucretio 'arsis vi' productam scribit in Venusinis lectionibus Weichertus p. 108; cuius modi doctrinae nulla ad me pervenit notitia: hoc scio, in versu Ciceronis de divinatione I, 106, ubi est *Subigit*, scribendum esse *Hic Iovis altisoni subito pinnata satelles, Arboris e trunco serpentis saucia morsu, Subrigit, ipsa feris transfigens unguibus, anguem*. sic de

Digitized by Google

aquila Valerius Flaccus in 1, 157 *validis fixam erigit unguibus agnam*. hic autem, ubi de *glomere* agitur, cum *glomerata* et *glomeramina* et *conglomerari* non modo hic poëta dixerit, sed eadem mensura olim Ennius *Eheu* (*eu* exemplaria Nonii p. 90) *mea fortuna, ut omnia in me conglomeras mala*, sane improbabile videtur in nomine simplici diversam pronuntiationem obtinuisse, praesertim cum apud Horatium sit *Ut vinosa glomus*. est tamen fatendum illud vocabulum in suam mensuram redactum hic ceteris aptari non posse nisi hoc modo, *Nam si tantundemst* in plumbo corpori' *quantum* In lanae glomere *est, tantundem pendere par est;* quae etsi eo consilio, ut ne *corporis* nomen *s* littera antiquo more elisa dicendum esset, tam licenter immutari potuisse credibile est, nihilo minus constat in lingua Latina vulgaria quaedam vocabula vel nomina, et partim vetustate obscurata, habere mensuram aut ambiguam aut ab origine sua diversam. ita differunt inter se *pusus* et *pusillus*, *offa* et *ofella*, *mamma* et *mamilla*, *scribere* et *conscribillent*. a *mutone* et *moetino* sunt *u* correpta *mutoniati*. *pumilos u* brevi et *pumilones* eadem longa dixisse creditur Statius: *pumilionem* producte Lucretius et Martialis. *gallinaceum* producte Plautus, Lucilius, Titinius Charisii p. 192, Phaedrus, sic *mustacea* Iuvenalis et Statius silv. 1, 6, 19: contra *merdacea* correpte in Priapeo 69, 8. Varro de lingua Latina IX p. 533 *in lege venditionis fundi* inquit *ruta caesa ita dicimus ut u producamus:* sed iidem *eruta* aliter dicebant, itemque *rutrum* et *rutellum u* correpto Pomponius et Lucilius apud Nonium p. 18. Ovidius in V fastorum 421 *Ritus erit veteris nocturna Lemuria sacri*, et ibidem 483 *Mox etiam lemures animas dixere silentum*. *Sabum* producte Silius Italicus VIII, 424, a quo *Sabinos* appellatos dicit. *Mamurram* prima brevi Catullus, eadem longa Horatius. Propertius *Luceresque coloni*, Ovidius *Luceribusque dedit*. horum alter *At tibi Mamuri*, alter *Praemia persolvunt Mamuriumque vocant*. Vergilius *Catillusque acerque Coras*, quem sequitur Silius, Horatius *Circa mite solum Tiburis et moenia Catili*, Statius ad Horatianum illud alludens *dictumque lyra maiore Catillum*. Ovidius fastorum VI, 139 *Est illis strigibus nomen*, itaque alii, sed Plautus in Pseudulo III, 2, 31 *Non condimentis condiunt, sed strigibus:* neque enim *stringem* Charisius videtur scripsisse p. 84, sed librarius. canis *vertragus acer* Martiali XIV, 200: Gratius 203 *ver-*

Digitized by Google

tràham delige. *coturnices* prima longa Plautus et Lucretius: *Ecce coturnices* Ovidius, item Iuvenalis. *vietum* media longa Terentius, Lucretius, Prudentius: unus inter omnes Horatius *Qui sudor vietis*. *rudere*, quod est asinorum, Persius produxit solus, ceteri corripiunt. ita *vacillare* saepe prima correpta Lucretius, idem semel in III, 504 *Tum quasi vaccillans:* sic ibi membranae, et apud Nonium p. 34, 23 27 *vaccillare* et *vaccillante;* quod si, ut videtur, a *vacca* factum est, in hoc, ut in *Catillo* sive *Cattillo* et *Catilo*, item in *ofella* et *mamilla*, consonantes variant, in ceteris vocales. similiter *Tintinant aures* Catullus, *tintinnabulum* de gallis agyrtis Lucilius apud Nonium p. 490, 24 et Iuvenalis *tintinnabula*, *tinire* Terentianus Maurus 232, ceteri *tinnire*, *Porsenna* apud Vergilium Aeneidos VIII, 646, si Servio et Mediceis membranis fides est, qui media brevi *Porsena* Horatio Silio Martiali. nomina propria locorum non attingam, in quae quantum vulgi mobilitati licuerit nemo ignorat. hoc tantum dico, in ipsa urbe de locis nobilissimis dubitatum esse. Lucilius apud Nonium p. 462, 28 *Calvu' Palatina quidam*, *vir non* (libri *vir nobilis*) *bonu' bello*, neque aliter usquam Vergilius, Horatius, Tibullus, Propertius, Ovidius, Lucanus, Calpurnius, Petronius: Quid placet aut odio est, quod non mutabile credas? Mutavit mentem populus levis, et dixerunt *Palatia* modo correpte modo producte Statius, Silius, Martialis, Iuvenalis. atque eadem mutatio factà est in monte *Vaticano*, cuius nominis secundam syllabam Horatius corripuit, non, ut inepte dicit Orellius, quod id a *vaticiniis* repeteret, sed quia vulgo ita dicebant: postea Martialis et Iuvenalis eandem syllabam extenderunt. sed de *Apulia* et *Apulis* numquam dubitatum est quin prima syllaba producenda esset, itaque Lucilius apud Festum p. 313, 11 in hexametro *Apuliden pedibus stlembum*. quare indocte provocant ad ambiguitatem propriorum qui in Horatii carminum III, 4 tuentur versum foedissime interpolatum hunc, *Altricis extra limen Apuliae*. porro nemo umquam *Apulicum* pro *Apulo* dixit, quod perturbare versiculi numeros in eodem Horatii libro 24, 4 docti, quantum scio, ne animadverterunt quidem, *Tyrrhenum omne tuis et mare Apulicum*. ubi id exemplar vetus cuius summa est inter omnia auctoritas, cum aliis satis multis, habet *mare publicum*. idque verissimum est. dicit enim Marcianus l. 2 et 4 pr. D.

Digitized by Google

de divis. rer. I, 8, ubi eas res quae publicae sunt pertractat, *Naturali iure omnium communia sunt illa, aër, aqua profluens, et mare, et per hoc litora maris. nemo igitur ad litus maris accedere prohibetur piscandi causa; dum tamen villis et aedificiis et monumentis abstineatur, quia non sunt iuris gentium sicut mare.* Horatius autem sic sentit, mare debere ita ut sit manere neque privatum fieri aedificationibus. itaque haec, nisi fallor, scripsisse censendus est, *Caementis licet occupes Terrenum omne tuis et mare publicum. terrenum omne* ut Livius XXIII, 19 *quidquid herbidi terreni extra murum erat*, et his paria alii. simillima sententia de aureo saeculo Germanicus 114 *Ignotique maris cursus, privataque tellus Grata satis;* ubi paulo post scribendum est *nec parvi terminus agri Praestabat dominis, sine eo* (libri *signo*) *tutissima, rura*. de Graecorum nominum quantitate ut in praesentia nihil dicam, nolo tamen reticere mihi eos pravo iudicio uti videri qui Ovidium existiment relegatione fractum scribere potuisse *visa Maeotis hiems* in tristium III, 12, 2; cui poëtae suum reddi potest hoc modo, *Frigora iam zephyri minuunt, annoque peracto Longior intepuit* (libri *antiquis*) *visa Tomitis hiems*.

366. AUT CONTRA. Marullus AT *contra*. sic saepissime hic poëta, in VI, 1095 *Et contra*, in eodem 929 *dilutaque contra*, non *Ut contra*, quod 'edidit ex ingenio suo' Wakefieldus. mox versu 367 quadratus et schedae *vacuim minus*.

372. NITENTIBUS ALUNT. Corrector oblongi et ceteri praeter veteres membranas AIUNT. sed idem corrector etiam alio modo et ineptissime *alvei*.

383. UNDE INITIUM PRIMUM. Corrector oblongi INITUM.

384. DE CONCURSO. Itali et Marullus CONCURSU. ita membranae in VI, 161 172.

386. INTER CORPORA QUOD FLAT. Itali et Marullus FIAT.

389. NAM PRIMUM QUISQ. NECESSEST OCCUPET ILLE LOCUM. Marullus *primum* QUENQUE.

395. POTEST CONDENSERIER AER. Corrector oblongi DENSERIER.

404. CANES UT MONTIVAGAE PERSAEPE FERARE. Corrector oblongi *ferarum: ferai* corrector quadrati, Antonius Marii, olim impressi, Marullus. rectius est FERAI, quia *montivagum ferarum genus* dicitur in II, 597 1081.

Digitized by Google

411. Hoc tibi deptano. Optime Antonius Marii de plano. in versu ante hunc proximo quadratus et schedae *paulum vere abscesseris ab re*.

412. e fontibus magnes. Ita oblongus: eius corrector magnis, itaque Antonius Marii et impressi. sed idem corrector praeterea *amnes*, quod habent quadratus et schedae.

414. Ut urear. Corrector oblongi *Ut* verear.

433. 434. Nam quod cumque erit, esse aliquid debebit id ipsum Augmine vel grandi vel parvo denique, dum sit. Creechius haec ita interpretatur, 'Quicquid enim est, quantitate aliqua, magna aut parva donatur,' quasi scriptum sit *aliquo augmine*. sed neque *augmen* quantitas est, neque tactus et intactile (haec enim secuntur) differunt inter se aut quantitate aut augmine. versus prior seorsum positus integram sententiam complectitur, *Nam quod cumque erit, esse aliquid debebit id ipsum;* scilicet ὡς τὰ καθ' ὅλας φύσεις λαμβανόμενα καὶ μὴ ὡς τὰ τούτων συμπτώματα ἢ συμβεβηκότα λεγόμενα, quae addit Epicurus apud Diogenem x, 40. hoc autem *aliquid* aut tactile est aut intactile; *Cui si tactus erit quamvis levis exiguusque, Augmine vel grandi vel parvo denique (dum sit) Corporis augebit numerum summamque sequetur*. ergo hoc ordine versus sunt collocandi.

438. per se transere. Corrector oblongi transire. potuit esse *transeire*.

442. Aut erit ut possunt. Itali et impressi *ut* possint. olim me stupidum et bardum dicebam, cum videbam Wakefieldo Eichstadio Forbigero probari *erit ut possunt*, neque ego id capere poteram: sed tum eos nondum cognoveram.

449. Nam quae cumque civent, aut his coniuncto duobus Rebus ea invenies. Corrector oblongi et Nonius p. 203, 32 cluent et coniuncta duabus.

451. quod nusquam sine permitiali. Corrector quadrati et Antonius Florentinus pernitiali; quod cum exemplarium impressorum auctores paulo rectius scriberent, non debebant simul facere *nunquam*.

452. seque greagari. Corrector oblongi *seque* gregari.

453. 454. pondus uti saxis, calor ignis, liquor aquae, Tactus corporibus cunctis, intactus

Digitized by Google

INANI. Quadratus, schedae, corrector oblongi, Marullus, AQUAI: Antonius Marii et olim impressi *aquarum*. deinde Marullus *saxi* et paulo rectius Wakefieldus SAXIST, quod ipse inepte scripsit *saxi est*. genetivo autem opus est, sive *aquarum* scribamus sive *aquai*: nam de dativis in *ai* disyllabon exeuntibus nugas narrant grammatici poëtarum usus ignari. his tamen imperitis is annumerandus est qui horum versuum alterum fecit: is enim, si elegantias Wakefieldi, ut par est, reicimus, non procedit, nisi in priore dativi sint *saxis igni aquai*. quamquam iste huius versiculi parens, fetum suum proiecisse contentus, ne emendasse quidem priorem ad mentem suam videtur, aut certe in *igni* ei non paruerunt librarii. nos vero hunc lectorem importunum iam novimus, qui cum supra 334 Lucretio in definiendo inani *locum intactum* largitus esset, eandem rem hic iterum inculcavit; in quo simul ostendit se aut peregrinum esse aut parum percepisse linguae Latinae ingenium. nam *intactus* recto casu, ut pro substantivo sit, Latine dici non potest, quoniam huius modi participalia cum *in* negativo coniuncta non nisi unum casum recipiunt, *iniussu*, *incultu*, *inconsultu*, *invocatu*. horum postremo Fronto usus est p. 172 edit. Rom., cuius verba subieci, ut emendata legerentur. *An cum labore quidem et studio investigare verba elegantia prohibes, eadem vero si ultro si iniussu atque invocatu meo venerint, ut Menelaum ad epulas, interim quidem recipi iubes?* scripsi enim *interim quidem*, hoc est tantisper, ubi in codice fertur esse *venerint quidem*. ab iis monoptotis quae dixi non valde differunt haec, *inmerito*, *indebito*, *inaugurato*, *inauspicato*, *intestato*, *insperato*, *inopinato*, *inconsulto*, *inproviso*, *inexplorato*, *inpraepedito*. in illo priore tamen genere Livium dixisse volunt in XLII, 12, 7 *per incultum*, quo loco aptissimum est *per indultum ac neglegentiam*: recto casu interpolator noster philosophus usus est solus.

455. PAUPERTAS DIVIAEQUE. Corrector oblongi DIVITIAEQUE.

458. EVENTO VOCARE. Idem EVENTA. locum proximum, qui est de tempore, significat Servius ad Aeneidos III, 587 et VII, 37.

467. EVENTA FUERIT. Hoc ex FUERUNT, UNT litteris angustius contractis scripto, facile nasci potuit, et *fuerunt* in schedis esse Gudius Henrichseniusque testantur. ita hic

Digitized by Google

corrector oblongi, itaque membranae nostrae in IV, 150 *fuerunt*. eaedem *fuere* I, 234, *dedere* 737 (*debere* V, 1110), *dissiluere* I, 391, *procubuere* 291, *interiere* III, 937, porro *minuerunt* V, 415 *voluerunt* 1347, oblongus ambigue *vener* I, 1077. his siqua subest regula, mihi certe non apparuit.

469. NAMQUE ALIUT TERRIS, ALIUT REGIONIBUS IPSIS EVENTUM DICI POTERIT, QUOD CUMQUE ERIT ACTUM. Quadratus et schedae *aliud terris alid regionibus*. similiter quadratus in IV, 1039 *alias alid res*. versum alterum Nonius profert p. 204, 2, non priorem, in quo frustra laborant interpretes. *aliud* geminatum res diversas indicat, *terrae* vero a *regionibus* non differunt. ergo Lambinus scripsit *aliud rebus aliud regionibus ipsis*, Havercampus voluit *aliud rebus aliud temporibus ipsis*, Wakefieldus Eichstadio et Forbigero probavit haec, *aliud terris aliud legionibus ipsis* (sed antiquarii Germani fecerunt *terreis* et *ipseis*); in quibus omnibus nihil sani esse vel inde intellegitur quod istae divisiones neque quicquam ad rem faciunt et falsae sunt. qui ambages inanes ab hoc poëta alienas esse sciet, sic scribet, *Namque aliud* PER SEST, velut regiones et loca de quibus dicebat: *aliud*, *regionibus ipsis quod cumque erit actum*, velut raptus Helenae et bellum Troianum, *Eventum dici poterit*.

473. TYNDARIDIS FORMA CONFLATUS AMORE IGNIS. Itali et impressi FORMAE.

477. GRALIUGENAR. Sic prima manu oblongus, quod esse debet GRAIIUGENARUM. huius corrector cum quadrato schedisque et hic *Graiugenarum* et *Troianis* in versu 476. sed idem corrector in versu 465 reliquit *Troiiugenas*, ubi in ceteris *i* simplex.

480. NEC RATIONE LUERE EADEM QUA CONSTET INANE. Corrector quadrati et Itali CLUERE. *constet* oblongus, Antonius Marii, Brixiensis editio: *constat* quadratus, schedae, Veronensis, Marullus.

484. QUA CONSTANT. Corrector quadrati et impressi QUAE.

489. TRANSIT ENIM FLUMEN CAELI PER SAEPTA DOMORUM, CLAMOR UT AD VOCES. A correctoribus uterque Vossianus FULMEN. in versu altero corrector oblongi (non YZ, ut dicit Havercampus) *Clamor it ad voces*; quod quia non facit sensum, in archetypo supra UT suspicor I litteram

Digitized by Google

adscriptam fuisse : neque sane aptius rei quicquam requiri potest, quam quod admisso *ac* pro *ad* ex libro VI, 229 facili negotio efficias, *per saepta domorum Clamor* IT AC *voces*, ut in VI, 951 *Denique per dissepta domorum saxea voces Pervolitant*, in I, 355 *Inter saepta meant voces et clausa domorum Transvolitant*. contra nihil absurdius est illa comparatione, qua *fulmen caeli per saepta domorum* transire dicitur *Clamor ut ac voces* (sic cum Avantio plerique) aut, quod Marullo placuit, *Clamor ut it vocis*, praesertim cum fulmen, ut vox, incolumes domos non facile transeat. praeterea notandum est Lucretium *caeli nubila* et *caeli signa* dixisse, item *faces caeli*, *caeli*que *solem*, *fulmen* autem *caeli* numquam dixisse : nam in V, 1244 multo rectius est quod oblongus habet, *caelo fulmine misso*. satis igitur apertum est poëtam scripsisse *Transit enim fulmen* CAELUM.

491. DISSILIUNTQUE FERO FERVENTI SAXA VAPORE. Marullus FERVENTIA.

492. CUM LABEFACTATUS. Itali et olim impressi TUM. non recte Marullus *Quin:* vide quae scribo ad versum 588.

500. CORPORE CONSTET. Quadrati corrector et impressi CONSTENT.

517. QUOD INANE QUEAT RERUM COHIBERE. Recte interpretatur Creechius, 'id inane quod in rebus genitis est'. sed id siquis *inane rerum* dixerit, vereor ne potius *vacuum a rebus* quam id quod voluerit dixisse videatur. quare non dubito quin poëta scripserit *quod inane* IN REBU' QUEAT *cohibere*, id autem, ut alia, inmutatum fuerit ab iis qui *s* litteram elidi non ferrent. inepte Marullus *inane tectum cohibere;* quod probat Wakefieldus cum adsentatoribus istis qui numquam per se sapiunt.

520. SI NIHIL EST QUOD INANE VOCARET. Corrector oblongi *si nil* ESSED, itaque Avantius : *siquidem nihil est* cum Italis Marullus. deinde hi correctores omnes, item Veronensis editio, VACARET: quadratus, schedae, Brixiensis, *vocaret:* oblongus prima manu *ucaret*.

525. NEC PLENUM NAVITER. Charisius p. 185 *Navite, Terentius in Eunucho 'neque pertendes naviter'. Lucretius quoque de rebus naturalibus tertio*. in libro tertio hodie non extat, neque tanti est ut ei ibi quaeramus locum.

Digitized by Google

527. QUAE SPATIUM POENA POSSINT DISTINGUERE INANI. Marullus *spatium* PLENO INANE.

533. NEC FUNDI IN BINA. Naugerius FINDI. Veneta editio *sindi :* de Brixiensi Veronensique mihi non magis constat quam de Antonio Florentino : Marullus et Avantius *scindi*.

542. DE NIHILO QUAERANTA FORENT. Optime Lambinus *De nihiloque* RENATA *forent*. minus bene corrector quadrati *creata :* oblongi corrector *De nihilo quae erant aforent, i. deerant*.

552. IAM CORPORA MATERIAE USQUE REDACTA FOVENT. Itali et impressi cum correctore oblongi *materiaeque*, Marullus MATERIAI. FORENT corrector quadrati et ceteri.

555. SUMMUM AETATIS PERVADERE FINIS. Sic oblongus, Antonius Marii, Brixiensis editio : *fine* quadratus et schedae. *summum florem* Marullus, *summum finem* corrector quadrati et Veronensis editio. hoc Wakefieldus probat, qui debebat scire hunc poëtam *finem* masculino genere non dixisse. *pervadere* autem cum accusativo coniunctum quid esset Varro docuit de lingua Latina VII p. 300 : *quare quod est 'pervade polum'* inquit, *valet 'vade per polum'* (sic recte docti : Florentinus *valde vade peripolum*) : neque eo veteres umquam aliter usi sunt. quo fit ut hic perversa sit sententia, nisi scribamus *ad summum florem* aut *ad* extremam *finem pervadere*. sed verius est a poëtae manu hoc esse, SUMMA, hoc est universo vivendi actu, *aetatis pervadere finis*, per omne vitae spatium vadere : *fines* enim locum finibus designatum dici nemo ignorat.

562. QUONIAM REFICEREM QUAMQUE DEMUS. Corrector oblongi REFICI *rem*. *quamque* VIDEMUS corrector quadrati, Itali, impressi.

569. ADMIXTUMQ. QUONIAM SEMEL EST. Omittunt QUE omnes, praeter veteres membranas.

571. VALIDI SILICES. Haec verba, quae iterum posita sunt in libro II, 449, proferunt Donatus p. 1769 et Pompeius p. 434, versum libri primi totum Nonius p. 225, 19.

578. EX AETERNO TEMPORE QUAEQ. Recte Lambinus QUAEDAM.

580. QUAE NON DUM CIVEANT. Marullus CLUEANT.

584. QUONIAM GENERAT IN REDDITA FINIS CRES-

Digitized by Google

CENDIS REBUS CONSTAT VITAMQUE TENENDI. Itali et impressi GENERATIM. ante eos corrector quadrati *generatis*, idemque cum Veronensi CRESCENDI, quod hic necessarium est: per se *Crescendis rebus finis reddita* tam recte dicitur quam apud Varronem de lingua Latina VI p. 193 *longissimum spatium senescendorum hominum*. ab eodem Varrone Gellius in III, 10 habet *modum summum adolescendi humani corporis*. Verrius Flaccus in calendario Praenestino IV k Mai. *aedis Florae, quae rebus florescendis praeest, dedicata est*.

568. QUO PACTO FIANT ET QUA VI QUAEQ. GERANTUR. Forbiger nullo auctore sed nescio qua sui fiducia dicit in codicibus Lugdunensibus inveniri *quomque*; cum posset scire Lambinum scripsisse primum *cunque genantur*. sed totum versum eo loco quo in libris extat sententiam non adiuvare sed interrumpere Bentleius sensit, qui eum deleri voluit. mihi satis commode videtur post illa collocari posse, *vitamque tenendi*. e proximis eum versum in quo est *sancitum*, Priscianus totum exhibet p. 907, Diomedes dimidiatum p. 368.

588. NEC COMITATUR QUICQUAM: QUIN OMNIA CONSTANT. Oblongus prima manu *commitatur*: COMMUTATUR corrector quadrati, Itali, Brixiensis editio. sed insuper scribendum est CONSTENT. nam Lucretius *quin* cum indicativo non iungit, nisi ut eam coniunctionem quae est *etiam* adiciat, aut certe id pronomen quod prope idem significat, id est *ipse*. hoc semel usus est in libro II, 799, *Lumine quin ipso mutatur* (sic oblongus, quadratus, schedae); ubi pessime Antonius Florentinus et olim impressi *qui in ipso*. *quin potius constituas* per interrogationem in libro I, 798.

591. INMUTABILES MATERIAE QUOQUE CORPUS HABERE DEBENT. Antonius Marii, Marullus, post hunc omnes, *Immutabile materiae quoque corpus*; quod quid sit non intellego. immo res singulae et singula animantium genera INMUTABILIS *materiae*, hoc est ex inmutabili materia confectum, *corpus habere Debent*.

599. TUM PORRO QUONIAM EST EXTREMUM QUODQUE CACUMEN CORPORIS ILLIUS, QUOD NOSTRI CERNERE SENSUS IAM NEQUEUNT, ID NI MIRUM SINE PARTIBUS EXTAT ET MINIMA CONSTAT NATURA. Recte infra 749 *Cum videamus id extremum cuiusque cacumen Esse, quod ad sensus nostros minimum esse videtur*. contra hoc in loco

Digitized by Google

ratio absurde inversa est hoc modo, In rebus extremum quodque quoniam id est quod oculos effugit, ideo id extremum minimum est et sine partibus. ergo in *quoniam* sententia laborat. praeterea *illius* ne in hac perversa quidem argumentatione locum habet, sed debet esse *illud* (et scripsit *illud* Eichstadius, Lambinus *aliquod*): nam *corporis illius* ita accipiendum esse ut sit *eius naturae*, commentum est Forbigero solo dignum. mihi nihil facilius videtur quam veram sententiam sine ambagibus efficere, hoc modo. *Tum porro* QUIANAM *est extremum quodque cacumen Corporis* ULLIUS, *quod nostri cernere sensus Iam nequeunt?* Quapropter, inquit, in ulla re corporea extrema quaeque pars est quam oculis conspicere non possumus? *id ni mirum sine partibus extat Et minima constat natura*. ceterum *quianam* multos dixisse constat, Naevium, Plautum, Ennium, Accium in Phoenissarum exordio, Vergilium.

606. NATURAM CORPORIS EXPLET. Antiquissimi correctores EXPLENT.

608. HAERERE UNDE QUEANT ULLA RATIONE REVELLI. Corrector quadrati *ut nequeant*. melius Itali *unde queant* NULLA.

611. NON EX ILLORUM. Optime Marullus ULLORUM.

613. NEQUE DEMINUI TAM. Corrector oblongi IAM.

619. QUOD ESCIT. Sic quadratus et schedae, oblongus *essit:* huius corrector *esset*. QUID primus Marullus, *escit* primus probavit Lambinus.

625. 626. EXTENT ET MINIMA CONSTANT NATURA. Marullus CONSTENT.

628. SI MINIMAS. 631. QUAE NULLIS. Vere Lambinus NI *minimas* et *quae* MULTIS *sunt partibus aucta*. in II, 489 *Ne quaedam* (*semina* dicit) *cogas inmani maximitate Esse, supra quod iam docui non posse probari*. scilicet his ipsis versibus, neque alibi.

634. PER QUAS RES QUAEQUE GERUNTUR. Marullus prudenter scripsit *per* QUAE, ut est in II, 727. falsum est quod fecerunt Itali, *per quos*, quamvis a Wakefieldo appositum parasitis placuerit.

639. CLARUS OBSCURAM LINGUAM. Apud Festum p. 261, 9 OB *obscuram*, et corrector oblongi *ob oscuram*. hinc Horatius duxit illud, *Clarus ob id factum*.

Digitized by Google

646. Ex uro si sunt igni puroque creatae. *Ex vero* corrector oblongi, Itali, olim impressi, Marullus. rectius *Ex* uno corrector quadrati, Turnebus, Lambinus. supra 636 *atque ex igni summam consistere solo*.

649. haberet. *Habere* quadratus et schedae. haberent Itali et impressi.

651. Langidior porro disiectisque supatis. Corrector oblongi *disiectis* dis*que supatis*. *languidus* et *languida* ceteris locis membranae, a quo in hoc uno quam recte discrepent ignoro. *langor* quidem saepe scriptum legi, idque habet in iii, 172 quadratus, ubi in oblongo est *languor*. oblongus in vi, 1157 *Langebat*. e proximis versu 653 usus est Nonius p. 184, 10.

657. Sed quia multa sibi cernunt contraria muse. Sic prima manu oblongus: eius corrector fecit *musae*, cui superscripsit *pro poëtis*, itaque Brixiensis editio *musae*, quo nomine Heracliti librum a quibusdam veterum appellatum esse nullus interpretum recordatus est, quod miror. in quadrato et in schedis est *mu* tantum. Antonius Marii (puto, e versu 666) *mussant*, Veronensis editio *inesse*, Marullus *multi*; ex quibus vero proximum est *inesse*, sed ineptum. scribendum est enim *Sed quia multa sibi cernunt contraria* adesse. littera Romana ad non multum differt ab m: *ob* simile est unciali ϖ.

659. amittunt ver aula. Corrector oblongi *vera* viai.

660. exempto rebus inane. Inepte Itali et olim impressi *exemptum*: Marullus recte inani, ut est versu 742.

662. quod possit mittere raptis. *Raptum* olim impressi: raptim Avantius.

665. Quod si forte mia credunt ratione potesse Ignis in coetus stingui musareque corpus. In his perspicuum est errore factum esse mia quod erat alia. hoc Itali cum non vidissent, fecerunt *una* et ex eo Marullus *ulla*, quem omnes secuti sunt. idem Marullus mutareque: *in* coetu *stingui* primus Turnebus adversariorum vii, 11 et Lambinus.

668. funditur arbor Omnis, et nihilo. Corrector quadrati funditus. sed ardor ante eum et Italos corrector oblongi, in quo prima manu est *amor*. postremo

Digitized by Google

et ex nihilo Itali, quos ceteri temere secuti sunt, cum supra in versu 150 sit E *nihilo*.

670. MUTUATUM. Infra 793 et in II, 753, in III, 518, MUTATUM. proximum versum habet Servius ad georgicon IV, 225, sine numero libri, sed perperam addito in fine *conexio*.

674. RENATA VIVESCAT. Hic Itali, impressi, Marullus, *virescat*, cum in versu 757 ferant quod libri habent, *renata vigescere:* Avantius *virescat* et *virescere*. hunc Lambinus sequitur, illos Wakefieldus, qui VIGESCAT, quod unice verum est, scribendum negat, quia Claudianus dixerit *semperque renata Nobilitate virent*. scilicet *Per fasces numerantur* avi et *Nobilitate virent:* ergo potest etiam copia rerum *renata virescere:* sed eodem dicendi genere bis uti poëta non debuit, sed scribere in altero versu *vigescere*. hoc iudicii Wakefieldiani specimen esto.

681. QUAEDAM DESCENDERE, ABIRE. Corrector oblongi DISCEDERE.

683. QUOD CUMQUE CREARET. Lambinus CREARENT.

690. DICERE PORRO IQ. NEM RES. Quadratus et schedae *iquenem*. corrector quadrati et Itali IGNEM.

694. ET LAEBEFACTAT. Corrector oblongi LABEFACTAT.

703. QUAM NEGET ESSE IGNIS, TAMEN ESSE RELINQUAT. Corrector quadrati *aliam tamen, summam tamen* Itali, quos omnes secuntur. aptissimum puto QUIDVIS *tamen esse relinquat*.

708. QUI CUMQUE PUTANTUR. Oblongus prima manu *putant:* corrector quadrati et Itali PUTARUNT.

710. VERTI OMNIS. Corrector quadrati et ceteri VERTIER.

711. LONGI DERRASSE VIDENTUR. Sic quadratus et schedae; item a correctore oblongus, cum fuisset primum *longi errasse*. olim impressi et Marullus *longeque errasse*. Lambino teste, sed eo non satis locuplete, cod. duo manuscr. habent LONGE *deerrasse videntur*. est tamen hoc verissimum: nam *longus deerrare* nemo potest, nisi aut procero corpore aut ingenti passu aut nimio sermone, neque id quod volunt demonstrant I. F. Gronovius et F. Handius in diatribe Statiana p. 314—316 et in elencho p. 183—185. Lucretius in

Digitized by Google

II, 229 *Avius a vera longe ratione recedit*. in III, 676 *Non, ut opinor, id a leto iam longiter errat*. eodem errore membranae habent *longi* in IV, 1176 et in VI, 68.

715. PROCRESCERE. Servius ad eclogam VI, 31 et ad Aeneïdos I, 123 *nascuntur*, memorlae vitio, quod non correxit Isidorus originum XIII, 10, 4.

718. QUORUM AGRAGANTINUS. Oblongus prima manu *Agranantinus*. ACRAGANTINUS Veronensis editio et Marullus. in Plinii naturalis historiae libro XXXV §. 62 64 179 Siligius scripsit *Agragentinum*. e proximis glossarium a Maio in classicorum auctorum tomo VII editum haec habet p. 584. *Triquetram Lucretius appellat quam Virgilius Latine Trinacriam nominat, id est tria promuntoria*.

720. ANGUSTOQUE FRETU RAPIDUM MARE DIVIDIT UNDIS HAELIAE TERRARUM ORAS A FINIBUS EIUS. Corrector oblongi *Haeoliae*. qui hoc tuetur apud Havercampum, Isaacus Vossius puto, eruditionem Lucretio adfinxit putidam, quam neque Wakefieldus neque Forbiger explicare potuerunt; quod video nunc fecisse Hugonem Purmannum p. 24: est autem tota posita in versu Callimachi qui est apud Bentleium n. 202, Ῥήγιον ἄστυ λιπὼν Ἰοκάστου Αἰολίδαο, et in his Diodori, quae leguntur in libro V, 8, τούτων δέ (τῶν Αἰόλου υἱῶν) Ἰόκαστος μὲν τῆς Ἰταλίας ἀντεχόμενος ἐβασίλευσε τῆς παραλίας μέχρι τῶν κατὰ τὸ Ῥήγιον τόπων. rectissime Itali eosque secuti Marullus atque Lambinus ITALIAE. sed frustra idem Lambinus *Italiae terrai oras*. paulo ante poëta *triquetris terrarum in oris*, et in VI, 713 *in terris Aegypti totius*. sed in priore versu ne Prisciano quidem, qui eum totum exhibet p. 554, credendum est Lucretium haec tam incondite cumulasse, *angusto fretu dividit undis*, praesertim cum modo dixisset *glaucis ab undis*. Wakefieldus absurde *dividit ulnis*, quasi divisio ab amplexu non differat. scribendum est *Angustoque fretu rapidum mare dividit* UNDANS. dixerat in Hecuba Ennius *undantem salum*, ut testatur Nonius p. 223, 24, *undanti in freto* Attius in iis versibus quos et Cicero profert de natura deorum II, 89 et ex eo Priscianus p. 1325.

724. ITERUM VIS UT OMNIAT IGNIS. Lambinus *vis ut* VOMAT *ignis*.

725. FLAMMAE FULGURA. Corrector oblongi FLAMMAI.

Digitized by Google

733. Ut vix humana. Hoc versu Censorinus usus est p. 10, 18. sed qui hunc secuntur versus quinquaginta duo,

734. Hic tamen —— 785. cuncta reverti, ii hoc loco in quadrato et in schedis non leguntur, neque in his exemplaribus minimum defectus indicium est, sed in extrema eorundem parte post librum sextum et hi versus scripti sunt et ceteri quos suis locis praetermissos esse annotabo, et hoc quidem ordine, ii, 757 — 806 v, 928 — 979 i, 734 — 785 ii, 253 — 304. eae particulae interstitiis quidem inter se distinctae sunt, sed inscriptiones aut subscriptiones habent nullas. potest autem ex hac re facili opera colligi quot versus fuerint in una quaque codicis archetypi scheda: illae enim particulae singulae constant versibus quinquagenis binis. iam in hoc libro primo ante hunc locum sunt carmina poëtae dccxxxiii, quibus accedunt capitulorum tituli xxi (non xxii: nam qui videri potest quintus decimus esse, in ratione ineunda praetermitti debet; quod quo iure fiat dicam ad capitula in fine operis): iam dccxxxiii et xxi sunt dccliv: tot autem versus continentur paginis xxix, si in singulis sunt versus vigeni seni. ergo hae paginae, quae hoc loco tum cum isti libri scribebantur e codice archetypo exciderant, fuerant in eo, cum integer esset, tricesima et xxxi vel, quod idem est, scheda codicis sexta decima.

737. Ex adito. Sic membranae et olim impressi, per *y* Antonius Marii et Marullus.

739. Pythia que tripodi a phoebi lauroque prosatur. Corrector oblongi profatur, itaque in v, 112 membranae, quae ibi *tripodea*, hic *tripodia*. horum neutrum reiciendum est: nam ablativi in Graecis vocabulis ut *i* breve respuunt, ita non modo *e* correptum sed etiam *i* longum admittunt. Lucretius in ii, 416 *croco Cilici perfusa* (similiter in Culice 399 *Cilici crocus editus arvo*), in iii, 132 *alto delatum Heliconi*, Vitruvius viii, 3, 6 21 *Troezeni* et *Clitori*, hoc est ἐν Κλείτορι, Novius apud Nonium p. 316, 5 *Caeretanus* (libri *Cretanus*) *sine diploidi. a, recta grassatur via:* omittam enim quae vulgo nota sunt, *Acherunti*, *Sicyoni*, *Lacedaemoni*, *Sidoni*. quae apud Graecos dativum in ει mittunt, eorum ablativi produci solent. *ex Naucrate cognato* Plautus Amphitruone ii, 2, 230, *Hippomene victo* Ovidius metamorphoseon x, 608, *ab Achilli talia* idem ex Ponto iii, 3, 43, *Archigene quid*

Digitized by Google

enim Iuvenalis XIII, 98 . quamquam video hos ablativos ab aliis corripi. Horatius sermonum II, 3, 193 *heros ab Achille secundus*. in Herus epistula (non scripsit eam Ovidius) 148 *A tibi suspecto ducit Ulixe genus*. Statius Thebaidos XII, 348 *parvoque torum Polynice fovebo* . ita Propertius in V, 11, 40 putatur scripsisse *fregit Achille domos*. certum est in *Diomede Ganymede Lycomede* ultimam semper corripi : neque id mirum, cum Varro vel pluralem Latine extulerit *Diomedes* et *Diomedibus*, de lingua Latina X p. 573, neque eum ita inflectendum censuerit ut dixerunt Graecorum more Cicero de oratore II, 94 et Gellius XIV, 1 et 6 *Naucratae Socratae Antisthenae Hippocratae*, Iuvenalis II, 7 *Cleanthas*, *Hermeraclas* Cicero ad Atticum I, 10, 3. quo magis credibile est Vergilium in Aeneidos XI, 243 scripsisse *Diomedem Argivaque castra*, ut Statius scripsit in Achilleidos II, 217 *Lycomedem adfatur in armis*. Terentianus Maurus 2059 dixit *Diomeden*, quo poëtas veteres usos esse non inveni.

741. MAGNO CECIDERE IBI CAUSA. Corrector oblongi CASU.

744. TERRAS, ANIMALIA, FRUGIS. In accusativis pluralibus tertiae declinationis quia certam loquendi constantiam a nullo umquam observatam esse intellego, nihil temere audendum ratus fidem membranarum solam secutus sum. reieci tamen formam vulgarem, quotiens anceps erat auctoritas: habet enim oblongus *cives* in I, 91, *imbres* I, 769, *dulces* I, 886, *partes* IV, 226 1092, *trementes* V, 403, *progredientes* V, 1453, *nubes* VI, 473 507, *fontes* VI, 613; quadratus *imbres* I, 762 769 V, 1085, *partes* II, 93, *volantes* II, 206, *urbes* II, 624, *aures* IV, 542. praeterea quamvis consentientes imitari ausus non sum hoc loco, ubi habent *frugis*, neque in IV, 577 991 1000, ubi *vocis*; quamquam apud Nonium p. 149, 16 e Varrone scriptum est *pacis*, et Manilii exemplaria in III, 446 habent *lucis*, itemque in IV, 164. *religionis*, quod in utroque Vossiano est libro VI, 62, admittendum putavi, quoniam ab hoc genere ablativus in *i* desinens non est alienus, quod demonstrabo ad librum II, 520 . atque ita in lege de XX quaestoribus I, 32 scriptum est *eosque praeconeis omneis*, sed in eadem *praecones legere*, *praecones sumito*, *praecones habere*: *latronis* Plautus in Milite I, 74, apud Nonium *latrones* p. 486, 18 . in libro II, 789 oblongus prima manu *coloris* habet, idemque in VI, 987 vitiose

Digitized by Google

nidores odoris; quod indicare malui quam tacere : supersunt enim in hac re multa quae ab aliis doceri velim . *lictoris* e Caelio Antipatro Nonius p. 505, 33 , *unicoloris* Varro rerum rusticarum libro II, 4, 3 . in lege Iulia municipali 145 *omnium municipium*, 160 *municipieis* (hoc est *municipeis*) *fundanos*, 163 *municipis fundanos*, item *municipium suorum* in Ciceronis Planciana 19 codex Bavaricus , *principium* in Cornelii Nepotis Attico 17, 3 ; quae nequis reprehendat , Lucilii versus cavet qui est apud Charisium p. 74 , *scalprorum forcipiumque Milia viginti* . similiter *extispicium* in octonario Attius (*Principio extispicium ex prodigiis congruens te ars arguit*) et *ad extispicis* Varro apud Nonium p. 16, 11, 14 , *ramicis* apud eundem Varro p. 166, 16 , *subicis* Ennius p. 169, 3 , *panticis* Plautus p. 394, 33 . in Varronis de lingua Latina VII p. 351 Florentinus *laudis eius caneret*, in Lucretii V, 3 *fingere laudes*, neque aliter Mediceus Vergilii in Aeneidos VIII, 287 X, 282 : ita *laudum* et *laudium* auctores habent fere pares.

747. FACIENT. 748. CONSISTERE QUI . Itali et Marullus FACIUNT. QUICQUAM Marullus.

751. CONICERE UT POSSIS EX HOC , QUE CERNERE NON QUIS EXTREMUM QUOD HABENT , MINIMUM CONSISTERE . Itali *minimum consistere rebus ;* quos céteri secuti sunt , nisi quod Lambinus fecit *in consistere rebus* . sed idem Lambinus cum Avantio *quod cernere non quis;* quibus repugnat versus libri II 121 , ubi est iterum *Conicere ut possis ex hoc*, non sequente pronomine relativo . mihi argumentum optime concludi videtur hoc modo . in sensibilibus id quod extremum est videmus minimum esse ; *Conicere ut possis ex hoc , quae cernere non quis* , ea *Extremum quod habent* , id *minimum consistere* multo magis atque PRORSUM , ut erat in versu 748.

753. HUC ACCIDIT ITEM, QUONIAM PRIMORDIA RERUM MOLLIA CONSTITUUNT ——, FUNDITUS UT QUI DEBEAT AD NIHILUM IAM RERUM SUMMA REVERTI. Corrector oblongi *Huc* ACCEDIT. cetera, quae nullus interpretum expedivit, sine dubitatione ita scribenda sunt, *Huc accedit* UTEI —— *funditus* USQUE *Debeat ad nilum iam rerum summa reverti*.

758. QUID A VERO IAM DISTET HABES . Recte corrector oblongi , Itali , olim impressi , *iam* HABEBIS, hoc est

Digitized by Google

iam tenebis; ut in III, 831 *Quandoquidem natura animi mortalis habetur*. Lambinus nescio qua mutandi libidine *habebas*, quod ferri non potest.

759. INIMICA MODIS MULTIS SUNT ATQUE VENE IPSA SIBI INTER SE. Quadratus *veneni*, corrector oblongi *venena*; quod cum ceteri secuti essent, Wakefieldus hunc poëtam *venenum* plurali numero numquam extulisse observavit, eaque de causa maluit *inimica sunt atque* VENENO *Ipsa sibi inter se*, quod recte firmavit Varronis verbis quae sunt in rerum rusticarum I, 2, 18, *quaedam enim pecudes culturae sunt inimicae ac veneno*. itaque cum ne Varro quidem voluerit haec coniungere, *inimicae ac venena*, Wakefieldum atque ipsum Varronem hic quidem sequendos duco: in libro II, 461 causa nulla est quo minus scribamus *quod cumque venenumst Sensibus*. sed quod Nonius habet p. 491, 10 ex eodem Varrone, *eius enim salivam esse fructuis veneno*, id Latine dici non credo: et habent *venenum* exemplaria Varronis.

767. ATERNIS GIGNUNTUR. Corrector oblongi ALTERNIS. mox versum 769, qui est 762 temere repetitus, idem corrector iam delevit.

772. NATURAM ET MUTET. UT corrector quadrati et Itali: sic Veronensis editio, non Brixiensis.

774. NON ANIMAS. Itali et Marullus ANIMANS.

775. SUAM QUISQUE IN COETUM. Marullus QUICQUE *in* COETU.

776. OSTENDIT. Itali et Avantius OSTENDET.

777. CUM TERRA SIMUL ET QUODAM CUM RORE MANARE. Corrector oblongi MANERE. tum rectissime Lambinus totidem litteris ATQ. ARDOR *cum rore*.

778. IN REBUS OPORTET. Qui paulum modo in hoc carmine versatus fuerit, non dubitabit quin scripserit poëta *primordia gignundis in rebu'* NECESSEST *Naturam clandestinam adhibere*: neque enim aliter usquam in huius modi rebus locutus est. accedit quod hoc ipso verbo, quod est *oportet*, ea, puto, de causa quod ad iudicia proprie pertinet, neque Lucretius alio ullo in loco usus est, neque ceteri poëtae praeter comicos eo delectantur. habent quidem illud satirici, Lucilius, Horatius, Persius, Iuvenalis, item Phaedrus, qui comico generi proximi sunt; sed ne hi quidem saepe. e tragicis, quantum scio, Ennius eo usus est, *Te ipsum hoc oportet*

Digitized by Google

drofiteri, apud Nonium p. 232, 24, et Attius qui videtur doctissimis, *Eum scire oportet*, in Ciceronis Tusculanarum II, 39, Seneca cum vi singulari *tandem libet Quod olim oportet* in Phoenissis 146. Catullus autem in ioco 90, 3 *Nam Magus ex matre et gnato gignatur oportet;* Vergilius item semel in persona ridicule obiurgantis *pastorem Tityre pinguis Pascere oportet ovis*, ecloga VI, 5; poëta Dirarum 36 *cinis haec tibi fiat oportet;* Propertius bis, *delicta queraris oportet, mecum moriaris oportet*, II, 4, 1 8, 25; Lygdamus 1, 14 *comptum mittere oportet opus;* Ovidius ceteris paulo frequentius, *tua dicar oportet* et *ventis ut oportuit actus iniquis* in epistula I, 83 et VI, 141, *ita credere oportet* in artis I, 699, *nec te quicquam nisi ludere oportet* in remediis 23, *Inque Tomitana condar oportet humo* et *cupias, ut re potiaris, oportet* et *Per rerum turbam tu quoque oportet eas* ex Ponto III, 1, 6 35 144. minus inexpectatum in Priapeo 39 *Simpliciter tibi me quod cumque est dicere oportet*. in Ciri 261 *quod oportet amari:* melius *quod par sit amari*. Martialis semel in iambo *Numeres oportet aliquid* IV, 37.

779. NATURAM GLANDESTINAM. Corrector oblongi CLANDESTINAM.

780. DEMINEAT NEQUID. Vere, puto, Naugerius, quem Forbiger, ut solet, sua laude fraudat, EMINEAT. quadratus *nequit*. *quit* oblongus in V, 527 et 545. *quicquit* idem in III, 787 V, 131. *aliquit* oblongus in I, 977 IV, 1134, quadratus I, 672. *aliut* oblongus I, 469 V, 765 832 833 VI, 995, quadratus III, 1083, uterque V, 756 1278.

781. QUOD CUMQUE CREATAS. Corrector oblongi CREATUR.

784. HINC IGNEM GIGNI, TERRAMQUE CREARI EX IGNI, RETROQUE IN TERRAM CUNCTA REVERTI. Quadratus *Ea igni*. verissime Marullus *hinc* IMBREM *gigni, terramque creari Ex* IMBRI: idemque reliqua in simplicissimam sententiam ita restituit ut nihil ultra quaerendum putem, *retroque* A TERRA *cuncta reverti*. Marullum omnes secuti sunt, gratum animum testatus est nemo; quod nota dignum est in Gifanio et Forbigero, quandoquidem scierunt haec a Marullo profecta.

789. FACERE HAUD ULLO —— FACTO. Hoc Wakefieldus reicere non audet: Forbiger, ut servorum captus est,

Digitized by Google

elegantius iudicat quam quod scripsit homo sanus ac simplex Marullus, *haud ullo* PACTO. ita membranae in II, 750.

805. ET NISI TEMPESTAS INDULGET TEMPORE FAUSTO, IMBRIBUS ET TABE NIMBORUM ARBUSTA VACILLENT. SOLQUE SUA PRO PARTE FOVET TRIBUITQUE CALOREM. CRESCERE NON POSSINT FRUGES ARBUSTA ANIMANTIS. Priscianus p. 768, ubi de *tabe* ablativo agit, horum partem ita scriptam exhibet, *Imbribus ut tabe nimborum arbusta vacillent*. regulae prosodiacae quas edidit Barthius in adversariorum XXXVI, 13 p. 1691 *Vacillat breve est apud Lucretium* . . *arbusta vacillant*. orationem incompositam et dissolutam cum animadvertisset Marullus, scripsit *Crescere uti possint*. multo minus prudenter Lambinus *vacillant*, ut coniungerentur haec, *et* si *tabe nimborum arbusta vacillant*; quo fit ut in condicione ponatur effectus. neuter intellexit de solis *arbustis* primum inepte dicta esse quae deinde ad *fruges arbusta animantis* referrentur. itaque ne illum ipsum versum, quem a Prisciano lectum scimus, cogamur delere, traiciamus potius et emendemus hoc modo. *Et nisi tempestas indulget, tempore fausto, Solque sua pro parte fovet tribuitque calorem, Imbribus et tabe nimborum* AMBUSTA *vacillent, Crescere non possint fruges arbusta animantis*. omnia, inquit, imbrium frigore *ambusta* vacillent atque nutent. Valerius Flaccus in IV, 70 *Haec ait* (vulgo *Exit ubi*). *e scopulis, media inter pabula diri Vulturis, ipse etiam gemitu maestaque fatigat Voce Iovem, saevis relevans ambusta pruinis Lumina*. Columella in XI, 3, 13 *brumae frigoribus et pruinis inurendum*, et in X, 74 *quae canis iaceant urenda pruinis*. quod si cui forte haec in versibus duobus continuis posita displicent, quasi sono inter se nimis similia sint, *ambusta vacillent, arbusta animantis*, mihi ne similia quidem videntur, sed *ambustum* media vocali longa dicendum existimo. nam participia passiva ea quorum in praesenti consonans est aut liquida aut *s* semivocalis, quantitatem praesentis secuntur: *gestus depstus tostus* corripiuntur, producuntur *census ustus pistus*; item *promptus demptus sumptus* ut *promo* et cetera, aliter *emptus pressus adultus sepultus pulsus vulsus salsus cantus litus desitus contemptus partus satus cursus* et a verrendo *versus*. contra ubi in praesenti media est, participia producuntur; neque minus *sorptus*, ut puto, quam *lapsus gluptus nupta scriptus iussus*; item ut *cessus fisus*

Digitized by Google

visus trusus, ita *casus*, *esus* et *comestus*, *tunsus* et *tusus*, *tonsus*, *pansus* et *passus dispessus*, *tensus* et *tentus*, *pensus accensus fissus scissus fossus sessum arsus orsus morsus*; porro a figendo *fictus* et *fixus*, *frictus* et *frixus*, *flictus luctus suctus*, et similiter a fingendo *fictus pictus strictus tinctus linctus pollinctus cinctus unctus emunctus functus iunctus punctus planctus pactus tactus sparsus mersus indultus alsius actus lectus tectus rectus*. minus certa sunt quae de tenuibus tradam. ante *c* longam vocalem breviari constat, quamvis perfecta producantur *(deixit douxit)*, *dictus ductus ictus*, neque dubia sunt *iactus factus doctus coctus sectus enectus inlectus aspectus victus vinctus sanctus sartus parsum fultus ultus*: sed *reptare* utro modo dici debeat nescio, brevia sunt *captus raptus ruptus scalptus carptus sarptus*: denique *missus* et *sensus* vocali producta efferuntur, correpta *quassus passus fassus fessus messus versus flexus nexus pexus*. ubi aspiratio est in praesenti, a vehendo esse *vectum* vocali correpta scimus; unde *tractum* eodem modo dicendum puto: sed rursum in puris docemur *structum* habere *u* porrectum, cui simillima sunt, nisi fallor, *fructus* et *fluxus* cum *fluctu*. praeterea sunt *indutum tributum elutum lustrum* eadem quantitate, quamquam differunt *ratum itum citum rutum*. postremo a vivendo *victus* et a conivendo *nictare*, ut habent *u* consonantem a *g* non alienam, mihi videntur *i* longa pronuntiata esse. haec quasi inutilia grammaticos nostros non attingere video, neque eos qui pueris libellos scribunt, neque qui e libellis sapiunt. magnam tamen eorum partem exposuit Gellius in Atticarum noctium IX, 6 et XII, 3; ubi enumerata sunt haec. *ago actus actito*, *ungo unctus unctito*, *scribo scriptus scriptito*, *moveo motus motito*, *pendo pensus pensito*, *edo esus esito*; contra *dico dictus dictito*, *gero gestus gestito*, *veho vectus vectito*, *rapio raptus raptito*, *capio captus captito*, *facio factus factito*: item *sicut a ligando lictor*, *et a legendo lector et a viendo vitor et a tuendo tutor et a struendo structor productis quae corripiebantur vocalibus dicta sunt*. Porphyrio ad Horatii sermonum I, 6, 122 *Lecto producta syllaba pronuntiare debemus*, *quia frequentativum est ab eo quod est lego*; non quod hoc proprium esset frequentativi (valet enim non minus de participio), sed quod verendum erat nequis *lectum* ΤΗΝ ΚΛΊΝΗΝ interpretaretur, in quo *e* corripitur. sed nondum possum, quamvis vellem posse, dimittere grammaticam: restat enim quaerendum

Digitized by Google

quo iure scripserint in his versibus librarii *animantis* recto casu; de qua re, post Varronem, unum qui diligenter dixerit cognovi Philippum Wagnerum in orthographia Vergiliana p. 405, quamquam ne hic quidem e Mediceo Vergilii codice nihil praetermisit, ut *turpis* georg. IV, 96, *segnis* 198, *sortis* Aen. VII, 269, *omnis* VII, 625 XI, 362, *gentis* IX, 131. in s. c. de Genuatibus *fineis* 2 6, *finis* 13. in lege Servilia p. 93 *ceiveis Romanei iustei sunto*. in Propertii II, 9, 27 *flentis*, III, 31, 8 *artificis*, V, 9, 8 *Incolumis*; ubi Hertzbergius p. 211 alios attendere iubet, ipse nihil novi aut veri adfert. in Martialis VI, 61 libri omnes *Meque sinus omnis, me manus omnis habet*; ubi Schneidewinum non intellego. *velantis panni* in Iuvenalis satura XIV, 300 Pithoeanus. Plautina exempla expendenda relinquam Friderico Ritschelio. sed in Varronis de lingua Latina libris, qui in VIII p. 440 volgo sine reprehensione et *hae puppis restis* et *hae puppes restes* dici testatur, haec observavi huius formae exempla a Lagomarsino relata, cum quo O. Mülleri indiculi p. 3 et 190 et 331 non omnino concinunt. libro V p. 16, 3 *non mediocris tenebrae*, p. 31, 2 *eae partis*, p. 62, 1 *quattuor quoque partis urbis* (sic Florentinus), p. 120, 4 *umbonis a Graeco quod ambonis*, in VIII p. 441, 8 *sint disparilis*, in IX p. 479, 5 *quod ut ex natis nascuntur lentis ficei* (Florentinus *sic et*) *lupinum*, p. 517, 1 *finiti casus omnis*, p. 526, 5 *si natione, sexu* (*u* addidi), *procreante dissimilis*, in X p. 583 *degenere multi utuntur, non modo poëtae, sed etiam plerique omnis qui soluta oratione loquuntur: haec primo* (ita haec traicienda sunt) *dicebant* etc. ex eodem Varrone Nonius p. 91, 4 *aquatilis querquetulae natantes*, p. 77, 5 *laudis erant maiorum*, p. 94, 23 *consuetudinis puerilis*, p. 154, 8 *innubae fiunt communis*, p. 167, 8 *pudentis Vixere (en patriam)*, p. 236, 27 *minoris natu*, p. 356, 16 *clamitantis*, p. 428, 24 *annalis*, p. 494, 17 *adulescentis*. in eiusdem rerum rusticarum libro II, 5, 9 *maris*, 7, 11 *praegnatis*, III, 5, 1 *pinguis*, 5, 13 *avis*. haec cum considerassem, non dubitavi membranarum fide uti, ubi inter se consentirent. habet autem uterque codex hic *animantis*, in II, 577 *visentis*, 955 *vitalis*, 1155 *plangentis*, IV, 397 *montis*, 452 *duplicis*, 1203 *aventis*, 1221 *parentis*, V, 216 *imbris*, 494 *partis*, 525 *pascentis*, 1072 *Florantis*, VI, 936 *omnis*. in dissensu tamen codicum secutus sum eum qui vulgarem formam praeberet. oblongus I, 12 *volucris*, 1034 *labentis*, V, 1315 *quatientis*, VI, 471 *vestis*, 671 *tempestatis*, 747 *montis*, 833 *volantis*. idem

Digitized by Google

v, 681 *noctis* in litura, ubi post *n* litteram quid prima manu scriptum fuisset dispicere non potui. quadratus III, 598 *omnis*, IV, 413 *gentis*. schedae I, 496 *retinentis*. Nonius *vestis* e I, 305 p. 175, 6, idem *gravis* e VI, 782 p. 394, 19, e VI, 160 *nubis* p. 506, 11. paucula sunt quae vix credam ferri posse. *poplitis* e IV, 952 Nonius p. 218, 21; cui tamen par est *peditis*, quod tribuit idem Sisennae p. 58, 19, et *segetis*, quod Vergilio p. 284, 6, Varroni *tegetis* p. 414, 23, *velitis* Sallustio et Varroni p. 552, 28 30 553, 10. *Uxoris* in IV, 1255 oblongus et quadratus, *odoris* in eodem 494 quadratus; quibus rectius esse puto quod Nonius habet p. 497, 15 e Turpilio, *primoris viros*, quod est prope ut *maioris*. sic tamen *pictoris* idem e Cicerone p. 471, 32, e Varrone *spectatoris* p. 492, 9. in V, 1085 membranae habent *gregis* et *grecis* pro recto casu, ut supra 744 *frugis* accusandi, *iudicis* recto lex Servilia p. 56, *rumicis* recto Nonius e Lucilio p, 224, 4. ita *carnificis* recto quadratus in III, 1017.

814. NI MIRUM QUIA MULTIMODIS COMMUNIA MULTIS MULTARUM RERUM IN REBUS PRIMORDIA MIXTA SUNT. Quadratus et schedae *primordia multa;* quod primus probavit miro iudicio Wakefieldus. a Forbigero iudicium expectari non potuit, sed in miserrimis assensio. rectius autem a Lambino adsumpsissent MULTA *modis*. sed placuit iis hoc vitiosum *multimodis multis* etiam in V, 187, quod noluerunt in IV, 1220, in I, 1024, in V, 424.

824. MULTIS COMMUNIA BELLIS. Corrector quadrati, Itali, Brixiensis editor, *multis communia* VERBIS. scilicet scriptum fuit BERIS; quod cum deberet esse BERUIS, u super R adscriptum LL visum est. hoc propterea exponendum putavi, quia Forbigero videtur 'mira varietas.' qui si hoc recte percipiet, fortasse iam per se dicere poterit unde in galliambum Catulli venerit illud ineptissimum *Geminas deorum ad auris* 75, cum poëta scripsisset *Geminas matris ad auris nova nuntia referens*.

830. NUNC ET ANAXAGORAE SCRUTEMUR HOMOEOMERIAN. Codex oblongus prima manu non, ut dicit Havercampus, *Homoiomeriam*, sed *homofomerian*, ex quo intellegi potest quonam scripturae genere exaratum fuerit exemplar archetypon. Servius ad Aeneïdos IV, 625, ut solet, falsus memoriae, *Nunc ad Anaxagorae veniamus homoeomeriam;* hac-

Digitized by Google

tenus tamen rectius, quod *et* pro *etiam* Lucretii orationi non magis convenit quam *nec* pro *ne quidem*, neque ei qui *patrii sermonis egestatem* incusat (utitur eius verbis Plinius in epistularum IV, 18) antiqui sermonis licuit violare castitatem. itaque dubitari non potest quin dederit *Nunc* UT *Anaxagorae scrutemur homoeomerian;* cum quibus in proximis, quae libri ita scripta exhibent,

834. PRINCIPIO, RERUM QUAM DICIT HOMOEOMERIAN, optime coit illud *Principio*, cui subiectum est 847 *Adde* et 859 *Praeterea*, non convenit *Principium rerum*, quod fecit Lambinus. quid quod ita ne dixit quidem usquam Lucretius, sed *rerum principia* I, 741 1047 II, 789: nec dici potest quam ignave ita hic versus cum prioribus conexus sit. ergo coniungenda haec sunt cum iis quae secuntur, hoc modo. *rerum* QUOM *dicit homoeomerian*,

835. OSSA VIDELICET DE PAUXILLIS ATQUE MINUTIS OSSIBUS HIC ET DE PAUXILLIS ATQUE MINUTIS VISCERIBUS VISCUS GIGNI. Quibus subicitur *putat*, neque in iis quicquam vitii est, nisi quod cum Marullo scribi oportet *Ossa videlicet* E *pauxillis*. nam *Ossibus sic et* unde Antonius Marii et codicum olim impressorum auctores sumpserint nescio: sed ne Marullo quidem vera scriptura innotuerat, qui fecit *Ossibus et sic de*.

837. SANGUEMQUE CREARI. Ita oblongus: quadratus *sanguēque*. SANGUENQUE Itali, Charisius p. 70, Nonius p. 184, 14 224, 9, Servius ad georgicon I, 139 et ad Aeneidos I, 211. Probus quoque p. 1448 Lucretium *hoc sanguen* dixisse refert.

843. NEC TAMEN ESSE ULLA IDEN PARTE IN REBUS INANE CONCEDIT. Antonius Marii *esse ulla parte idem rebus*, impressi *ulla parte idem in rebus*. sed cum Lucretius praepositione omissa ita non dicat nisi genetivo addito, *certa mundi languescere parte* V, 769, *alienis partibus anni* I, 181, *alternis partibus anni* V, 701, malo scribere *ulla* IDEM EX *parte*, ut in I, 667 *ex nulla facere id si parte reparcent*, in IV, 721 *Laedere ne possint ex ulla lumina parte*. est autem notandum hunc poëtam *ex parte* vel *ex partibus* semper dicere, I, 616 IV, 515 V, 721 VI, 694, sed *s* littera praecedente aliter, *suis*, *minimis*, *aestivis e partibus* II, 159 485 III, 545 V, 615. ante cetera vocabula quae ab eadem littera incipiunt, semper *e* praepositione

Digitized by Google

utitur, *e pauxillis*, *e perplexis*, *e procero*, *e pectore*, *e principiis*, *e primis*, *e parvis*, *e portis*.

846. ATQUE ILLIS VIRA QUOD DIXIMUS ANTE. Quadratus et schedae *quo*. bene Marullus *atque illi*, SUPRA QUOS *diximus ante*.

847. INBECILIA NIMIS. Itali et Veronensis editor IMBECILLA.

852. UT MORTEM EFFICIAT. Corrector quadrati et Itali EFFUGIAT.

853. IGNIS, AN UMOR, AN AURA? QUID HORUM? SANGUIS AN OS? Quadratus et schedae *Ignibus an umor*. in versu extremo, ut absurda praeteream, Antonius Marii *sanguis an, an os?* Naugerius *sanguis an, anne os?* Muretus *sanguis an ossum?* Lambinus *sanguen an ossa?* Gifanius *sanguis anne os?* horum priores ignorarunt *sanguis* et *pulvis* esse natura longa, correpta postea, neque semper, a Vergilio Horatio Tibullo: Gifanius qua arte veteres versus spondiazontas fecissent non didicerat. videamus quot res poëtam hic commemorasse probabile sit. in superioribus enumeraverat haec, *ossa*, *viscus*, *sanguen*, *aurum*, *terram*, *ignem*, *umorem*: hic *aura* addita recurrunt ex illis *ignis*, *umor*, *sanguis*, *os*, absunt autem *viscus*, *aurum*, *terra*. quid ni igitur horum certe unum in eum locum, ubi versus deficit, recipiamus? nam *sanguisan* nihil nisi *sanguen* esse satis apparet. scribatur ergo me auctore *Ignis*, *an umor*, *an aura? quid horum?* SANGUEN, *os*, AURUM?

860. SCIRE LICET NOBIS VENAS ET SANGUIN ET OSSA. Itali et impressi SANGUEN. cetera a Marullo frustra temptata Lambinus recte restituit, et his subiecit versum hunc, *Et nervos alienigenis ex partibus esse*. laudo ingenium et studium Lambini: sed debuit dicere se eum versum fecisse.

861. SINE CIBOS OMNIS COMMIXTO CORE DICENT ESSET HABERE IN SE. Itali SIVE *cibos omnis commixto* CORPORE *dicent* ESSE ET *habere in se nervorum corpora parva*.

866. OSSIBUS ET NERVIS SANIEQUE ET SANGUINE MIXTA. Verissimum est quod Avantius dedit primus, VENISQUE *et sanguine* MISTO.

873.874. PRAETEREA TELLUS Q.CORPORA CUMQ.ALIT, AUGET EX ALIENIGENIS, QUAE LIGNIS ORIUNTUR.

Digitized by Google

Hos versus Marullus delevit: restituit alterum Lambinus, in quo scripsit cum Italis *exoriuntur*. mihi uterque rectus videtur, si paulum adiuventur, hoc modo. *Praeterea*, cum ipsa ex alienigenis constent, *tellus quae corpora cumque alit, auget* eadem nullis aliis cibis et alimentis nisi quae sunt *Ex alienigenis, quae* ipsa ALIENIGENIS *oriuntur*.

882. ROBORE CUM IN SAXI FRANGUNTUR. 884. CUM LAPIDI IN LAPIDEM TENEMUS. Itali et impressi TERIMUS. ex utroque versu IN praepositionem sustulit Marullus, recte, ut puto, etsi cur addita sit non intellego.

885. HERBIS QUOQUE SAEPE DECEBAT. Marullus HERBAS, recte, quia sequitur ab eodem *decebat* suspensum *Herbarum genera et fruges frondesque*.

886. ET LATICES DULCIS GUTTAS. *Dulces* oblongus et Antonius, non impressi. LATICIS Antonius et Marullus. mox *simileque* quadratus et schedae: quadrati corrector *similesque*. in versu proximo *quali* quadratus et schedae, *qualis* oblongus, *quales* corrector oblongi et cum Italis impressi. Lambinus *lanigerae quali sunt ubera lactis*, optime: sed mihi alterum satis placet, *dulces guttas mittere* tales *quali oves sunt lactis ubere*.

890. DISPERTITA IN TERRAM LATITARE MINUTE. Hunc versum cum proximo omittunt quadratus et schedae. Itali et impressi *et in terram:* Marullus, si Candido fides, *Dispertita esse ac in terris:* Naugerius *Dispertita ac in terris*, Lambinus *atque in terris*. haec qui examinabit, singula incondita esse intelleget, pleraque vitiosa. Wakefieldus cum suis *ac in terram latitare*, scilicet ne priorum aliquo minus peccarent. perspicuum est poëtam scripsisse *Dispertita* INTER *terram*.

893. QUONIAM MANIFESTA DOCET. RES addidit corrector quadrati et ceteri.

900. DONEC FLAMMAE FULSERUNT FLORE COORTO. Marullus verissime FLAMMAI.

906. CONFICERET VOLGO SILVAS. Corrector quadrati et ceteri CONFICERENT.

909. CONTINGANTUR. Naugerius CONTINEANTUR, ut paulo ante versu 818. 'sed' Wakefieldus inquit 'variantium loquelarum iucunditas lepidissimo poëtae concedatur.' hunc graviter refutat Forbiger, cum satis esset digitum ad illa poëtae verba intendisse, *paulo quod diximus ante*.

Digitized by Google

912. Ignes e lignum. Cum Itali inepte fecissent *Ignes e lignis*, Wakefieldus quasi per nebulam suspicatus id vidit quod manifestum est, et *lignum*. viderat hoc ante eum corrector quadrati.

918. Haec ratione. Corrector quadrati et ceteri Hac.

919. Fiet utiris ut aemulo. Oblongus prima manu *ut emulo*. Itali et impressi *uti risu* tremulo. in II, 976 *et risu tremulo*.

922. Nec me animi fallit —— 927. Trita solo. Hos versus Macrobius in VI Saturn. cap. 2 profert ex libro primo Lucretii, collatos cum Vergilianis his ex georgicon III, 289, *Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum Quam sit et angustis hunc addere rebus honorem : Sed me Parnasi deserta per ardua dulcis Raptat amor. iuvat ire iugis qua nulla priorum Castaliam molli devertitur orbita clivo*. quorum absoluta interpretatione Servius adscripsit *Hic autem totus locus de Lucretio translatus est :* nec potest dubitari quin Vergilius hos versus in libro primo scriptos legerit. nihilo minus et horum extrema et quae secuntur Nonius se in libro quarto legisse testatur p. 319, 15 252, 8 413, 16 190, 24 241, 31. auctoritas utrobique paene par est, carmina ipsa libro primo accommodatissima, non quarti prohoemio, cui multo minus conveniunt illa, *Religionum animum nodis exsolvere pergo* (sic enim utrobique membranae, non *animos*), quam si praecesserit ut in primo *Nunc age, quod super est cognosce et clarius audi*, ex quo intellegimus poëtam id agere ut Memmii animum religionibus solvat. sed etsi concedamus haec ab utroque loco non aliena esse, tamen quibus versibus aliquis iam usus sit apto loco, eosdem inrevocatum iterare in alius libri prohoemio et pauperis ingenii est et nullius iudicii. quorum quia neutrum in Lucretium cadit, Forbiger, ut est infeliciter sagax, in libro primo διασκευαστὴν odoratur : hunc θυρσοπλῆγα fuisse mavult, Lucretium non credit, neque hunc illos divinos versus fudisse : Vergilium, quia simul aliud Lucretii carmen in usum suum convertit, quod est in libro V, 97 *Nec me animi fallit — quam difficile id mihi sit pervincere dictis*, ex libro primo nihil sumpsisse adfirmat, cum tamen et in sententiarum coniunctione et in illo *dulci amore* manifesta sint imitationis vestigia, idemque Vergilius ex his illa petierit,

Digitized by Google

Quarum, Musarum, *sacra fero ingenti percussus amore*, georg. II, 476, et *Obstipuit magno laudum percussus amore*, Aen. IX, 197. at ex hac una absurda repetitione qui recto iudicio utetur intelleget Lucretium opus suum non ipsum in publicum prodidisse: nam poëmatis editor si nullum libri quarti exordium a Lucretio scriptum habuit, facile potuit se officio suo satis fecisse existimare, si hos pulcherrimos versus in illo loco repetisset. et Lucretium quidem inter expoliendum poëma suum, primo tantum libro absoluto, decessisse multis argumentis firmissimis demonstratum inveniet qui hos commentarios porro legerit, idque Hieronymus in chronico testatum reliquit addito ipso emendatoris nomine. Hieronymus, inquam, non Eusebius, quem admodum nimis neglegenter dicunt editores Lucretii: imperitissime et Forbiger in dissertatione p. 126 suspicari se scribit Hieronymum sua ideoque fide minus digna Eusebianis admiscuisse, et Heusdius in epistula de Lucilio anno 1844 edita p. 9 Eusebium Armeniacum in eis quae neque habet neque habere potest ab Hieronymo dissentire dicit; ut appareat utrumque libro, cuius rationem non cognovisset, confidenter usum esse. Hieronymi verba subieci, quae Pontacus exhibet in numero Abrahae 1923, Scaliger 1922, Maius denique, isque solus recte, 1918. *Titus Lucretius poëta nascitur, qui postea amatorio poculo in furorem versus, cum aliquot libros per intervalla insaniae conscripsisset, quos postea Cicero emendavit, propria se manu interfecit anno aetatis* XLIV. numerus Abrahae 1918 est annus ab urbe condita Varronianus 655, quo anno M. Antonio et A. Postumio Albino consulibus Caesar quoque natus est. anno post hunc quarto et quadragesimo Lucretium obiisse Donatus satis confirmat in vita Vergilii cap. 2, ubi haec leguntur. XV *anno virilem togam cepit, illis consulibus iterum quibus natus erat: evenitque ut eo ipso die Lucretius poëta decederet*. Vergilius enim togam accepit ante idus Octobres Pompeio et Crasso iterum, hoc est anno 699; cuius mense Septembri incipiente excurrit annus Abrahae 1962, qui est a 1918 quadragesimus quartus: sed Hieronymum in rebus Romanis annos Iulianos secutum esse recte observavit Merkelius ad Ovidii fastos p. CCLXVIII. anni proximi 700 mense Februario scribit ad Q. Ciceronem Marcus frater libro II, 11 *Lucretii poëmata ut scribis ita sunt, non multis luminibus ingenii,*

Digitized by Google

multae tamen artis . in tam exacta temporum convenientia nihil obstat quo minus Hieronymum hic Suetonio satis recte usum esse credamus : nec dubitari potest quin fere eadem in commentariis in Lucretii carmen scriptis invenerit, quos vulgo notos fuisse testatur in apologia in Rufinum prima, tomo II p. 472 ed. Vallarsii . in re nota nihil opus fuit ut Ciceronis praenomen poneret , cum nemo ignoraret Quintum intellegendum esse, eum ipsum cuius frater de Lucretio iudicium probat, hominem in studiis poëticis versatum, neque a philosophia alienum, sed nulli certae disciplinae addictum. at nostri interpretes , quasi nullum nisi oratorem Ciceronem nossent, de Lucretii carminum emendatione mendacium esse clamant, cetera Donati et Hieronymi non exornata, sed ficta et commenticia pronuntiant. ego vero in Hieronymianis nihil omnino quod credi non possit invenio : neque enim totam poësin per intervalla insaniae compositam dicit, sed aliquam partem . olim fuisse qui se nomen quoque uxoris Lucretii repperisse putarent, Petrus Crinitus testatur : postea Scaliger, cuius insignem quendam errorem sciens praetereo, eandem rem quasi novam protulit ad Eusebium n. 1922. scilicet in nugacissimo libello, qui inter Hieronymi opera tomo XI editus est ita inscriptus , *Valerius Ruffino* , *ne ducat uxorem* , p. 245 haec leguntur . *Livia virum suum interfecit , quem nimis odiit ;* Lucillia *suum, quem nimis amavit. illa sponte miscuit aconitum , haec decepta furorem propinavit pro amoris poculo. amice, contrariis contenderunt votis istae, neutra tamen defraudata est fine fraudis femineae et proprio scilicet damno.*

931. QUOD MAGIS. In libro quarto 6 MAGNIS.

932. EXSOLVERE PORGO. In quarto PERGO.

942. SED POTIUS TALI FACTO RECREATA VALESCAT. In libro quarto *tali atacto*, ex quo quadrati ipse primus scriptor fecit corrigendo *tali attactu* . hoc absurdum est : attactu mellis non convalescet puer, sed absinthii potione, sive errore, ut placuit Tasso, *da l'inganno suo . tali facto recreata* probari posset, si hic Ovidii versus esset, qui scripsit in remediis amoris 479 *Quod siquis vestrum factum hoc incusat, Achivi;* scilicet non vestrum, sed meum . at veteribus in *facti* vocabulo singulari numero posito nullam subiecti variationem admittere placuit. itaque Plautus sine ulla ambiguitate scripsit in Epidico I, 2, 6 *Qui invident , omnis inimicos mi istoc*

Digitized by Google

facto repperi, meo facto repperi; item in Truculento II, 3, 22 *Post factum plector*, videlicet meum, non alienum. in persona secunda *Hem istoc me facto tibi devinxti* in Asinaria V, 1, 21. in persona tertia, in eadem fabula V, 2, 12 *Verum hoc facto sese ostendit*, eo quod fecit; in Captivis II, 2, 53 *Memini quom dicto haut audebat, facto nunc laedat licet*. idem plerumque observatur in impersonalibus, ut in Bacchidibus IV, 9, 93 *Persuasum est facere cuius me nunc facti pudet*, in Trinummo I, 2, 90 *Dedisti argentum? factum: neque facti piget*, in Mercatore V, 4, 24 *Itidem ut tempus anni, aetatem aliam aliud factum condecet* (libri *convenit*); non tamen semper: Terentius in Hecyra IV, 4, 24 *nequeo satis, Quam hoc mihi videtur factum prave, proloqui. Non tibi illud factum minus placet quam mihi, Lache;* Lucretius in III, 850 *Nec, si materiem nostram collegerit aetas, Pertineat quicquam tamen ad nos hoc quoque factum*. ambigua videri possunt quae in suspensa sententia sunt, ut in Poenulo I, 1, 69 *Tibi auscultabo. faciam ut facto gaudeas:* sed in talibus suspensa sola spectanda sunt, *ut facto gaudeas*, hoc est tuo; et in Mercatore II, 2, 51 *at ne deteriorem tamen Hoc facto ducas*, deteriorem hoc facto suo; in Milite IV, 8, 64 *Ante hoc factum hunc sum arbitratus semper servom pessumum*, hunc ante quam hoc facinus faceret; in Cistellaria I, 3, 16 *Quoniam reum eius facti nescit qui siet*. in horum postremo auctor facti incertus est, in Captivis II, 2, 102 reticetur, *Quam citissume potest, tam hoc cedere ad factum volo*. conveniunt cum his Horatiana, epistularum II, 2, 32 *Clarus ob id factum*, suum, item epistularum I, 2, 40 *Dimidium facti qui coepit habet*, et sermonum I, 6, 84 *pudicum, Qui primus virtutis honos, servavit ab omni Non solum facto verum opprobrio quoque turpi*, pudicum me a facto omni quo impudicus fierem. in cultiorem autem poësin non admittitur *hoc facto, tali facto, quo facto*, rarissima sunt *factum hoc, quod memoras factum* Aen. IV, 109, *tanti facti* Aen. VII, 232, *me nullo facto*, scilicet meo, apud Propertium IV, 6, 21. ne Ovidius quidem, qui in hoc vocabulo nimius est, *facto illo* dixit in metam. VI, 411, *impositum est non comparentis in usum Partis ebur, factoque Pelops fuit integer illo*, sed *facto ebore*. hic tamen habet quaedam a plerisque spreta, ut *Quo merui poenam facto?* metam. III, 654; *Quo tua non possunt offendi pectora facto, Forsitan hoc alio iudice crimen erit*, in remediis 427; *facto pius et sceleratus eodem*, metam. III, 5 IX, 408; *unoque*

Digitized by Google

duas ulciscere facto XIV, 36; *facto damnandus in uno* VII, 402; *Alterius facti culpa* trist. II, 208. in Lucretii versu apertum est scribi oportere *tali* PACTO *recreata valescat*. sic idem saepe *hoc pacto*, *alio pacto*, *eodem pacto*, *nullo* vel *haud ullo pacto*, item *tali ratione*, *tali natura*, *tempore tali*, *in tali tempore*, *opere in tali*.

943. PLERUMQUE VIDET. Oblongi corrector Saxo VIDETUR, ut in IV, 18.

954. NEC SIT, EVOLVAMUS. Lambinus optime *Nec* NE *sit*.

957. AN IMENSUM. Ita hic semel oblongus et quadratus.

966. IN OMNUS. Itali et impressi *in* OMNIS.

971. INVALIDIS UTRUM. Lambinus ID *validis*.

981. QUERAM QUID TELO DENIQUE FIET. Itali et impressi FIAT. versu proximo quadratus *Fiat uti*.

984. PRAETEREA SCATIUM SUMMA TOTIUS. Quadratus *catium*, corrector oblongi SPATIUM.

985. SI INCLUSUS. Itali et impressi INCLUSUM.

987. CONFLUXIT AD IMUM. Marullus CONFLUXET.

993. CORPORIBUS NULLAS. Antonius Marii et Brixiensis editor *nulla est*, rectius Veronensis NULLAST. nam neque Wakefieldo et Eichstadio parendum est, qui cum in aliis antiquam scribendi rationem nimis cupide sectentur, tamen in hac re temere spreta veterum codicum fide *est* semper omnibus litteris scripserunt, neque iis adsentiendum, qui nimis curiose interstitium faciunt, *nisi molestum st*, quo et silentium imperant et numerum syllabarum augent. ceterum in hac re codicum auctoritatem secutus sum, sive utriusque sive alterutrius, constantiam et certam scribendi normam non quaesivi. in publicis quidem monumentis usque ad Augusti principatus finem *est* semper plenum et intactum invenio, *scriptum est*, *captum est*, *cautum est*, *cavitumve est*, *in Africa est*, in Pisano *institutum est*, *supra scriptum est*, in Ancyrano *supplicatum est*, *inclusum est*, *quae proxima est*; quamquam *situs* pro *situst*, *Is hic situs quei nunquam victus est virtutei*, est in epitaphio L. Cornelii Cn. f. Cn. n. Scipionis, in s. c. de Genuatibus 17 *quei vocitatust*. epigramma anticum, quod Capuae extare, saeculo urbis Romanae septimo scriptum, a Theodoro Mommsenio didici (est in Orellii Sylloge n. 2277), *Non aevo exsacto vitai es traditus morti*; in quo

Digitized by Google

versu *vitai's* dicendum esse docebo ad librum III, 374 . in fastis Praenestinis Verrius Flaccus semel IV. k. Mai. *dedicatast*, in iisdem saepe *dedicata est* . Festus p. 334, 1 Verrione an se auctore scripserit *praetervectast* , vix licet quaerere . in Lucilii versibus , qui sunt apud Nonium p. 2, 29 monstruose corrupti, monstra ipsa *est* vocali sua truncatum fuisse ostendunt , *In numero quorum nunc primu' Trebelliu' multost Luciu': nam sanat febris , senium , vomitum , pus :* libri enim habent *multos Titos Lucios narcesibai febris* . idem Lucilius apud eundem p. 78, 9 *omnis in unast Res homini bulga , bulga haec devincta lacerto est ;* ubi libri *in una seti hominibus bulga haec devincta certo est* . in Ciceronis accusationis libro I, 153 scribi debet *communi praesidio talis inprobitas tamquam aliquod incendium restinguendumst* , quia Vaticanus p. 410 Mai habet *restinguendum sit :* vulgo minus eleganter *restinguenda est* . in Vergilii georgicon II, 272 legebat *multumst* Velius Longus p. 2238 . Horatius in carmine saeculari et in quarto carminum libro longas vocales non elisit : ergo in huius ecloga tertia scripsit *Totum muneris hoc tuist*, non *tui est* . et protulit eius modi non nulla Orellius e codice Bernensi antiquissimo, ut *quantost*, *tantist*, *ergost*, *quaesitumst*, in sermonum I, 1, 59 et in arte poëtica 304 353 409 . in pentametrorum exitu Ovidius scripsisse putandus est *pars bona montis east , cura novata meast*, *sacra roganda viast*, *laesa figura tuast*, *ferre gravest*, *non adeunda pedest*, *palma petenda mihist*, *repexa modost ;* item Tibullus *non tibi culta comast , aperta viast*, *facta tubast*, *puella bonast , salva puella tibist ;* Propertius *clausa puella meast*, *illa futura meast* , *siqua tuast , perfidiast , caeca viast , si patiare levest , in amore rotast , nunc mihi dulcis aquast , invidiosa deast*, *Carpathium omne marest , ancora iacta mihist :* neque Catullus aliter dicere potuit, sed scripsit *pollicitast , culpa tuast , dulce mihist , laetitiast* , quia in illa pentametri parte elisio locum non habet. itaque Priapeorum poëtae similiter *deast*, *meast*, *tuast* , *merdaceast*, et Martialis *meast* , *tuast* , *datast* , *pilast*, *rosast* , *viast* , *casast* , *ferast*, *gulast*, *gravest*, *benest*, *tibist*, *homost*, *Sardiniast* , *suppositast* , *sandapilast*, *luxuriast*, *pigritiast*, *cheragrast* , *pudicitiast* , *difficilest* (sic plane Puteaneus in XIII, 48), *similest* , *condiciost* . atque eadem ratione Propertio cogimur adscribere hoc , *facta superba dea's* III, 33, 14 , et Catullo *pollicita's* 66, 34 et *Lesbia amata mea's* 87, 2 ; quamquam Ovidius

Digitized by Google

in fastorum IV, 456 videtur potius scripsisse *filia*, *dixit*, *ubist?* quam *ubi's*. nam *es* ita truncatum praeter quam apud comicos rarissime invenietur. Lucilius apud Nonium p. 13, 27 *nam tu solu'* (libri *sannunt solis*) *mihi in magno maerore*, *Tristitia in summa et crepera re* (libri *sumino crepera*), *inventu' saluti's*. in Catulli carmine 66, 27 *adeptus* libri pro *adepta's*. dixit tamen Martialis quoque in exitu pentametrorum *vetula's* et *fatua's* III, 32 72, *homo's* autem septiens. in eadem versus sede non omnes *m* litteram cum verbo substantivo colliserunt. Catullus *miserumst*, Propertius *parumst*, *domumst*, *virumst*, Ovidius *malumst* amor. II, 9, *virumst* remed. 60, *meumst* fast. I, 120, *adulteriumst* trist. II, 430, *meumst* III, 14, *tuumst* V, 9, qui scripsit epistulam Medeae *meumst*, 12, 206, Martialis *forumst*, *garumst*, *archetypumst*, *meumst*, *lucrumst*. ac nequis hanc mutilatam verbi formam omni condicione pariter omnibus probatam putet, in eodem pentametri loco Ovidius longam syllabam non raro admisit, velut *dolost*, *meost*, *meast*, *locost*, *fugast*, *solost*, *rogost*, *forost*, *tuist*, *malist*, *iocost*, *sonost*, *bonost*, *deaest* (Ib. 378), *notast*, *meaest* (Pont. II, 7, 38), *manust* (IV, 1, 14), nec nimis raro qui eius nomine epistulas heroidum scripserunt, ceteri vix usquam, Catullus semel *meast* 87, 4, Propertius *domost*, *viast*, *marist*, *solost*, *salost*, *deost*, *meast*, Martialis bis, *domist*, *virost*, nullus omnium extra disyllaba.

994. SEDES UBI PONERE POSSIT. Itali et Marullus POSSINT.

996. PARTIBUS CUNCTIS, INFERNAQUE SUPPEDITANTUR. Itali et impressi *Partibus in cunctis:* sed rectius addemus E, quod est in versu 217. deinde Marullus AETERNAQUE, rei convenienter, quamvis secus videatur Wakefieldo et Forbigero, qui quotiens philosophantur delirant.

1008. IPSO MODUM. Corrector quadrati et ceteri IPSA.

1009. QUE CORPUS INANE. Recte INANI Itali. sed iidem et impressi sine causa *quia*.

1012. AUT ETIAM ALTERUTRUM, NISI TERMINET ALTERUM, EORUM SIMPLICE NATURA PATEAT TAMEN INMODERATUM. De his versibus Madvicus egregie disputavit in opusculis prioribus p. 313, post quem aliorum interpretum rationem habere supervacaneum est. dixit poëta rerum universitatem neque extrinsecus finiri posse (1001) neque sibi ipsam finem ponere (1009). 'hoc ne faciat' inquit, 'natura

Digitized by Google

cavet, quae corpora inani et inane corporibus determinat, *Ut sic alternis infinita omnia reddat*.' his subicitur *aut etiam*, quod Madvicus, si eius mentem recte capio, (videntur autem ei post *inmoderatum* aliquot versus periisse) illis superioribus subiungit hac fere ratione. 'natura prohibet omni fines, quod alterna finitione infinitum reddit: aut, si hoc non fiat, tamen etiam alterutrum, sive corpus sive inane, altero non terminante infinitum pateat; [quod est absurdum: nam neque corpora infinita spatium haberent,] *Nec mare nec tellus* et cetera, finita scilicet in infinito, *Exiguum possent horai sistere tempus*.' sed haec aut fallor aut non recte procedunt. nam si Lucretius hic disiunctione usus est, eius tria membra erant, 'aut utrumque infinitum, aut neutrum, aut alterutrum.' itaque horum medii cum nulla mentio sit, videtur mihi potius hypothesis esse in his, *alterutrum nisi terminet alterum*, hoc modo. 'corpus inani et inane corpore finitum infinitatem efficit: *aut*, si natura hac lege uti desinat, *etiam alterutrum eorum, nisi alterum terminet*,' — quid iam? nam nunc apparet, opinor, non alibi quam post *eorum* aliquid excidisse: pergamus ergo sic, 'etiam alterutrum infinitum *[motum atque universam naturam everteret]*.' id qua causa eventurum esse statuendum sit, Epicuri verbis dicam, quae huc pertinere interpretes recte viderunt, quae sunt apud Laërtium Diogenem x, 42. εἴτε γὰρ ἦν τὸ κενὸν ἄπειρον, τὰ δὲ σώματα ὡρισμένα, οὐδαμοῦ ἂν ἔμενε τὰ σώματα, ἀλλ' ἐφέρετο κατὰ τὸ ἄπειρον κενὸν διεσπαρμένα, οὐκ ἔχοντα τὰ ὑπερείδοντα καὶ στέλλοντα κατὰ τὰς ἀντικοπάς· εἴτε τὸ κενὸν ἦν ὡρισμένον, οὐκ ἂν εἶχε τὰ ἄπειρα σώματα ὅπου ἐνέστη. sed Lucretius, quod Madvicum non fefellisse apparet, horum ordinem invertit, hoc modo. '*[nam si inane finitum sit, corporibus infinitis locum non praeberet: aut si corpora numero finita sint, inane autem] Simplice natura pateat tamen inmoderatum, Nec mare nec tellus neque caeli lucida templa — Exiguum possent horai sistere tempus*.'

1017. DE COETUM MATERIA. Corrector quadrati et ceteri *de* COETU MATERIAI.

1019. CONCRETA OREASSET. Antiquissimi correctores utriusque exemplaris CREASSET.

1023. NEC QUOS QUAEQUE SAGACI MENTE LOCARUNT. Marullus ex v, 423 *Nec quos quaeque* DARENT MOTUS PEPIGERE PROFECTO.

Digitized by Google

1028. QUALIBUS HAEC REBUS CONSISTIT SUMMA CREATA. Libro v, 194 *si in talis dispositurasDeciderunt quoque et in talis venere meatus, Qualibus haec* RERUM *geritur nunc summa novando*. ex quibus apparet quam nullo iudicio Eichstadius et Forbiger Fabro recte monenti repugnent.

1033. SUMMAQUE GENS ANIMANTUM FLOREANT. Prorsus egregie Marullus SUMMISSAQUE *gens animantum* FLOREAT.

1036. EX INFINITO. Ita quadratus, *infinitu* oblongus. utriusque corrector *infinita:* ita quadratus versu 1025.

1037. AMMISSA. Sic oblongus, *admissa* quadratus. in utroque factum AMISSA.

1040. DISSOLUIT. Corrector quadrati et ceteri DISSOLUI.

1041. ALIQUA RATIONE AVERSA VIA. *Viai* corrector quadrati et Itali et Marullus. sed Lucretius sine hoc Graecismo dixit in v, 415 *Inde ubi vis aliqua ratione aversa recessit*. quare malo VIAQUE.

1047. PRINCIPIUM RERUM. Marullus PRINCIPIIS.

1061. ET SIMILI RATIONE. Hic editores se formam et conexum orationis nullo modo percepisse male interpungendo ostendunt. prima sunt haec. *Illud — fuge credere —, In medium summae quod dicunt omnia niti*. illi *quod dicunt* a cetera oratione excludunt; quo pacto ea quae secuntur intellegi non possunt. nam secuntur haec ab illo *dicunt* suspensa, *Ipsum si quicquam posse in se sistere credis;* quibus simillima sunt quae habemus in iv, 364, *Umbra videtur item nobis in sole moveri Et vestigia nostra sequi gestumque imitari; Aëra sì credis privatum lumine posse Indugredi motus hominum gestumque sequentem*. sic Cicero de natura deorum i, 36 *atque idem hic alio loco aethera deum dicit; si intellegi potest nihil sentiens deus*. porro eidem *si credis* subiuncta sunt haec, *Et quae* pondera *sunt sub terris omnia sursum* Nitier *in terraque retro* requiescere *posta*. hic subsistendum est: nam proxima nimis inepte eodem referunt, *Ut per aquas quae nunc rerum* simulacra *videmus:* nulla enim ponderum et in aqua simulacrorum similitudo est, quae neque sursum nitantur neque requiescant, sed in aqua vagentur. tum post illud *si credis* mire ita pergitur, Et *simili ratione animalia suppa vagari* Contendunt. quod si ibi ubi dixi subsistemus, cetera optime coibunt; nisi

Digitized by Google

quod illud *Et* sic quoque importunum delendum est, hoc modo, *Ut per aquas quae nunc rerum simulacra videmus*, ADSIMILI *ratione animalia suppa vagari Contendunt*. sic *Adsimili ratione* in II, 493, ubi fefellit correctorem quadrati (is enim fecit *At*), et in IV, 425, ubi antiquus corrector oblongi item rescripsit *atsimili*.

1063. INFERIORA MAGIS. Claudius Sacerdos p. 28 *et Lucretius interiora magis pro inferiora*. sed errat.

1068. SED VANUS STOLLIDIS HAEC. Hunc versum dimidiatum cum septem proximis oblongus habet, quadratus et schedae omittunt appicta in margine cruce et numero VIII. in hoc versu STOLIDIS corrector oblongi. in fine Marullus *haec omnia parturit error*, ante eum Itali *haec omnia finxerit error*.

1069. AMPLEXI QUOD HABENT PERV. Marullus *Amplexi quod hebent perverse prima viai*, Itali *Amplexi quod habent spatium per utrumque viai*. vaticinari nec didici nec cupio.

1070. NAM MEDIUM NIHIL ESSE POTEST. Addit Marullus *ubi inane locusque*, male omisso *sunt*. verum esse puto *Nam medium nil esse potest*, ubi summa profundi est *Infinita*. ita in VI, 485 *summamque profundi Esse infinitam docui*.

1071. INFINITA DENIQ. OMNINO SI IAM. Verissime Marullus NEQUE *omnino, si iam* MEDIUM SIT.

1072. 1073. POSSIT IBI QUICQUAM CONSISTERE QUAM QUAVIS ALIA LONGE RATIONE. Marullus hic et a sententia et ab arte aberravit scribendo *Possit ibi quicquam hac potius consistere causa Quam quavis alia longe ratione manere*. nec multo melius, si forte *regione* scripsit, quod edidit Avantius. verba non omnia praestabo, sed rei satis facient haec. *Possit ibi quicquam consistere* malle putari *Quam quavis* ALIO *longe ratione* meare.

1074. SPATIUM QUOD IN. Satis bene Marullus *quod* INANE VOCAMUS. ante eum Itali *vocatur*.

1075. 1076. CONCEDERE AEQUIS PONDERIBUS. Recte Wakefieldus *concedere* DEBET: sed cum Marullo legendum est AEQUE. inane ponderibus, quacumque motus eunt, pariter cedit. hoc a Bentleio probari Forbiger miratur, videlicet ipse cum Wakefieldo *aequis ponderibus* interpretans τῇ κουφοτάτῃ καὶ τῇ βαρυτάτῃ ἀτόμῳ. ni mirum his *aequa*

Digitized by Google

ea ipsa corpora sunt quae Lucretius in II, 235 *ponderibus non aequis* ferri dixit.

1076. QUA CUMQUE FERUNT. Sic oblongus: FERUNTUR quadratus. Itali *ferunt se*.

1077. QUO CORPORA COM VENER. Oblongus sic, sed ante quam raderetur *comveneri:* quadratus *cōvenir̄*, id est *com venirunt*, schedae *comvenīrt*. huius quoque et superioris versus extrema rescissa fuisse apparet. *venere* scribendum sit an *venerunt*, incertum esse ostendi ad versum 467. *com* iterum habet oblongus in II, 194, quadratus in IV, 575 et in V, 399, idem *com primis* in VI, 225 et in II, 166 *cōparatione* pro *cum ratione*. *quom* quater veteres consensu, IV, 586 1204 1208 (quadratus *quoin*) V, 1082 (quadratus *quoin*): in IV, 1097 *quom querit* oblongus manu prima, ubi quadratus *quum*. oblongus in IV, 265 *con tundimus*, quadratus *cum:* in VI, 594 quadratus *con venit*, oblongus *cum*. e Lucilio Nonius p. 370, 18 *Quanti vos faciant socii, com parcere possint*. e Cicerone Charisius p. 191 *quem com a re familiari ut desipientem removissent*.

1078. STARE INANI. Marullus IN *inani*.

1081. 1082. TENERI RES IN CONCILIUM, MEDII CUPPEDINE VICTAE. Libro II, 563 *Numquam in concilium ut possint compulsa coire*. ita, *compulsa coire*, non *teneri*, *in concilium*. grammaticorum artes pura huius poëtae oratio non recipit. Marullus *in concilio:* sed praestat scribere *in concilium* VECTAE. ita *convecta* II, 101 et 1061 V, 429.

1091. QUOD CALOR A MEDIO FUGIENS SIBI CONLIGAT OMNIS. Laudandus Wakefieldus, quod vidit scribi posse SE IBI *conligat*, sed idem reprehendendus, quod *ibi conligat* eodem iure dici putavit. de elisione longae monosyllaborum vocalis in brevi syllaba praeclare disputavit Mauricius Hauptius in observationibus criticis, ubi p. 17 haec Lucretiana exempla enumeravit, *Nec me animi*, *Quod te imitari*, *Quod si in eo*, *quoniam tu animo*. nostrum lenius est eo quod postremum posui. addenda sunt *quae alienigenis* I, 874, *In se animam* III, 574, *loci vi ibus* VI, 755.

1093. POSSE, NISI A TERRIS PAULATIM CUIQUE CIBATUM. Huic versui in quadrato eadem crux apposita est quam supra esse dixi ad versum 1067. hac nota scriptor schedarum deceptus est: certe Gudius in iis hunc versum qui a *Posse* incipit ante 1067, qui est *Dividere et noctes*, a se

Digitized by Google

lectum refert, idque Henrichsenius confirmat. est autem crucis illius eadem utrobique significatio: nam in codice oblongo hic spatium octo versibus recipiendis aptum relictum est. iam quid hoc rei sit apparet. in libro eo ex quo nostri descripti sunt pars schedae rescissa erat: versus octo in fine mutilos scriptor oblongi servavit: qui capite truncati essent in pagina interiore, eos octo ne hic quidem scribere ausus est. bene sit illi, quod defectum tam curiose indicavit: sed quid de Havercampo dicemus, qui hoc ne commemorandum quidem duxerit? ceterum numerus versuum ad eam rationem quam supra exposui absolute convenit. in priore schedae parte fuerunt versus viginti sex, quos notavi numeris a 1068 ad 1093, in adversa viginti quattuor relicui, quibus subiecta erant ea quae oblongus habet contra antiquiorum usum in summa pagina scripta, TITI LUCRETII CARI DE RERUM NATURA LIBER I EXPLICIT INCIPIT LIBER SECUNDUS. sed ab eo huius libri versu qui notatus est numero 785, quem schedae sextae decimae ultimum esse docui ad versum 734, usque ad 1068, qui est primus, ut puto, vicesimae tertiae, sunt carmina CCLXXXII et capitula tria, hoc est versus CCLXXXV, quae sunt paginae versuum vicenum senum undecim uno versu minus, cum rationi debeantur duodecim, quoniam librum secundum in antica schedae pagina incipere ad huius versum 253 videbimus. itaque in codice archetypo unam ex his duodecim paginis nihil inscriptum habuisse conicio, ante versum autem 921 interstitium fuisse, quod librarii nostri neglexerint.

1105. NEVE RUANT CAELI TONETRALIA TEMPLA. Lambinus inepte *tonitralia*. ante eum impressi libri omnes PENETRALIA *templa*. quadratus *Ne vertant*. Lucilius *Suspendatne se anne in gladium incumbat, ne caelum ruat:* apud Nonium p. 502, 8 *an in* et *caelum vivat*.

1106. ET OMNIS — 1108. AVEANT PER INANE PROFUNDUM. *Et omnes* prima manu oblongus. hoc probari non debuit: nullus enim hic in rerum universarum interitu hominum commemorationi locus est, quasi in eis summa rerum sit. necessario scribendum est *et* OMNIA — *abeant*. Vergilium ita in versus fine posuisse *quin protinus omnia* Aen. VI, 33, nemo ignorat. eidem in georgicon IV, 221 *deum namque ire per omnia* pro *per omnis* egregie restituit Perlcampus ad

Digitized by Google

Aeneidos VII p. 21 . itaque Lucilius apud Nonium p. 281 *primum dominia atque sodalicia omnia Tollantur* . et , puto , primus omnium Ennius *Indo tuetur ibi lupu' femina , conspicit omnia :* codices Nonii *omnis* p. 378 . tempore postremus fortasse is qui scripsit de bono viro versus (anthologiae Lat. v, 141) 24 *sic dicta et facta per omnia Ingrediens* . sed Lucretio quoque idem reddendum est et hic et in II, 719 , ubi libri eodem modo peccant . huius generis alia exponam ad librum II, 829 et ad III, 917 .

1114. HAEC SIC PERNOSCES PARVA PERDUCTUS OPELLA . Neque *sic* aptum est, neque *perductus* . nam *sic* neque ad superiora referri videtur , et putide adiectum erit in *parva opella :* nec *perducentis* parva opera futura est , sed discentis . Marullus *si* scripsit , et versu proximo *non tibi :* Lambinus fecit *perfunctus opella* . possunt haec facilius ita procurari ut scribamus *Haec* , SCIO , *pernosces parva* PERDOCTUS *opella* . bis eadem praepositione uti antiquae elegantiae est . sic libro VI, 42 *Quo magis inceptum pergam pertexere dictis* . eodem 138 *Perscindat nubem perfringens impete recto* . ibidem 916 *Usque adeo permananter vis pervolat eius* . II, 1116 *Donique ad extremam crescendi perfica finem Omnia perduxit* . in III, 936 *omnia pertusum congesta quasi in vas Commoda perfluxere* . in VI, 543 *His igitur rebus subiunctis suppositisque* .

II, 1. SUAVE MARI MAGNO . Servius ad Aeneidos V, 628 *Suave mare magnum* . mox commentator Horatii Cruquianus p. 551[a], qui utitur versu primo et secundo , *motantibus* pro *turbantibus* . in secundo Marius Victorinus p. 2475 testatur esse *e vocalem per se sine societate atque adminiculo consonantis ;* quod contra apud Nonium in *spectare* p. 402, 13 scriptum est *Et terrae* .

5. PER CAMPOS . 6. SUAVE ETIAM . Haec carmina inverso ordine primus Avantius edidit , cui Naugerium et Wakefieldum , hunc quidem cum admiratoribus suis , non paruisse turpius est quam Italos ac Marullum intricata et inepta tolerasse .

12. PRESTANTE PLABORE . In libro III, 62 *prestante tabore* . in secundo Itali et impressi LABORE ; in tertio dum taxat impressi , nisi fallor . sed Venetus ibi *laborem* .

15. QUANTISQUE PERICTIS . Corrector quadrati et Lactantius institut. I, 22, 48 PERICLIS . idem Lactantius *O*

Digitized by Google

stultas ubi in nostris est *miseras:* item Lactantii exemplarium maior pars *Qualibet in tenebris* . mox Nonius p. 278, 15 *Degimus hoc*.

16. NONNE VIDERE. Donatus ad Phormionem Terentii II, 1, 2 'Nec meum imperium.' *rara* ἀποσιώπησις . *nam* non *sequitur sed* (haec coniunctio delenda est): *intulit enim* age. *subauditur autem* revereri . *sic Lucretius Nonne videre* . haec a Gifanio recte relata in conlectaneis p. 383 Wakefieldum Eichstadium Forbigerum non retinuerunt quo minus probarent quod Italis et Marullo placuerat , *nonne videre est;* quod dicendi genus Lucretio indignum esse dicemus libro v, 533. at illud alterum Latinum et exquisitum est, *nonne videre?* in indignatione, hoc est nonne vident? sic M. Tullius de finibus II, 29 *hoc vero non videre!* quibus mox subiciuntur haec, *hoc igitur idem non videt*. ibi interpretes addunt ex eiusdem operis libro IV, 76 *hoc non videre!* et ex libro V in Verrem 14 *tantumne vidisse in metu periculoque provinciae?* idem pro Cluentio 15 *o audaciam singularem! nonne* (alii *non*) *timuisse, si minus vim deorum hominumque famam , at illam ipsam noctem facesque nuptiales? non limen cubiculi, non cubile filiae* . quae sunt acriora quam si dixisset *videt vidit timuit* . Terentius in Andria I, 5, 18 *Tantamne rem tam neclegenter agere?* et V, 3, 8 *Adeo inpotenti esse animo!* item in Eunucho IV, 3, 2 *Hocine tam audax facinus facere esse ausum?* haec quidem omnia in tertia persona , ad quam ea quoque pertinent, a quibus exorsi sumus , in Phormione II, 1, 2, *Itane tandem uxorem duxit Antipho iniussu meo? Nec meum imperium , ac* (multi *age*) *mitto imperium , non simultatem meam Revereri saltem? non pudere?* secunda persona est in his . in Eunucho II, 1, 2 *ah Rogitare! quasi difficile sit*. in Phormione V, 9, 53 *Nil pudere?* in Heautontimorumeno V, 4, 18 *Non mihi per fallacias adducere ante oculos?* hoc est Non adducis meretricem? ubi Bentleium non intellego. prima persona locum habet in his quae sunt in Andria V, 2, 29 , *nonne te miseret mei? Tantum laborem capere ob talem filium!* hoc est *capio*. similiter Plautus in Aulularia II, 5, 12 *Tibi recte facere?* hoc est Tibi bene facio? *quando quod facias perit*.

17. NIHIL ALIUD SIBI NATURAM LATRARE, NISI UT, QUI CORPORE SEIUNCTUS DOLOR ABSIT, MENTE FRUATUR IUCUNDO SENSU, CURA SEMOTA METUQUE. In his

Digitized by Google

male Marullus *nisi utque dolor absit mensque fruatur*. Avantius rectissime *ut* CUI *dolor absit;* nisi quod *naturae* inepte adscribitur quod est hominis, ut ei *corpore seiunctus dolor absit* et ut *fruatur iucundo sensu*. itaque probandum est quod a Bentleio secum communicatum Creechius, nomine eius ut solet suppresso, 'forsan rectius' esse dicit, *cura* SEMOTU' *metuque:* itaque ante eos Gifanius. sed mihi librarii in medio quoque horum versuum videntur in *s* littera elisa peccasse, ut scribendum sit MENTI' *fruatur Iucundo sensu*, non, quod est minime elegans, *mente fruatur sensu*. infra in hoc libro 399 *mellis lactisque liquores Iucundo sensu linguae tractentur in ore*, non *lingua*.

25. LAMPADAS IGNIFERAS. Sic Maximus Victorinus p. 1967. apud Macrobium Saturn. libro VI, 2 olim impressi (editione Brixiensi anni MCCCCLXXXV utor, neque usquam in Lucretianis curo novas temere interpolatas) *Lampadas inferas*.

27. NEC DOMUS ARGENTO FULGET AUROQUE RENIDET. Apud Macrobium *fulgens* et *renidens*; quod Marullus male recepit, quia huius poëtae elegantiae parum accommodatum est. sed multo minus probari potest *fulget:* nam Lucretius neque *fulgeo* usquam dixit, sed *fulgo*, neque syllabas breves in caesura producere ausus est. quare mihi veri simillimum videtur eum scripsisse *argento* FULGENTI *auroque renidet*. ceterum plerique hodie neglegentia intolerabili et huic poëtae, qui versus suos ad regulam et amussim composuit, quamcumque licentiam incuriamque temere adscribunt, et ceteros in productione brevium, quae in versuum caesuris fit, ab usu Vergiliano longe abhorrere ne animadvertunt quidem. nam quod poëtae Graeci in arte domi nata ausi sunt, ut saepe versus pangerent vix specie ceteris, quibus interveniunt, similes, Φίλε κασίγνητε, θάνατόν νύ τοι ὅρκι' ἔταμνον. Εἰλαπίνη ἦε γάμος; ἐπεὶ οὐκ ἔρανος τάδε γ' ἐστίν. Νᾶσός τ' Αἴγινα ναυσικλείτη τ' Εὔβοια, hoc nisi Latini studiose vitassent, versus peregrinos suis hominibus non poterant approbare. itaque vocales breves in exitu vocabulorum positas, praeter illud *que* geminatum, *Liminaque laurusque, Noëmonaque Prytanimque*, quo primus Maro usus est, maior pars abstinuit, nullum poëtam Latinum produxisse credo, sed quaecumque extant huius licentiae exempla a librariis indiligentibus in-

Digitized by Google

vecta iudico. hoc ea ipsa quae aliquam speciem habent paucitate sua persuadent. unus est huius modi versus Ennii, quem protulit Probus ad Vergilii eclogam VI p. 19, 11, *Et densis aquila pinnis obnixa volabat Vento:* duo sunt Vergiliani, quorum alterum notarunt grammatici, ut Sergius p. 1830, *Dona dehinc auro gravia sectoque elephanto*, in altero ne Servius quidem metri mentionem fecit, *Sancta ad vos anima atque istius inscia culpae*. hos igitur satis probabiliter ita restitui posse existimo, ut scribatur *aquila hinc, a sectoque elephanto, Sancta ad vos anima atque anima istius;* quae siquis propterea improbabit, quod alia quae emendationem suadeant argumenta praeter metri insolentiam nulla dici possunt, certe illa rarissimae et vix probandae exempla esse agnoscet audaciae, quam non credibile sit ultra tribrevia vocabula umquam processisse. nam Horatii editorum superstitionem nemo probabit, spero, qui nondum ausi sint in libro I sermonum 3, 7 scribere *io bacchae*, monstratum olim a Turnebo in adversariis XIII, 1; sive poëta bacchas carmine perpetuo *citatas* et compellatas dicit eo modo quo M. Tullius de finibus libro II, 18 *Graecos anapaesto citatos*, sive ipsum carmen ita *citatur*, hoc est celeri ἀρωγῇ peragitur, ut Catullus *citata tripudia* dixit 63, 26, ut *citari paeanem* Cicero de oratore I, 251 et *ithyphallica* Terentianus Maurus versu 1845. in Iuvenalis satira X, 54 nihil sani est aut in his, *Ergo supervacua aut perniciosa petuntur*, aut in proximo versu: sanabuntur omnia scribendo *Ergo, supervacua aut ne perniciosa petantur, Propter quae fas est genua incerare deorum?* in Tibulli I, 7, 61 nemo nunc probat quod libri exhibent, *Te canit agricola, magna cum venerit urbe*. porro e consonantibus *t* littera Ennio, ut supra dixi, in fine vocabulorum tam crassum reddere visa est sonum, ut posset syllabam longam facere: in aliis litteris haec tantum inveni. *Postilla, germana soror, errare videbar; O pater, o genitor, o sanguen dis oriundum; Interea fugit albu' iubar Hyperioni' cursum; Imbricitor, aquiloque suo cum flamine contra; Sic expectabat populus atque ora tenebat*. Lucretii et Lucani nulla omnino est in hoc genere licentia. plerique non nisi in legitima caesura vel ante vocabula Graeca breves finales produxerunt. ita Lucilius apud Nonium p. 362, 7 *Cetera contemnit | et in usura omnia ponit.* Catullus *auctus Hymenaeo, iam dicetur Hymenaeus*. Propertius

Digitized by Google

Et tibi Maeonias inter heroidas omnis, Nulli cura fuit | externos quaerere divos. Horatius iisdem condicionibus nulla nisi in *t* litteram exeuntia, *Quam si quidquid arat | inpiger Apulus, Perrupit Acheronta, Si figit adamantinos, Callidus ut soleat | umeris, Exclusus qui distat, agit | ubi secum eat an non*. accedit quod hic in epistulis, item in arte poëtica et in quarto carminum libro, omnem hanc licentiam omisit. sed ne in ceteris quidem haec ferri possunt, *Sic raro scribis ut toto, Confidens tumidus adeo, Caeca timet aliunde fata;* in quorum ultimo scribendum est *neque ultra Caeca timetve aliunde fata*. de Ovidio nuper hoc anno XLVIII cum cura exposui in libello academico, quo eius non plures quam octo epistulas heroidum superesse demonstrare volui.

28. NEC CITHARE REBOANT IAQUEATA AURATAQUE TEMPLA. Macrobius in Saturn. VI, 2 *cytharam*, idem in eiusdem libri capite 4 *cythara*. *iaqueat* oblongus et schedae, LAQUEATA Macrobius. idem altero loco *tempe*, altero TECTA. hoc plerique recte probarunt: nam verum non est, quod Wakefieldus dicit, '*templum* more Lucretiano valere *tegmen* — concavum lacunar.' pro *aurataque*, quod Macrobius confirmat, quadratus *auroataque*. mihi vero in domo *auro renidenti*, qualis versu proximo dicebatur, *aurata tecta* satis inficete commemorari videntur. itaque poëtam scripsisse existimo *laqueata ornataque tecta*. Ennius *Tectis caelatis laqueatis, Auro ebore instructam regifice*.

33. CONSPERGUNT. Apud Macrobium libro VI, 2 *conspargunt*. eum versum cuius initium est *Propter aquae rivum* praeter Macrobium refert Donatus ad Adelphos IV, 2, 37 non addito libri numero: is autem iterum scriptus extat in libro V, 1393.

39. QUOD SUPERES. Itali et Veronensis editio *super* EST.

41. FRUERE CUM VIDEAS. Quadratus *Eruere cum videres*. hic nisi olim erratum fuisset, Nonius hoc versu non minus quam illo de quo post 43 dicetur usus esset: nam recte quadrati corrector, Itali, impressique, FERVERE. in libro III, 200 oblongus *fruuntur*, quadratus *fervuntur*.

42. 43. SUBSIDIIS MAGNIS EPICURI CONSTABILITAS, ORNATAS ARMIS ITASTUAS TARITERQUE ANIMATAS. Oblongus ITASTATUAS duabus litteris ab ipso primo librario suppunctis: schedae ITASIUAS. Vencta

Digitized by Google

editio *Ornatas armis ita statuas stantesque animatas :* de Brixiensi et Veronensi nihil certi dicere possum propter stolidam Glasguensium et Forbigeri neglegentiam. sed hi versus tam in oblongo quam in schedis rubrica scripti sunt litteris uncialibus , a quadrati librario omissi complurium versuum spatio vacuo relicto ; quod ipsum similiter in quattuor versibus libri tertii factum esse demonstrabo ad eius libri versum 759. in hoc autem libro secundo versus 508 , *Cedere item*, in oblongo rubris et uncialibus litteris scriptus est, eumque quadratus praetermittit, sed cum duobus aliis *(Namque aliis — exoreretur , Omnia sic)* et sine ullo interstitio: ceteros in oblongo eodem modo scriptos quadratus habet scriptura non insigni . ii sunt hi , 94 *Pluribus ostendit* , 502 *Aurea pavonum* , 710 *Scilicet id*, 809 *Scire licet*, 887 *Quod movet* , 909 *Aut nequeant* ; 962 *Quam quo* , 1012 *Rebus et* , 1023 *Nunc animum* , 1112 *Nam sua cuique :* rubrica est in oblongo in versu 608, *Quo nunc*, sed litterae currentes. paria his observavi in commentario libri primi, de versu 11 et 411. enumeravi autem singula, quia causam rei intellegere non potui (nam siquis eos versus in exemplaris archetypi marginibus scriptos fuisse coniciet, errabit), et ut apertum facerem eos absurde egisse , qui versus minio scriptos propter ipsum minium auctoritate carere et interpolatoribus adscribendos esse dixerint. itaque hos de quibus agimus versus libri secundi duo Marullus pessimo consilio eiecit , eumque turpissime praeter Avantium Piumque omnes secuti sunt. emendandi vero rationem poëta ipse ostendit , cum prope eadem, ut solet , iterum dixit in libro v, 1228 , *Induperatorem classis super aequora verrit Cum validis pariter legionibus atque elephantis* . ex quibus apparet haec ita legenda esse , *Subsidiis magnis*QUE ELEPHANTIS *constabilitas*, *Ornatas armis* , VALIDAS , PARITERQUE *animatas* . in versu priore neque *Epicuri* neque *epicuron subsidiis* locus esse potest : altera enim nulla sunt, altera poëta sanus *sociorum* dixisset, neque in Tusculanis v, 116 Cicero ita dicere potuit *epicurei nostri*, quamquam scio *epibatarum* vocabulum in usu Latinorum fuisse. sed et *elephantos* et in altero versu *validas* legiones liber quintus tam aperte commendat ut dubitari vix possit. eae autem legiones armis ornatae omnes inter se *pariter animatae* esse debent, ut sint, quem admodum Plautus dicit in Bacchidibus

Digitized by Google

IV, 9, 18, *milites Armati atque animati probe*. Accius apud Nonium p. 233, 18 *Ut nunc cum animatus iero, satis armatu' sum*.

44. His tibi tum rebus timaefacte. Ante hunc versum Lambinus eum inserendum esse intellexit, quem Nonius ex libro secundo Lucretii rettulit p. 503, 18, Fervere cum videas classem lateque vagari. hoc autem *fervendi* verbum Lucilius quin tertiae declinationis esse voluerit dubitare nemo debet, qui quae ab eo in libro nono posita esse constat perceperit. *Fervere, an e longum. vere hoc lectoribu' tradam. —— fervit, currit, legit: —— Fervit aqua et fervet, fervit nunc, fervet ad annum*. nam *ad annum* quid sit recte docet Forcellinus in lexico, item Handius in Tursellini tomo I p. 88. ita dicimus *ad calendas*, id est calendis proximis. Varro apud Nonium p. 26, 31 *praetor vester eripuit mihi pecuniam: de ea questum ad annum veniam ad novum magistratum*.

45. mortisque timores Tum vacuum tempus lincunt. Haec inter se coniungenda esse Bentleius vidit, sed ea condicione, ut cum Lambino scriberetur *vacuum* pectus. hac condicione praetermissa Forbiger suam stultitiam Bentleio mendaciter adscribit: 'mihi potius,' inquit, 'ut Bentleio.'

52. vestis splendorem purpura. *Purpurai* corrector quadrati, Itali et impressi purpureai.

54. vita raboret. Corrector quadrati et ceteri laboret.

56. sic nos. Non aliter in III, 88 et in VI, 35. apud Senecam in epistula 110 *ita nos*.

62. materiae. Itali materiai.

68. rem quamquidemus. Corrector quadrati et ceteri quamque *videmus*.

73. agmine donant. Idem corrector et Brixiensis editor augmine.

84. terri. Corrector quadrati et ceteri ferri.

85. nam cita saepe Obvia conflexere, fit uti. *Nam concita* et *conflixere* 'in quibusdam libris manu scriptis' sese repperisse scriptum Lambinus adfirmat; quod tamen non sufficit. recte Wakefieldus *nam* quom *cita saepe Obvia* conflixere. tum Avantius *fit* ut.

88. neque quicquam a tergibus obstet. Optime

Digitized by Google

Abrahamus Preigerus, amicus Havercampi, *a* TERGO IBUS *obstet*. de hoc *ibus* dicam ad librum IV, 933.

94. PLURIBUS OSTENDIT ET. Corrector quadrati, Antonius Marii, Marullus, OSTENDI *et*.

95. MULTA QUIES. Antonius Florentinus et impressi NULLA.

98. PARTIM INTERVALLIS MAGNIS CONFULTA RESULTANT. Hic Marullus scripsit *conflicta;* quomodo ea quae conflixere an satis Latine dicantur nescio. rectius Lambinus *contusa*, quod est in libro IV, 958. sed omnium rectissime Naugerius restituit quod habent veteres, *confulta*, hoc est conferta et conglomerata, sed levia atque rotunda neque perplexa.

99. BREVIUS SPATIIS VEXANTUR AVICTU. Itali et impressi recte BREVIBUS et AB *ictu*.

104. ET CETERA GENERE HORUM PAUCUIA. Iidem DE *genere horum* PAUCULA.

112. CUIUS, UTI MEMOROR, REI SIMULACRA ET IMAGO. Recte Itali SIMULACRUM, et Avantius MEMORO. sed Afri veteres, qui in fine saeculi secundi libros sacros Latine interpretati sunt, *memorari* non raro dixerunt de eis quorum aliquis recordaretur sive meminisset. ita in euangelio Lucae I, 72 *et memorari testamenti sui sancti*, ΚΑΙ ΜΝΗΣΘΗΝΑΙ. in epistula ad Hebraeos VIII, 12 *et peccatorum* (sive *peccata*) *illorum iam non memorabor*, ΟΥ ΜΗ ΜΝΗΣΘΩ ΕΤΙ. in eadem X, 32 *rememoramini autem pristinos dies*, ΑΝΑΜΙΜΝΗΣΚΕΣΘΕ. e proximis Servius ad eclogam VI, 31 *unde atomi dictae sunt, quas Lucretius minutiores dicit esse illis corpusculis quae in infusis per fenestram radiis solis videmus: dicit enim illas nec visum posse recipere*.

118. PROELIA PUGNAS EDERE. Frustra Marullus et hic et in IV, 1009 *proelia pugnasque Edere*. Ennius apud Nonium p. 472, 31 *Interea mortales inter sese pugnant proeliant*. Plautus in Asinaria IV, 2, 15 *Tu ergo fac ut illi turbas lites concias*. idem in Bacchidibus IV, 4, 80 *Quid si potius morbum mortem scribat? id erit rectius*. Terentius in Eunucho V, 8, 27 *Quodvis donum praemium a me optato: id optatum feres*. quibus similia alia veteres frequentasse satis constat. in Plauti Poenulo versus I, 1, 4 integer fiet addito ad hunc modum *ope, Mihi reddidisti opiparas ope opera tua*. ceterum versum

Digitized by Google

hypermetrum, qualem hic Marullus efficere voluit, unum tantum in toto opere Lucretius posuit in libro v, 849; ubi Wakefieldus dedit *Multa, videmus, enim rebus concurrere debent*, in quo est ἦθος ineptissimum. ex tragoedia unum cognovi huius generis versum, quem ex Medo Pacuvii petitum Cicero rettulit in librum Tusculanarum III, 26, *Situm inter oris* (sic, puto: libri *Situ nitoris*) *barba paedore horrida atque intónsa infuscat pectus inluvie scabrum*. primum autem hac duorum versuum in unum coniungendorum arte Ennium usum esse Philippus Wagnerus ad Vergilii georgicon II, 69 non demonstravit: nam quos versus Columna Ennio adscripsit, *magna ossa lacertique ápparent hominis*, eos Macrobii exemplaria in Saturn. VI, 1 partim Lucretii alia Lucilii libro XVII tribuunt: sed quicumque hoc primus ausus est, quonam iure id fecerit dicere non possum. nam illud in Iliade ter, semel in theogonia Hesiodi positum, quod cum grammatici veteres vocabulo inter duo versus diviso scripsissent, Bekkerus nunc recte fecit εὐρύοπα Ζῆν, nullus poëta Graecus imitatus est: neque dramatici Graeci *infinitis locis*, ut Wagnerus dicit, aut promiscue hoc artificio delectati sunt, sed Sophocles certo quodam tempore, eodemque tempore Euripides, sed hic parcissime usus: neque aut ab his aut ab asynartetis Ionum et Aeoleon ullum est aut heroicis versibus aut ïambicis comicorum praesidium. sed quod homines docti hypermetros syllabam longam requirere adfirmant, id in dodecametro dactylo et ïambico duodenario verissimum est, non item in iis versibus qui natura sua in longam syllabam non desinunt. itaque Terentius brevi syllaba usus est in trochaico pleno, in Eunucho IV, 1, 11, *Adcerse, ut delectet hic nos. illa exclamat 'minime gentium. ín convivium illam?' miles tendere inde ad iurgium*. Catullus in Sapphico hendecasyllabo *Nullum amans vere, sed identidem omnium ília rumpens*, item *Gallicum Rhenum, horribile aequor, ultimósque Britannos*. contra in Glyconeo longae tantum syllabae locus est; ut idem Catullus *Sola cognita, sed marito ísta non eadem licent*. item in Cretico Terentius in Andria IV, 1, 9 *Et timent, et tamen res premit denegare. íbi tum eorum inpudentissima oratio est*. idemque in ïambicis acatalectis in Phormione II, 1, 63 *Neque testimoni dictio est. mitto omnia. addo istúc, imprudens timuit adulescens. sino*, et similiter in Adelphis II, 2, 9 III, 3, 21

Digitized by Google

4, 19 v, 3, 59. dactylicos autem heroicos binos ita semper coniunxerunt, ut continua esset neque interrupta συνάφεια. ergo hic pedi sexto spondeus convenit, non trochaeus. dactylo qui usus sit unum Ovidium invenio, si modo verum est eum in metamorphoseon XII, 395 scripsisse *Barba erat incipiens, barbae color aureus, aureaque éx umeris medios coma dependebat in armos:* nam exemplaria bona et antiqua omnia habent *aurea Ex umeris*. hoc certissimum est, perperam in Horatii sermonum I, 2, 62 plerosque scribere *quid inter - Est in matrona ancilla peccesne togata?* et imperite Servius in Aeneïdos X, 496 dicit hypermetrum versum esse posse *inmania pondera baltei inpressumque nefas*. in disticho elegiaco Catullus syllaba longa usus est 115, 5, *Prata, arva, ingentes silvas saltusque paludesque úsque ad Hyperboreos et mare ad Oceanum*.

120. CONCILIIS. Apud Nonium p. 6, 6 *Concilis;* de quo dicetur ad librum V, 85. ad proxima scholiastes Lucani respicit libro IX, 563, ubi haec leguntur. *Hic exemplar posuit, Lucretius exemplare posuit, nos in usu exemplum dicimus: adeo omnia sunt Latina*. scribendum est *nos in usu exemplarium dicimus:* sic enim dicebant, hoc *exemplarium*, huius *exemplarii*, hoc *exemplario*, item *altarium* et *altario*.

134. CONCILIATA. Itali et impressi CONCILIATU.

136. INPULSA GIENTUR, IPSAQUE PORRO PAULO MAIORA LACESSUNT. Antiquissimi correctores CIENTUR. tum Antonius Marii *Ictaque quae porro*, Marullus cum ceteris *Ipsaque quae porro paulo maiora*, verbo substantivo contra Lucretii consuetudinem deficiente. itaque malo *Ipsaque* PROPORRO *paulo maiora lacessunt*. hoc adverbio, quod Lucretii proprium esse putant, Lucilius quoque usus est in libro XXX, *sperans lactare me eandem Hanc proporro posse et mansum ex ore daturum;* quae verba nutricis sunt: in Nonii p. 140, 13 libri *sperans aetatem eandem haec proferro posset*.

144. PRIMUM AURORA NOVOR CUM SPARGIT LUMINE TERRAS. Antiquissimi correctores NOVO. Vergilius Aeneïdos IX, 459 *Et iam prima novo spargebat lumine terras Tithoni croceum linquens aurora cubile;* quod Servius Lucretianum esse dicit. apparet autem Vergilium temporis significatione accepisse *primum*, non ordinis, ut Creechius et Wakefieldus.

Digitized by Google

apud Macrobium in Saturn. VI, 1 *Cum primum aurora respargit lumine terras*.

147. SOLEA SOL. SOLEAT antiquissimi correctores.

152. AERIAS QUO SI DUM DIVERVERET UNDAS. Pontanus Lambino teste QUASI *dum*. Lambinus pessime *quasi dum diverberat:* nam *dum* intellegendum est *donec*. Isidorus originum libro XIII, 20 ex Lucretio adfert *aërias undas:* poterat addere *quasi*. in versu proximo Wakefieldus ineptissime probavit *vapores*, quod habent oblongus, Itali, olim impressi, Marullus: *vaporis* quadratus, schedae, Lambinus.

155. INTER SE TRAHUNTUR. Apud Priscianum p. 802 RETRAHUNTUR.

158. NECRESCERE MORAVIT ULLA FORIS. Quadratus *necres semoraū*, hoc est *semoravit:* schedae, ut Henrichsenius testatur, *semor autem*. Antonius Marii *nec res remoravit*, olim impressi *ne crescere morast*. optime Marullus *nec res* REMORATUR *Ulla foris*.

160. IN QUEM COEPERE LOCUM CONEXA FERUNTUR. Veronensis editio et Naugerius *connixa;* quod rectius scribitur CONIXA. paulo ante *suis e partibus*, in quo haerent interpretes, ita accipiendum est, *ex iis vacui partibus, quas occuparunt*.

163. MULTIPLESQUE. In libro IV, 207 exemplaria vetera MULTIPLEXQUE.

166. UT DEANT QUA QUICQUE. Itali veteres *Ut* VIDEANT. sed hic versus et qui eum praecedit nullo cum superioribus sententiarum vinculo cohaerent. itaque Marullus ineptissimo iudicio, sed maxima auctoritate, his praemittendum censuit *Nam neque consilio debent tardata morari*. qui sanam mentem malent, a versu 164 ad 184 transibunt, neque ad integritatem disputationis quicquam desiderabunt. nihilo minus certissimum est ea quae his interiecta sunt Lucretiana esse, sed, quod interpretes videre debuerunt, non paucis versibus truncata. videntur autem ea deesse, quae Epicurus ad Herodotum §. 44 his verbis dixit, ἀρχὴ δὲ τούτων οὐκ ἔστιν, αἰτίων τῶν ἀτόμων οὐσῶν καὶ τοῦ κενοῦ. his enim recte subici potuerunt quae primis his versibus significari puto, [multos philosophos mundum et res universas opinari non ex infinito esse, sed deorum voluntate procreatas: hos vero rem nulla ratione nixam ponere; quippe quibus facilius

Digitized by Google

videatur omnia semel ad ἀνάγκην et ad deorum arbitrium referre,] *Nec persectari primordia singula quaeque, Ut videant qua quicque geratur cum ratione*. atque his apte iuncta sunt quae secuntur: ea vero huius modi sunt, ne esse quidem opus ut aliquis primordiorum naturam accurate pervestiget, quo magis perspiciat universam rerum naturam non esse a diis hominum causa constitutam. sed hanc rem poëta, nisi fallor, breviter nimis nec tam diserte quam solet exposuit: nam illud *blanditur*, quod est in versu 173, a plerisque frustra temptatum (Itali enim fecere *Ut — blanditum*, Lambinus *Ut — blanditim*), satis dure positum est pro *blandiendo hortatur* sive *persuadet* et *compellit* (similiter Vitruvius in libri III praefatione *cum etiam saepe blandiatur gratia conviviorum a veris iudiciis ad falsam probationem:* dicit enim convivia, quae artifices dent nobilibus, saepe horum favorem eblandiri), neque versui 183, in quo est *Nunc id quod super est expediemus*, commode subici potuit *Nunc locus est in his illud quoque rebus Confirmare*. accedit quod se rem *posterius apertam facturum* promittit; quod ubi praestitit versibus quoque iisdem aliquot repetitis in libro quinto 195—234, ibi rei institutae tractationem non satis recte interruptam esse ad eius libri versum 235 demonstrabimus. denique quem admodum in his, quibus rerum naturam ad utilitatem hominum creatam esse negat, tam in secundo libro quam in quinto compositionem poëmatis laborare intelleximus, ita in re huic simillima in libro quarto, ubi sensus hominibus propter usum datos esse nullo modo credi posse docet, rursus observabimus eam rem omnem illuc non facere 822—857. itaque perspicuum est hos locos a Lucretio non eo ordine quo nunc carmina scripta legimus tractatos esse, sed alio tempore et cum cetera in manibus non haberet, cum quibus poëta et philosophus veri rerum ordinis maxime studiosus illa, si posset, quam aptissime coniungere debebat. ex quo apparet, quod iam supra dixi, ipsum poëtam hoc opus non edidisse, neque primum editorem curasse ut singulae partes perfectae et absolutae viderentur; quem siquis in his de quibus nunc cum maxime agimus versibus charta imperfecta et lacera usum esse suspicabitur, ut ea quae hic deesse scripsimus numquam edita existimet, nihil habebo quod ei repugnare dicam.

Digitized by Google

168. DEUM SINE NUMINE REDDI. Prorsus egregie Marullus RENTUR. in ceteris Naugerius nihil novandum esse vidit, nisi quod scripsit *ac moderate:* Gronovius rem absolvit scribendo *admoderate* secundum veterum exemplarium fidem, in observationum libro III, 6 p. 462. his Wakefieldus sine iudicio repugnat.

181. NATURAM MUNDI, QUAMQUAM PREDITA CULPA. Oblongus a correctore *quanquam*, idem prima manu *reddita*. in libro V, 199 TANTA STAT *praedita culpa;* quod quamquam Lucretius hoc loco fortasse paulo aliter conceptum scripsit, quem admodum hic *creatam* legitur, in quinto *paratam*, tamen dubitandum non est quin, si opus ipse edidisset, idem utrobique extaret. itaque vanis coniecturis omissis ex libro quinto optimam scripturam huc referamus; in qua *stare* ita positum est ut in libro VI, 1058, *Pondere enim fretae partim stant*, item in I, 564 *Et finita simul generatim tempora rebus Stare*, eodemque modo in his Varronis versibus, *denique qui sit avarus Sanus? cui si stet terrai traditus orbis, Furando tamen, a morbo stimulatus eodem, Ex sese ipse aliquid quaerat cogatque peculi*. qui versus apud Nonium p. 392, 4 et 264, 21 minus recte scripti leguntur sic, *denique quis sanus est avarus? cui si stet terra id traditus orbis — ac morbo* etc.

184. IN HIS QUOQUE ILLUD REBUS. *Illud* in quadrato erasum: ILLUD QUOQUE Itali. mox *meare* quadratus et schedae, *meari* oblongus et olim impressi. deinde *frudem* quadratus: ita *frudi* in VI, 186 idem et oblongus.

192. SIGNA TRABESQUE. Corrector oblongi TIGNA.

193. FACERE ID SINE VI SUBIECTA PUTANDUM EST. Egregie Lambinus *sine vi* SUBIGENTE, adiutus, ut scribit, ab uno libro manu scripto. nihilo minus mihi magis proprium videri solet *sine subiectante*. ea quae cremantur *ignem iacere* dicit et *summittere lumen* versu 674. in VI, 700 *extollere flammam Saxaque subiectare*.

194. QUOD GENUS E NOSTRO COM MISSUS CORPORE SANGUIS EMICAT. Quadratus *cum missus*. sed aut *cum est missus* scribendum est, aut potius (nam illud debebat esse *cum mittitur*) *Quod genus* EST, *nostro com missus corpore sanguis Emicat*. ita in libro III, 221 *Quod genus est, Bacchi cum flos evanuit*, et 597 *Quod genus est, animo male factum cum perhibetur*. neque enim intellego quomodo possit aut in his

Digitized by Google

verbum substantivum omitti aut in libro III, 431 haec probari, *Quod genus, in somnis sopiti ubi cernimus alta Exalare vapore altaria*. potest autem in hoc dicendi genere verbum praeteriri, ubi mente suppletur ex superioribus. sic in VI, 1058 *Pondere enim fretae partim stant; quod genus aurum* (stat fretum pondere): nisi tamen scripsit *quod genus aurumst*. in rhetoricis ad Herennium libro I, 19 *Lege ius est id quod populi iussu sancitum est; quod genus* (ius est) *ut in ius eas cum voceris*. Cicero de inventione in I, 25 *Sin res dabit, non inutile est ab aliqua re nova aut ridicula incipere, aut ex tempore quae nata sit; quod genus* (utile est incipere a) *strepitu, acclamatione*. item in II, 162 *Consuetudine ius est quod — in morem vetustas vulgi approbatione perduxit; quod genus* (in morem perduxit) *pactum, par, iudicatum*. itaque apparet Nonium p. 21, 15 hos Lucilii versus, quos ita scriptos rettulit, *Crebrae ut scintillae, in stricturis quod genus olim Ferventi ferro*, non usque ad sententiae finem perduxisse; quod ipse aliquo modo indicat, cum dicit *scintillas quae de ferro ferventi eunt*. in Lucretiano autem illo quod est in libro IV, 271, *Quod genus illa, foris quae vere transpiciuntur*, experimento facto in superioribus nihil quod illuc repeti debeat reperietur. quod ipsum de his dici debet, quae leguntur in Ciceronis de inventione libro II, 172, *quod genus ut 'homines mortales necesse est interire' sine adiunctione;* quae fient integra, si scribemus *est* pro *ut*. ita idem in eodem libro 157 *quod genus virtus scientia veritas est*, item *quod genus pecunia est*, 165 *quod genus fidentiae contrarium est diffidentia*.

197. NAM QUO MAGIS URSIMUS ALTU DERECTA. Oblongi corrector mirabili consilio fecit *urgimus*. idem liber *Directa*. Antonius Marii *alte;* qui debuit scribere ALTE DEIECTA, hoc est ex alto in aquam deiecta. tum extremo versu oblongus *pressimus altu aegre*, quadratus *pressimus agere*.

199. SURSUM REMOVET MAGIS. Naugerius REVOMIT.

200. EXILLANTQUE. Corrector oblongi EXILIANTQUE.

203. SIC IGITUR QUOQUE DEBENT FLAMME POSSE. Marullus *Sic igitur debent flammae* QUOQUE. libro I, 290 *Sic igitur debent venti quoque flamina ferri*.

205. PONDERA, QUANTUM INEST, DEORSUM DUCERE PUGNENT. Antonius Marii et Brixiensis editio *quantum in se*

Digitized by Google

est : tum Marullus *deducere*. in versu 190 erat *Pondera quantum in se est*, in 201 *Nec tamen haec quantum est in se :* quid si hic tertio variaverit non verba sed percussionem pedum, *Pondera quantum* EST *in* SE ? quarto loco 247 libri *Pondera quantum inest*, Antonius Marii *in* SE *est*.

209. NON CADEREM IN TERRA STELLAS. Corrector oblongi CADERE, Itali et olim impressi TERRAM. eos versus, quorum initia sunt *Nonne vides longos* et *Nunc hinc nunc illinc*, cum Vergilianis componit Macrobius in Saturn. VI, 1. ibi in utriusque poëtae versibus scriptum est *abruptis nubibus ignes*, cum Lucretii exemplaria et in Aeneidos III, 199 palimpseston Sangallense habeant *abrupti*. ceterum quaerendum est utrum ad hunc locum pertineant quae habet Servius ad Aen. V, 527, *Nam, ut Lucretius dicit, ventus altiora petens aethereum ignem secum torquet, qui fractus* (docti fecerunt *tractus*) *imitatur stellas cadentes*. Isidorus originum III, 70 *Nam quod videmus de caelo stellas quasi labi, non sunt stellae, sed igniculi ab aethere lapsi, qui fiunt dum ventus altiora petens aethereum ignem secum trahit, qui tractu suo imitatur stellas cadentes*.

210. SOL ETIAM DE VERTICE. Ad explendum versum SUMMO addiderunt Itali; itaque olim impressi: *aetherio* Marullus; quorum mihi neutrum displicet.

216. COGNOSCERE ABEMUS. Quadratus, item schedae, a correctore oblongus, *habemus*. versu 265 *avet ipsa* quadratus; oblongus in litura, sed extremis ductibus ultra lituram excurrentibus et ut primam litteram *a* fuisse appareat, *habet ipsa :* Nonius p. 517, 26 *abet* vel *habet*. uterque Vossianus III, 886 *vibus*, 902 *bideant*, IV, 38 *vibos*, V, 778 *conibent*, 1085 *Corborumque*, VI, 390 *abersabile*, 974 *benenumst*, oblongus IV, 483 *balebit*, V, 1413 *Suabius*, quadratus IV, 929 *nobitas*.

218. PONDERIBUS PROPRIIS INCERTO TEMPORE FIRME INCERTISQUE LOCIS SPATIO DEPELLERE PAULUM. In his Avantius rectissime dedit FERME, Marullus *ferri*. tum idem Marullus *decedere*, Avantius *se pellere ;* quorum neutri potest adiungi *spatio*. iam quid rei conveniat ex illis versibus apparet, 292, *Id facit exiguum clinamen principiorum Nec regione loci certa nec tempore certo*. itaque primum hic ad eundem modum scribendum est *Incertisque* LOCI SPATIIS; ut supra 163 *Multiplexque loci spatium*. porro *pondera*

Digitized by Google

propria nihil aliud esse quam aequilibrium docebimus ad librum VI, 574. eo autem aequilibrio quae paulum declinant (hoc enim poëtam velle apertum est) non possunt *ponderibus propriis depellere*, sed DECELLERE. non potuit *declinare* alio vocabulo magis proprie dici quam hoc quod est *decellere*, sive illud poëta finxit sive e consuetudine vulgi sumpsit. Festus p. 274, 31 *Recellere, reclinare, et excellere, in altum extollere*.

222. IMBRES UTI GUTTAE. Marullus IMBRIS.

227. ATQUE ITA PLAG GIGNERE. Ita oblongus, sed a correctore Saxone, qui scripsit in litura *a plag.* quadratus et schedae *plagis*. corrector quadrati PLAGAS, itaque primus post eum Lambinus.

229. AULUS. Itali et impressi AVIUS. supra 145 oblongus *nemora aula*.

233. HAERAUT POSSUNT. Quadratus et schedae *Haeraud*. correctores Vossianorum *Aer haud*. AERIS HAUD Itali.

234. EXSUPERATE. Marullus EXUPERATA.

240. HAUD IGITUR POTUERUNT. Antonius Marii et Marullus POTERUNT.

247. QUANTUM INEST. De hoc dixi ad versum 205. de versu proximo dicam ad librum V, 1033.

249. SED NIHIL OMNINO REGIONE VIAI DECLINARE QUIS EST QUI POSSIT CERNERE SESE? Ab Antonio Marii usque quos vidi omnes *recta regione viai*, quod quo sensu dici Latine possit non intellego, quamquam scio quid sit *e regione ferri*, neque dubitandum est quin illi pondera *recta via declinare* dicere voluerint. *recta regio* est locus verus et conveniens, eaque aliquid *exire* vel *eici* dicitur in libro V, 514 1272. contra sicut in libro I, 958 habemus *Omne quod est igitur nulla regione viarum Finitumst*, hoc est nulla parte itinerum quibus per omne proficiscaris, ita huic loco convenit *nil omnino* NULLA *regione viai Declinare*, hoc est nullo loco viae suae. sed quod in horum versuum fine est *sese* non potuit minus apto loco poni, si poëta haec ita coniungi voluit, ut placet interpretibus, *declinare sese*. in hoc tamen vocabulo vitium esse non credo, sed in *possit*: certe commodissimum est *quis est qui* PRESTET *cernere sese?* hoc est quis spondeat? quis recipiat?

Digitized by Google

251. MOTU CONECTITUR OMNIS. Itali et Veronensis editio MOTUS.

252. ET VETERE EXORITUR NOVUS ORDINE CERTO. Itali *exoritur semper novus*, quos secuntur impressi. melius est *Et vetere* EXACTO *exoritur novus*. de praepositione geminata dixi in fine libri primi.

253——304. NEC DECLINANDO——GENUS ULLUM MATERIA. Hos versus LII hic omittunt quadratus et schedae, sed liber uterque habet in fine voluminis, ut dixi ad librum I, 734. scilicet in codice archetypo haec fuit libri secundi membrana sexta: nam priores quinque tenuerunt versus poëtae CCLII et praeterea capitulorum versus VIII, ut ex horum indice apparet. ergo huius libri secundi initium fuit in pagina recta.

257. FATIS AVOLSA VOLUPTAS, PER QUAM PROGREDIMUR QUO DUCIT QUEMQUE VOLUNTAS. In his Marullum non haesisse mirum est: Lambinus cum *voluptatem* et *voluntatem* commutasset (quod nunc video iam ante eum fecisse Franciscum Medicem a Victorio laudatum ad Varronis rerum rusticarum I, 17, 6), ceteros ei adsensos esse non nimis miror. sed Lambinus, nisi intempestive meminisset Vergilii esse *trahit sua quemque voluptas*, intellegere poterat *voluptati* in neutro membro locum esse: nam nequis *voluntatem* utrique inferat verendum non est. apparet scribendum esse *fatis avolsa* POTESTAS; quod plane confirmat versus 286, *unde haec est nobis innata potestas*.

264. PRORUMPERE QUORUM VIM CUPIDAM TAM DE SUBITO. Itali et Brixiensis editio EQUORUM. Nonius p. 517, 10 *Omnes artem secuti negant adverbiis praepositionem addi oportere, sed auctoritas veterum praeponi iubet*. iisdem verbis (quod memorabile est: nam eundem utrique auctorem agnoscas) Maximus Victorinus p. 1951 *Adverbiis adici praepositiones negant omnes technici oportere, quamvis veteres licenter usi sunt*. his uterque subicit *de subito* et *de repente:* sed Victorinus utriusque vocabuli singulos auctores adducit, Nonius multo plures. Nonius hunc versum totum refert, libri III 643 praetermittit: Victorinus simpliciter *item Lucretius de subito*.

266. MATERIAE COPIA CONCIRI DEBET, CONCITA PER ARTUS OMNIS UT STUDIUM MENTIS CONEXA SEQUATUR. Quadratus *materie:* Itali MATERIAI. tum *conquiri*

Digitized by Google

corrector oblongi, itaque Antonius Marii cum impressis omnibus: sed *conciri* recte oblongus prima manu et quadratus. nam quod sequitur, *concita*, recte probatum est a doctis: *inciti* media producta in versu Attii, quo usus est Cicero de natura deorum II, 89, cur inprobetur non video. is mihi ita scribendus videtur, *Simis inciti atque alacres rostris perfricant Delphini*, navem Argo scilicet: libri habent *Sicut* et *perfremunt*. sed *conexa materiai copia* quomodo dicatur non intellego: recte 'quidam scripti' apud Lambinum *connixa* (immo CONIXA), quod probant Gifanius et Creechius, ut in versu 160.

275. PERSPICUUM NOBIS STINVITIS. In oblongo ante *st* erasum *e*. hoc *est* Itali ad locum suum revocarunt. idem erroris genus sane mirabile notabimus libro III, 623 674 680 IV, 624 799 V, 227 331 596 1198. similiter in versu 209 *caderem in terra*.

277. QUAMQUAM VIS EXTERA MULTOS PALLAT. *Vis* omisit scriptor quadrati. tum oblongus et Veronensis *extrema*, *extima* Antonius, Brixienses, Marullus, Avantius. mox corrector oblongi *Fallat*, itaque Antonius et olim impressi: sed Avantius recte PELLAT, cum Marullus dedisset *Fallit* et *cogit*.

279. PRAECIPITESQUE RAPIT, TAMEN ESSE INIECTORENO QUIDDAM. Oblongus et Brixiensis editio *iniector*, tribus quae in quadrato his adiectae sunt litteris omissis: Veronensis et Veneta *iniector* (*in pectore nostro*. Antonius Marii *esse in* PECTORE NOSTRO. praeterea cum Avantio scribendum est *Praecipitesque* RAPI, ut paulo ante *ire rapique*.

281. QUOQUE CONA MATERIA. Itali et impressi COPIA *materiai*.

283. RETROQUE RESIDIA. Avantius RESIDIT.

289. SED NE RES IPSA. Prorsus eximie Lambinus MENS *ipsa*.

291. ET DEVICTA QUAEI COGATUR FERRE PATIQUE. *Cogatur* prima manu oblongus, idem a correctore *cocatur*, quadratus *cocatus*. tum QUASI Antonius Marii et impressi. sed hoc non sufficit, nec dubitandum existimo quin poëta dederit *Et devicta quasi* ID *cogatur ferre patique*, scilicet id necessum intestinum. neque enim credere possum Lucretium

Digitized by Google

semel contra suam ceterorumque consuetudinem *quasi* produxisse, qui in v, 729 maluerit scribere *Proinde quasi id fieri nequeat*. alioqui non ignoro in tabula Bantina et in lege Servilia scriptum esse *quasei sei*, item in lege pagi Herculanei *tam quasei sei*, in senatus consulto de Bacchanalibus et in aliis instrumentis publicis *nisei*, quod in Frontonis quoque codice inventum est p. 127 Romanae editionis. quare de Plauto non intercedo quo minus haec vocabula produxisse existimetur. in Poenulo I, 2, 32 *Soror, cogita, amabo, item nos perhiberi, Quasi salsa muriatica esse autumantur Sine omni lepore et sine suavitate, Nisi multa aqua usque et diu macerantur*. 112 *Opsecro hercle, ut mulsa loquitur! nil nisi laterculos*. in Casina III, 5, 56 *Nisi se sciat vilico non datum iri*. ceterum illud *quase*, quod Quintilianus instit. I, 7, 24 in multorum libris scriptum esse dicit, fortasse in hoc nostro loco tenue sui vestigium reliquit. certe in Sticho Plauti v, 1, 8 *qua senex tabescit dies* ita intellegendum est, *quase nix*. in Varronis de lingua Latina libro VII p. 356, ubi est *quae*, scribendum videtur *quase*, hoc modo, *Iubar dicitur stella Lucifer, quase in summo quod habet lumen diffusum ut leo in capite iubam*. in lege Rubria I, 47 *nise iei*.

294. NEC STIPATA MAGIS FULTUM QUAM MATERIA COPIA. Marullus FUIT *umquam materiai*.

301. ET CRESCENT VIQUO VALEBUNT. Itali et olim impressi VIQUE *valebunt*. Marullus vix Latine *inque valebunt:* nam quae praepositiones auctum et incrementum significant, ut *con e in re*, eae *valescendi* verbo aptae sunt, non *valendi*, *praevalere* autem et *praevalescere* inter se differunt.

304. NAM NEQUE QUO POSSIT GENUS ULLUM MATERIA EFFUGERE EX OMNI QUICQUAM EST, NEQUE IN OMNES UNDE COORTA QUEAT NOVA VIS INRUMPERE. Medii versus extremam partem perisse apparet, quae aptissime suppleri potest in hunc modum, *neque in omne* SEORSUM *Unde coorta queat nova vis inrumpere*. Antonius Marii *neque rursus in omnes*, Veronensis editio *neque partis in omnes*, Marullus, quem ceteri secuti sunt, *neque rursus in omne*.

313. UBI IPSUM CERNERE IAM NEQUEAS, MOTUS QUOQUE ASURPERE DEBENT. Gifanius *ubi* IPSA. SURPERE Marullus.

Digitized by Google

318. QUO QUAM VOCANTES. *Quo* QUAMQUE corrector oblongi.

320. ET SATIAT AGNI. Itali et impressi SATIATI.

322. ET VEL UTI IN VIRIDI. Scribendum est *vel* UT *in*, item in versu huius libri 780 UT *in quadrato*, quamvis ibi quoque exemplaria habeant *uti in*. nullam enim in vocabulis ïambi pedis mensura comprehensis elisionem a Lucretio admissam esse docebimus ad librum III, 954. partem tamen poëtarum ab hoc genere non abhorrere ibidem concedemus: sed nequis ulli poëtae adscribere velit *uti in aequore*, ad eiusdem libri versum 941 cavebimus. neque in Ciceronis epistularum XIV, 16 legendum est *uti ei*, sed *ut iei*.

324. CAMPORUM COMPLENT. Apud Macrobium Saturn. VI, 1 *Componunt complent*, et in fine versus *cientur*.

325. FULGOR UBI. Marullus IBI. *Fulgur* Itali et impressi: item in versu 332 *fulgur* iidem et corrector oblongi.

330. TRAMITTUNT. Quadratus *Transmittunt*, itaque Macrobius Saturn. VI, 4.

331. ALTIS MONTIBUS. His UNDE adiecerunt Itali.

337. OMNIA CONSTAT. Iidem *constant*. sic infra versu 694 quadratus, oblongus *constet* super adscripto *n*. sed cum in versu 724 libri consentiant in coniunctivum, malo ubique CONSTENT, praesertim cum ubique oratio a coniunctivo suspensa sit.

342. PRAETERE GENUS HUMANUM MUTEQUE NATANTES SQUAMIGERUM PECUDES ET LAETA ARBUSTA FEREQUE. *Praeterea* correctores antiquissimi et Nonius p. 158, 22. hoc servato, ne desit verbum, paulo post cum Marullo scribendum est *Horum*, non *Quorum*; nisi quod Lucretius, si eum recte novi, potius scripsisset *Praeterea genus humanum mutasque natantis Squamigerum pecudes*, cetera, *Haec omnia generatim sume*. sed illud *Praeterea* omnem sententiarum coniunctionem relaxat. nam cum poëta hic docere incipiat omnia quorum natura magnam copiam proferat specie et figura differre, poterat hoc loco dicere *Principio*, non *Praeterea*, quod subsequitur in altero exemplo, versu 367, ut *Postremo* in tertio 371. at ne *Principio* quidem scribi debet, quoniam, ut dixi, ante illud *Quorum* deest verbum, quod necessario positum fuit in sententiae capite. id autem verbum cuius modi fuerit facile intellegi potest: re-

Digitized by Google

quiritur enim hoc, 'Omnes animantes sui generis fetus edunt, eosque figura corporum dissimili.' ergo scribemus PARTURIUNT *genus humanum mutaeque natantes Squamigerum pecudes;* in quibus parum eleganter Nonius *Squamigerae*. sed in proximis, quae Nonius non exhibet, optime Bentleius et Londinensis editor *et laeta* ARMENTA. quorum hic tamen cum *arbusta* et *armenta* uno eodemque modo breviter scribi potuisse dicit *arta*, id fingit quod nullo tempore fieri potuit; quod si eo anno quo ille haec scripsit, hoc est 1712, putamus ferendum fuisse, at hodie qui artem, quam discere noluerunt, fictis fallaciis exercent contemnendi sunt. quid autem iis fiet, qui se huius fraudulentae artis magistros ferunt? notabimus certe in hoc genere summos, Kritzium et Massmannum, ne inducantur adulescentes.

347. QUORUM UNUM QUODVIS. Rectius in libro IV, 126 *Quorum unum* QUIDVIS.

354. CALLIDUM. Corrector oblongi CALIDUM. duos versus qui hunc praecedunt Macrobius posuit in Saturn. VI, 5.

356. NONQUIT HUMI PEDIBUS VESTIGIA PRESSA BISULCIS. Quadratus *Oinquit*, schedae *Oinquid*. corrector quadrati et Marullus *Linquit*, absurde, quamvis ab Avantio porro omnes probaverint. scribendum est NOSCIT *humi pedibus vestigia pressa bisulcis*.

358. COMPLETQUE QUAERELLIS FRONDIFERUM NEMUS ADSITTENS, ET REVISIT CREBRA AD STABULUM. Antonius Marii *adsidens*, corrector quadrati et impressi *adsistens*, absurde. horum carminum teneritati unice aptum est *querellis* ADSIDUEIS. in fine vocabulis traiectis CREBRA *revisit* scribendum esse vidit corrector quadrati, neque aliter impressi.

361. NEC TENERE SALICES ATQUE HERBE RORE VIGENTES FLUMINAQUE ILLA QUEUNT SUMMIS LABENTIA RIPIS. Quadratus *vientes*, Macrobius Saturn. VI, 2, *herbae* omisso, *virentes*. idem Macrobius *lambentia* et *Fluminaque ulla*. hoc *ulla* quadrati quoque codicis corrector posuit et probarunt plerique; quod mihi locum habere posse non videtur, nisi scribatur *aut herbae Fluminave*. certe longe dulcissimum hoc dicendi genus est, *illa flumina summis labentia ripis*.

Digitized by Google

363. SUBITAMQUE AVERTERE CURAM. Hoc Macrobius confirmat, Wakefieldus ita tuetur ut dicat *subitam curam* esse 'id curae, quod *eam subiit*.' nihilo minus scribemus SOLITAMQUE *avertere curam*.

368. AGNIQUE PETULCI BALANTUM PECUDES. Sic oblongus et schedae, item Brixiensis editio: *Balatum* quadratus, Antonius Marii, Veronenses. hoc admisso fiet ut matres fetus suos novisse dicantur: sed id poëta agebat priore vaccae exemplo, neque eo pertinent quae subiecta sunt, *Ad sua quisque fere decurrunt ubera lactis*. Macrobius in Saturn. VI, 5 et Festus p. 206, 7, qui prioribus utuntur, praetermittunt *Balantum pecudes*. Macrobius *tremulis in vocibus* et *Corniferas*.

371. POSTREMO QUODVIIS FRUMENTUM NON TAMEN OMNE, QUIDQUE SUO GENERE, INTER SE SIMILE ESSE VIDEBIS. Quadratus *Postremum*. QUODVIS Itali et impressi. sed haec non video quomodo coniungi possint, *frumentum quodvis suo quicque* (sive, ut Itali, *quodque*) *genere:* nihil enim differunt ab iis quae Ciceronem de finibus V, 46 scribere potuisse Madvicus recte negat, *cuiusque partis sua cuiusque vis*. itaque quem admodum Cicero scripsit *sua quaeque vis*, hic quoque scribendum puto *Quoque* vel, quod idem est, QUIQUE *suo genere*. ita Varro rerum rusticarum I, 7, 2 *quod quaecumque* (libri *quaeque*) *suo quoque loco sunt posita, ea minus loci occupant*, non *quaecumque suo quaeque*, neque *sui cuique mores hominibus* ferri potest in versu senario quo Cornelius Nepos utitur in Attico 11, 6, sed debet esse *Sui quique mores fingunt fortunam hominibus*. quod inter sententias P. Syri 268 auctore mihi incognito ita scriptum exhibuit Bothius, *Fortunam cuique mores confingunt sui:* in Ciceronis paradoxis 35 'sapiens poëta' *Suis fingitur fortuna cuique moribus:* Nonius p. 526, 24 *Sui cuique mores fingunt*. mimico versui elegantiam magis quam 'pingue orationis genus' convenire Carolus Nipperdeius concedere debebat, nisi fallor, qui contra sententiam meam et Alfr. Fleckeisenii pronuntiavit nuperrime in libello quem de Cornelio Nepote fecit p. 78: neque enim reprehendissem versum hoc modo scriptum, *Fortunam hominibus mores cuique dant sui*. in Vergilii ecloga VII, 54 libri omnes et Nonius p. 326 et 389 *Strata iacent partim sua quaeque sub arbore poma*. Cicero de oratore libro III, 216 *(vox) acuta gravis,*

Digitized by Google

cita tarda, magna parva; quas tamen inter omnes est suo quoque in genere mediocris. Varro rerum rusticarum I, 22, 6 *instrumentum et supellectilem rusticam oportet habere scriptam in urbe et rure dominum, vilicum contra ea ruri omnia certo suo quoque loco ad villam seposita* (libri *esse posita*). Vitruvius in II, 9, 4 *ea enim cum suo quoque tempore ad imum perforata castrantur*. Festus p. 344, 21 *Sex Vestae sacerdotes constitutae sunt, ut populus pro sua quaque parte haberet ministram sacrorum*. Varro de lingua Latina IX p. 474 *ut ex turdis qui procreantur turdi, sic ex reliquïs suï* (*suis* Flor.) *cuiusque generis*. p. 533 *cum analogiae sui cuiusque temporis verba debeant discriminare*. Vitruvius I, 3, 2 *et ad regiones sui cuiusque generis apta et commoda dispositio*. Gellius in X, 9 *earumque rerum in acie instruenda sui cuiusque vocabuli imagines ostenduntur*. simillimo modo dixit *in suo utroque genere* Varro de lingua Latina libro IX p. 475, *non horum ita inter se omnia similia membra, ut separatim in suo utroque genere similitudine sint ea* (Florent. *similitudines intra*) *paria?*

376. PAVIT AEQUOR HARENAM. Quadratus et schedae *haranam*. Nonius p. 503, 27 *Lavit pro lavat* —— *Lucretius lib. II Litoris incurvi bibulam lavit aequor harenam*. hoc Marullus praeoptavit, item Heinsius ad Ovidii metamorphosis, libro VII, 267: ego neutrum alteri praestare iudico.

381. PERFACILE EST ANIMI RATIONE EXSOLVERE NOBIS. *Animi rationem* Lucretius tum dicit, cum ei opponit *sensus*, I, 425 448 IV, 384. quod cum hoc loco non faciat, accedit quod ea quae nunc acturus est cum superioribus aliquo vinculo orationis constringi debuerunt. hoc cum Lambinus intellexisset, edidit *Perfacile est iam*. sed aptius et simplicius est *Perfacile est* TALI *ratione exsolvere nobis*. sic paulo ante *parili ratione* ac *simili ratione*.

382. QUARE FULMINEUS LONGE PENETRALIOR IGNE QUAM NOSTER FLUAT E TAEDIS TERRESTRIBUS ORTUS. Oblongus *penetral*; iis omissis quae habent quadratus et schedae, *ior igne*. Itali et impressi IGNIS. sed iidem *penetralius* vel *penetrabilius*: Bentleius multo melius, quia ignis quomodo *fluere* dicatur intellegi non potest, *Quam noster* FUAT. Isidorus originum XIII, 9 *Ideo autem fulminis ignem vim habere maiorem ad penetrandum, quia subtilioribus elementis factus est quam noster, id est qui nobis in usu est*. idem de natura rerum

Digitized by Google

30,4 *Lucretius autem dicit fulmina ex minutis seminibus constare, ideo penetrabilia esse.*

384. CAELESTEM FULMINES IGNEM. Quadratus *celestis fulmine*. corrector oblongi FULMINIS.

387. E LIGNIS ORTUS TAEDAQUE CREATUS. Non potuit hoc minus eleganter dici. poëta scripsit *ignis Noster hic e lignis* ORTU *taedaque creatus*. similiter in VI, 909 legendum esse videbimus *Magnetum qui fit patriis in finibus ortu.*

390. LIQUOR ALIMUS AQUARUM. ALMUS corrector quadrati et Brixiensis editio.

396. SINGULTA QUAEQUE. Correctores antiquissimi SINGULA.

401. FOEDO PERTORQUENT ORA SAPORE. Apud Macrobium, qui his utitur in Saturn. VI, 1, *pertorquet*. oratio lenius decurret, si scribemus *pertorqueat*. sed potest ferri *pertorquent*.

402. ATQUE RUTUNDIS. Sic libri nostri semper, certe prima manu. semel quadrati scriptor *rotundis* in V, 455. Festus p. 262, 26 *Rutundam aedem*, et similiter p. 250, 31. Nonius p. 60 *Rutundum a rota dictum est, vel rota a rutundo* etc. idem p. 164 *Rutunde positum eliganter, concinne vel collecte* etc. in Varronis de lingua Latina libro V p. 43 *Stagnum a Greco, quod ii* (Flor. *quod.* H.) ΣΤΕΓΝΌΝ *quod non habet rimam. hinc ad villas rutunda stagna, quod rutundum facillime continet, anguli maxime laborant*. et sic semper. ex eius satura Nonius p. 552, 30 553, 10 *Quem secuntur cum rutundis velites leves parmis, Antesignani quadratis multisignibus* (libri *multis insignibus*) *tecti*. item in eiusdem Varronis rerum rusticarum exemplari hoc vocabulum saepe ita scriptum legi Politianus testatur, I, 51, 1 *rutundam* et *rutundo*, III, 5, 12 *rutundus*, III, 16, 18 *rutunda*. ex hoc Itali fecerunt *ritondo*.

403. IUCUNDET TACERE POSSUNT. Itali et impressi IUCUNDE (vel prava consuetudine *iocunde*) TANGERE.

413. NOBILIBUS DIGITIS. Naugerius MOBILIBUS.

414. PENETRALE PUTES. Corrector quadrati PENETRARE, itaque Antonius Florentinus et Brixiensis editio.

421. AUT FOEDA SPECIE DI TURPESQUE VIDENTUR. Quadratus hic semel *feda*. pro *di* syllaba corrector quadrati fecit *fedi*, Antonius Marii *qui olidi*, olim impressi *caeli*, Avan-

Digitized by Google

tius *tetri:* Marullus *turpes olidique*. mihi non videtur dubitari posse quin DIRI *turpesque* scribendum sit.

422. OMNIS ENIM, SENSUS QUE MULCET CUMQUE VIDENTUR. *Videntur* ex versu superiore in hunc irrepsisse, huic substantivum femininum deesse, Marullus vidit, qui scripsit *quae mulcet causa iuvatque;* non viderunt Antonius Marii et Wakefieldus, quibus placuit *videndo* et *videntum*. verum est *sensus quae mulcet cumque* FIGURA. hoc qui non intellexissent iure notati sunt a Schneidewino in Philologo III p. 538.

423. AUT SINE PRINCIPIALI ALIQUO LEVIORE CREATAST. Quadratus *leviora*. eius corrector HAUD. Avantius *Haud sine* LEVORE.

427. FLEXIS MUCRONIBUS UNCAQ: SED MAGIS ANGELIIS PAULUM PROSTANTIBUS TITILIARE MAGIS SENSUS QUAM LAEDERE POSSUNT. E primi versus fine *que* delendum esse viderunt Itali, qui secundo addiderunt *et quae*, quod malo scribi QUAEQUE. porro ANGELLIS et TITILLARE Itali. *possunt* quadratus et schedae, *possint* oblongus, Itali, olim impressi.

430. FECULA IAM QUOD DE GENERE EST INVIAEQUE SAPORES. *De* quadrato abest. QUO *de* Itali, Lambinus INULAEQUE.

437. AUT IUVAT GREDIENS. Schedae *Adiuvat*. EGREDIENS Antonius Marii et Marullus.

438. AUT EX OFFENSU. Immo ATQUE. modo enim dixerat sensum nihil aliud esse nisi tactum, qui fiat rebus vel intrantibus in corpus vel ex eo egredientibus. nunc subicit sensus varios quoque et confusos oriri, cum atomi in ipso corpore sese conturbent. Marullus non recte scripsit *confunduntque:* haec enim inter se non concinunt, *Tactus est sensus, cum semina confundunt sensum*.

450. AERA QUAEQUE —— VOCE FERANTUR. Corrector quadrati et ceteri *Aera*QUE *quae*. VOCIFERANTUR Antonius Marii et Marullus.

451. EX LEVIBUS. Hoc semel hic in exemplaria nostra irrepsit: E *levibus* scriptum extat in versu 402 455 458 466 et in v, 455; itaque in ceteris quorum prima littera est *l*, *e lignis, e laevo, e luce, e lapide hoc*.

452. FLUVIDO QUE CORPORA LIQUIDA CONSTANT.

Digitized by Google

Fluvido oblongus et schedae, quadratus *fluido*. CORPORE corrector oblongi. *liquido* quadratus.

453. NAMQUE PAPAVERIS HAUSTUS ITEMST FACILIS QUOD AQUARUM. Hunc versum Lambinus delere quam orationem emendare maluit. scribendum est cum Mauricio Hauptio *itemst facilis* QUASI *aquarum*. Plautus in Poenulo I, 2, 31 *item nos perhiberi, Quasi salsa muriatica esse autumantur.* idem in Rudente III, 2, 46 *Porrigite hominem pedibus huc itidem quasi occisam suem*. in Mercatore II, 2, 46 *vetulus decrepitus senex Tantidem est quasi sit signum pictum in pariete*. Ennius apud Varronem de lingua Latina VII p. 320 *Tantidem quasi feta canes sine dentibu' latrat.*

455. ET PERCULSUS ITEM PROCLIVE VOLUBILIS. Quadratus *proclyve*, optime Marullus PROCURSUS *item in proclive*. de praepositione tamen dissentio: nam Gellius in X, 24 veteres *proclive* et *proclivi* indifferenter posuisse dicit, idque ita ut ea adverbiorum loco habenda esse satis indicet. egit de hoc genere Madvicus ad Ciceronem de finibus p. 766, neque hunc Lucretii versum praetermisit: vellem in Tusculanis IV, 28 probasset Bentleianum *proclive* sive *proclivei feruntur*. *proclivei*, inquam, ut in Persa Plauti II, 3, 8 *die septimei*.

456. OMNIA POSTREMO — 458. SI MINUS OMNIA SUNT E LEVIBUS. Recte Muretus *Si minus* OMNIBU' *sunt e levibus atque rotundis*.

460. PENETRAREQUE SAXA. Hoc mirum est de fumo nebulis flammisque dici, quibus magis consentaneum est *Pungere uti possint corpus penetrareque* SESE, scilicet se penetrare in corpus.

461. QUOD CUMQUE VIDEMUS SENSIBUS SEDATUM. In his primum Itali fecerunt *esse datum*, tum Marullus *quod quisque videmus*, postremo Faber *Sentibus*; in quibus nihil sani est. unus Crecchius recte vidit 'debuisse Lucretium affirmare fluida ista pungentia et penetrantia acuta semina non minus quam levia et rotunda continere.' scilicet eadem illa hic significantur, *Pungere quae possunt corpus Nec tamen haerere inter se*. hoc intellecto (debuit autem hoc unus quisque intellegere) in aliquot litteris prave scriptis mora nulla esse potest, sed verba ipsa sententiam secuntur, hoc modo, *quod cumque* VENENUMST *Sensibu'*, *sed* RARUM. itaque *rara* haec, *quae puncto tempore cernis Diffugere*, quia pungunt

Digitized by Google

corpora et laedunt sensus, *venenum sensibus* sive *sensuum* esse dicuntur. sic in libro VI, 974 *Denique amaracinum fugitat sus et timet omne Ungentum : nam saetigeris subus acre venenumst*. Varro rerum rusticarum libro I, 2, 19 *eius enim salivam esse fructuis venenum*. 45, 2 *venenum enim gelum radicibus tenellis sub terra, et supra virgultis*. 51, 1 *itaque amurca solent perfundere : ea enim herbarum et formicarum et talparum venenum*.

465. MINIME MIRABILE DEBET. Aut periit hic versus, velut si hunc fingamus ex libro V, 487, *Esse, quod expressus terrai corpore primumst :* aut, quod verius puto, scribendum est *mirabile* HABEBIS. quem admodum hic *debet*, ita in I, 758 *habes* scriptum est pro *habebis*. minus bene Marullus *est minime mirabile habendum*.

466. NAM QUOD FLUVIDUS EST, E LEVIBUS ATQUE RUTUNDIS EST, E LEVIBUS ATQUE RUTUNDI ADMIXTA DOLORIS CORPORA. Olim impressi et Marullus unde *fluvidum est* sumpserint ignoro. Ennio quidem concessum fuit ut diceret *Dum quidem unus homo, Romanu' toga, super escit*. ubi Lindemannus ad Festum p. 673 'In *quidem* ultima non eliditur' inquit, 'ut saepe apud Ennium.' ita divites locuntur, qui thesauros suos nolunt recludere. mihi unus ex eodem genere versus Ennii innotuit, *Insignita fere tum milia militum octo :* ceteri poëtae nihil eius modi admiserunt, quid quod ne ex altero quidem hiatus genere ullus Ennii versus extat ; cui plerique Lucilium in primis studuisse non recte opinantur : nam huius ii versus quos habet Porphyrio ad Horatii sermonum I, 3, 124 intellegi non possunt, nisi inter *etiám haec* infulcimus *qui* pronomen ; *non dum etiam qui haec omnia habebit, Formosus dives liber rex solu' vocetur ?* neque apud Nonium p. 161, 17 scribi debet *Infamám inhonestam*, sed *Infumam egestatem turpemque odisse popinam*, ubi libri habent *Infamam honestam ;* neque ibidem p. 398, 33 *Samiám ibi*, sed hoc modo, *Hanc ubi vult male habere, ulcisci pro scelere eius, Testam sumit homo Samiam sibi, 'anophelê' inquit, Praecidit caulem, testisque una amputat ambo*, cum in libris sit *samiam ibi anunotelo inquit*. hoc tamen altero genere Tibullum ac Propertium usos esse non nego : neque id a Martiale abiudicandum est, qui scripsit in III, 3 *Aut aperi faciem, aut tunicata lava :* sed apud Catullum 97, 2 Itali recte *ne* addito

Digitized by Google

Utrumne os an culum olfacerem Aemilio . tertium genus non nisi in monosyllabis locum habet : neque enim Ennius scripsit *Qui tum vivebant homines atque aevum agebant*, sed Gellio teste in XII, 2 Seneca in Bruto Ciceronis 58 legebat *atque aevum agitabant* . in versu Lucretii altero *e* praepositio quia ferri non potest, Marullus scripsit *at*, Wakefieldus *et;* quorum neutri locus est nisi addito *sunt* . porro *levibus atque rutundi' admixta* simile est illis apud Vergilium monstris , quae iandudum procurata sunt, *Limina tectorum et medii' in penetralibus hostem*, *Inter se coiisse viro' et decernere ferro* . neque tamen scribi potest, ut Marullo et ceteris placuit, *levibus atque rotundis mixta:* nam illa corpora ipsa rotunda sunt, certe *globosa* 469, neque *rotundis mixta*, sed *mixta aspera levibus* 471 . itaque haec verba, *atque rutundi*, dubitari non debet quin ex superiore versu male inculcata sint: sed in eorum locum quid suffici debeat praeter *sunt* , quod deesse dixi, satis certo constitui non potest . hoc tamen apparere puto, cum poëta illa levia atque rotunda ideo sudori maris convenire dixisset *quod esset fluvidus*, nunc necesse fuisse ut corpora aspera et globosa ei *non ex eadem causa* adesse significaret . quare mihi haec sententiam satis recte exprimere videntur, ET *levibu'* SUNT ALIUNDE (sive *de terra*) *admixta doloris Corpora*. quamquam sic quoque mirationem faciunt illa *doloris Corpora* , quae sunt pungentia sensus et laedentia. haec si cui tam breviter dici potuisse non videbuntur, *levibus* quoque ex versu priore huc aberrasse existimandum erit : omnia enim plana erunt, si ita scribemus . *Nam quod fluvidus est* , *e levibus atque rutundis Est*, *et* sensibu' *sunt aliunde admixta* dolori *Corpora*.

468. NEC TAMEN HAEC RETINERE HAMAT NECESSU. *Haec* omisso quadratus *amat :* Itali HAMATA . RETINERI Lambinus secundum versum 454. *necessu* non videtur Latinum esse : non tamen sufficit , quod olim impressi habent, *necessum* , quod Marullus male coniunxit cum *Scilicet esse*. recte Antonius Marii *necesse est*, nisi malumus NECESSUMST aut *necessust*. dixi supra ad librum I, 111.

469. CUM SQUALIDA CONSTET. Olim impressi CONSTENT.

471. ET QUOD MIXTA PUTES MAGIS. Marullus *Et* QUO *magis*. 'sed aliter pôtius loqui solet noster,' Wakefieldus

Digitized by Google

inquit: idque ei Eichstadius et Forbiger, qui ne ipsi quidem hoc poëma umquam legere, adcredunt.

476. INQUIT ENIM SUPERA TAETRI MORDIA VIRI. Priscianus p. 722 LINQUIT sive *Liquit enim supra tetri vestigia viri*. Servius ad georgicon I, 129, item Sergius p. 1843 et Cledonius p. 1898, *tetri* PRIMORDIA *viri*. Priscianus p. 1258 *diri primordia viri*. *viri* Lucretio adscribunt Marcianus Capella libro III § 305 et Cassiodorus p. 2323 Putschii. sed hunc versum non suo loco legi interpretes non animadverterunt. nam umor dulcis eo percolatur, *Aspera quo magis in terris haerescere possint:* sed eum hoc consilio taetri primordia viri supra relinquere absurdum est. Marullus dederat *quod magis possunt*, Lambinus *Humor dulcit* et *quo magis possunt*.

483. NAMQUE IN EADEM UNA CUIUSVIS IN BREVITATE CORPORIS. Lambinus *cuiuscuius brevitate;* quo genetivo quis veterum usus sit adhuc quaero, neque eum sibi notum esse Madvicus testatur ad Ciceronis librum de finibus III p. 423; quamquam video esse in glossariis Labbaei. praeterea *in eadem una* intellegerem, si de *brevitate* iam in superioribus dictum esset: nunc particulam copulativam desidero. quae cum ita sint, scribendum puto *Namque eadem* UNIUS *cuiusvis in brevitate Corporis*.

486. VEL PAULA PLURIBUS AUGE. Corrector quadrati et impressi PAULO.

488. TRANSMUTAS DEXTERA LEVIS, OMNIMODI EXPERTUS ERIS. Quadratus ab antiquissimo correctore TRANSMUTANS. in eodem libro *levius:* corrector recentissimus supra adscripsit *laevis*. deinde Marullus *Omnimode expertus fueris;* quod vocabulum ille quo auctore posuerit nescio: in Frontonis quadam ad Marcum Caesarem epistula p. 37 Maius edidit *Vale, et me, obsecro, omnimode ames qua ioco qua serio*. OMNIMODIS Lambinus.

495. CORPORIS AUGIMEN. Itali et impressi AUGMEN.

497. DISTANTIA FEMINA. Corrector oblongi SEMINA. mox quadratus *Neq. dam*, apud Nonium p. 136, 11 *Ne queadam*.

499. NON POSSE PROBARE. Marullus PROBARI.

501. THESSALICO CONCHARUM TECTA COLORE. Ea quae his praemissa sunt in scholiis Veronensibus ad Aeneidos V, 251 exhibentur. in his Marullus *tincta*, quod cum ab

Digitized by Google

Oudendorpio ad Lucani librum x, 491 probari dixit Forbiger, mendacium dicit: ille enim rectissime legendum coniecit TACTA *colore*.

502. AUREA PAVONUM RIDENT IMBUTA LEPORE SAECLA NOVA RERUM SUPERATA COLORE IACERENT. Quadratus *superata colora*. Franciscus Medices RIDENTI *lepore* et NOVO *rerum colore*, probante et valde laudante Petro Victorio, et quidem, ut recte Lambinus, '*annotat. in epist.* 19. *lib.* 15:' Forbiger, ut potius bene scripta prave descripsisse quam ipse aliquid examinasse argueretur, haec ficticia posuit, '*Victorius Epist.* xv, 19.' sed Lambinus cum optima emendatione orationis vincula tolli videret, ante *Aurea* in fine versus scripsit *et;* quo ipso nihil effecit nisi ut poëta barbaricis vestibus et purpurae ineptissime aurea pavonum saecla adiunxisse videretur. hoc certe evitaverat Marullus, cum non satis perite scriberet *Iam tibi* —— *pavonum rident imbuta lepore; Sedulo quae rerum superata colore iacerent*. Petrus Burmannus ad Petronium 55 p. 355 *Aurea pavonum ridenti imbuta lepore Pepla*. sed ne hoc quidem ferri potest nisi illo Lambiniano *et* admisso, quod in versuum hexametrorum fine ponere solis inter poëtas satiricis licet. quanto rectius erat haec omnia cum Marullo ad purpuram referre, sed hoc modo, *Aurea, pavonum ridenti* IMITATA *lepore Saecla*. haec enim locum habent in purpura Tyrio colori simili, de quo Plinius in libro naturalis historiae IX, 38, 62 *Laus ei summa: in colore sanguinis concreti nigricans adspectu idemque suspectu refulgens. aurea* autem purpura, id est auro ornata sive auro picta, iterum, nisi fallor, Lucretio dicitur in versu huius libri 829. in v, 1428 *vestis Purpurea atque auro signisque ingentibus apta*.

504. ET CONTEMPTUS UDOR SMYRNE. Antonius Marii et Brixiensis editio ODOR. oblongus *smirne*, neuter *zmyrnae*. *smurna* est in l. 16 § 7 D. de publican. XXXIX, 4. alii dixerunt *murram:* ita enim vocabulum scriptum exhibent codices Plauti, Varronis (de lingua Latina VI p. 264), Horatii, Vergilii, Propertii, Plinii, Martialis, neque aliam scripturam Priscianus noverat. in euangeliorum Latinorum codice saeculi noni uno *myrram* semel inveni, in antiquioribus alterum constanter scriptum. *murratae potionis* in duodecim tabulis mentionem fuisse Varro testis est apud Festum p. 158: sed

Digitized by Google

Ennium hoc vocabulo usum esse Hertzbergius solus scit; qui ad Propertium I, 2, 3 'myrrha scribendum' inquit 'recte Chr. Bachius admonet; *murra* enim, quod Lachmanno placuit, *lapis* est, non *herba*; alia denique Ennii, alia Propertii orthographia.' hic et cavillationem et gravem in myrrha *herba* errorem fortasse evitasset, si aut Forcellinum in *myrrha* quoque, non tantum in *murrha*, consuluisset, aut Philippi Wagneri orthographia Vergiliana usus esset, qui de *murra* dixit p. 485.

512. QUAE QUONIAM NON SUNT, REBUS REDDITA CERTA FINIS UTRIMQUE TENET SUMMAM. Sic veteres; quod cum Lambinus et Havercampus ante oculos haberent, alter levitate ductus non vidit, alter stoliditate torpens notandum non duxit. Antonius Marii, impressi, Marullus, *non sunt in rebus reddita*. hinc Wakefieldus, qui hic solus aliquid vidit, *quin rebus reddita certa Finis utrimque tenet summam*, itaque Eichstadius et Forbiger; qui si Latine scissent, scribere debebant SED, non *quin*.

514. MATERIEM QUOQUE INFINITIS. Marullus FINITIS. *Materiam* primus, quantum reperire potui, Faber; quem recentiores secuti sunt supina neglegentia.

515. DENIQUE AB IGNIBUS AD GELIDAS HIEMISQUE PRUINAS FINITUMST. *Finitum* interpretibus videtur esse *definitio*. hoc si quibus Latinum videbitur, certe *pruinas gelidas hiemisque* inepte dici fatebuntur. itaque perspicuum est, ubi legitur *hiemisque*, ibi vitium esse. neque dubitari potest quin huius vocabuli pars extrema esse debeat *usque*: sed ante hanc vocem illud ipsum *spatium*, quod Lambinus intellegi voluit, scribendum est, vel potius, quia porro retroque mensum ac determinatum dicitur, *iter*; hoc modo, *Denique ab ignibus ad gelidas* ITER USQUE *pruinas Finitumst retroque pari ratione remensumst*. sic enim quadratus, *remensumst*, oblongus *remensust*, ut in III, 668 quadratus *putandust*.

517. OMNIS ENIM CALOR AC FRIGUS, MEDIIQUE TEPORES INTER UTRASQUE IACENT. '*Omnis*: i. e. Omnis *annus est* calor, ac frigus; nihil aliud.' ita hic Wakefieldus, tamque ridiculum interpretem nostrates venerabundi secuntur. Marullus *Finis enim*, Lambinus *Finit*. verum est AMBIT *enim calor ac frigus*: ambit *creata*, quorum *summam explent medii tepores*. mox Marullus *Inter utrumque*. Wakefieldus

Digitized by Google

morem suum tenens 'utrasque: nempe tempestates.' nihilo minus idem Wakefieldus, 'superflua coniectura' ut videtur Forbigero, verissimum iudicavit scripsisse poëtam *Inter utraque iacent*, 'i. e. Interiacent ex utraque parte.' qui quoniam Lucretium, ut dixi, numquam legerat, hanc tmesin ceteris sex locis, quibus *inter utrasque* scriptum extat (III, 306 V, 472 476 839 VI, 362 1062), non convenire ignorabat. at hoc certe videre poterat, ne hic quidem *utraque* locum habere, nisi quinque orbis terrarum zonas fingamus, de quibus Lucretius nihil usquam dixit. *utraque* enim, de quo agetur ad librum VI, 517, Nonius recte interpretatur *utrimque vel utrobique*, quamvis librarii prope singula eius verba corruperint in hunc modum, *Utrasque pro utrimque vel utrosque*, p. 183,22. sed versibus Lucretianis commodissimum est INTERUTRAQUE *iacent*, item *Interutraque igitur cum caeli tempora constant, interutraque ita sunt*, et cetera similiter. ex eo genere vulgaria sunt *antea, postea, interea, praeterea, propterea, antehac, posthac:* et fuere olim plura, ut *praeterhac, postilla, adversum ea*. hoc quod ultimo loco posui legitur in edicto de Bacchanalibus 24, *sei ques esent quei arvorsum ead fecisent quam suprad scriptum est. postéa propterea* et cetera quonam accentu proferenda sint sciet qui veteres *adéo* secunda acuta dixisse e Paulo diacono didicerit p. 16.

520. ANCIPI QUONIAM MUCRONI. Itali et impressi ANCIPITI, ut in VI, 377. *mucrone* primus Marullus, ut in V, 1274. *rationi* uterque codex in VI, 66, quadratus minus recte in III, 74 ante vocalem brevem et plane vitiose in I, 1081. in edicto de Bacchanalibus versu 22 *in coventionid*. in lege Thoria 23 *quoive ab eo heredive eius is ager locus testamento hereditati deditionive obvenit obvenerive*. in Servilia p. 67 *de sanctioni hoiusce legis*. in Iulia municipali 38 *pro portioni*.

521. HIN FLAMMPS ILLINC RIGIDIS INFESSA PRUINIS. Quadratus *flamps* et *regidis*. in libro VI, 378 HINC FLAMMIS *illinc*. deinde Itali, item impressi, male *infensa:* Marullus *insessa*, quod dubito an tam antiquo scriptori non satis conveniat. recte Lambinus INFESTA *pruinis:* itaque poëta ipse iisdem verbis in V, 760 *loca flammis infesta*. hoc igitur iure probavit Fridericus Iacobus ad Aetnam p. 166.

522. QUOD QUONIAM DOCUI, PERGAM CONECTERE REM QUE EX HOC APTA FIDEM DUCAT. Oblongus hic *ducit*,

Digitized by Google

paulo ante 479 uterque *ducat*. sed credibile non est poëtam tam parvo intervallo eosdem versus iterum ponere voluisse. praeterea quod hic docet eiusdem formae primordia infinita numero esse, idem paulo post iterum exorditur, 529 *Protinus ostendam;* de quo nequis dubitare possit, re demonstrata subicit 567 *Esse igitur genere in quovis primordia rerum Infinita palam est*. itaque apparet, si formam et vincula orationis respiciamus, aut hos septem versus superesse aut tres qui hos secuntur. at hi septem versus novum et primarium rei argumentum continent: qui hos secuntur, a Gassendo, ut Creechius observavit, praetermissi, ipsam rem non satis perspicue expositam exhibent, in qua *generum singulorum* significatio praeteriri non debuit. scilicet καθ' ἑκάστην σχηματίσιν ἁπλῶς ἄπειροί εἰσιν ἄτομοι, ταῖς δὲ διαφοραῖς οὐχ ἁπλῶς ἄπειροι, ἀλλὰ μόνον ἀπερίληπτοι: sic Epicurus in Diogenis libro x, 42. nihilo minus ea quae re probiora sunt, ut dixi, magnam habent ab oratione minus apte conexa offensionem. itaque perspicuum sit Lucretium primum quidem istos tres versus minus curiose conceptos posuisse; quos cum postea emendaret, hic ut alibi factum esse ut ad illud incommodum, quod e versibus non eleganter repetitis oreretur, non satis attenderet.

529. Versibus ostendam. Hoc quia ferri non potest, apte faciemus Protinus. quamquam si cui versus unus vel plures excidisse videantur, ne hoc quidem improbabile. hoc tantum cavere volui, nequis inficetum Marulli commentum laudaret, quo scripsit *Quod quoniam docui, nunc suaviloquis, age, paucis Versibus ostendam*. editorum fraude ac stultitia evenit ut lexicographi scire non potuerint se Marulli vocabulum, non Lucretianum, in ordinem recipere *suaviloquum*.

531. Undique protelo. Hoc versu Donatus usus est ad Phormionem Terentii i, 4, 36.

533. Fecundamque magis naturam. Lambinus minus.

535. Multa licet genera esse in eo. Marullus genere, nescio an primus. certe Forbiger, qui hoc 'omnes editt. vett.' habere scribit, verbis peccat, Gerardus tacendo: nam in Veneta est *genera*, neque aliter Avantius et Pius, idemque Veronensi adscribunt Havercampus et Wakefieldus.

536. Sic uti quadripedum. *Sic ut* scribatur an *sicut*

Digitized by Google

nihil interest, quoniam atonon est hoc *ut* monosyllabon, quod comparationem indicat. itaque in libris antiquissimis *sicut* in littera secunda inter duo versus divisum observavi: nec minus recte Horatius sermonum II, 2, 68 post *sic* versum incidit, *Saevus erit, nec sic ut simplex Naevius unctam*. sed cur veteres sub uno accentu *sícuti* potius dixisse credam quam *sic úti*, nullam causam invenire possum: nam grammaticis inde a nono post Christum saeculo quomodo vocabula distinguere libuerit non curo. iam vero *sic uti* in versu hexametro ante consonam poni non posse apertum est, ante vocalem quam non facile admitti possit ad versum huius libri 322 dixi. itaque hoc loco recte Bentleius SICUT *quadripedum*. sed grammatici nostri poëtas quosdam antiquissimos in hac re ceteris audaciores fuisse volunt. et verum est ita vulgo scriptos quosdam versiculos ferri; Ennii, *Sic uti siqui' ferat vas vini dimidiatum*, apud Gellium III, 14; Lucilii, *Sic uti cum primus ficos*, apud Nonium p. 154, 27, et *Sic uti te, qui ea quae speciem vitae esse putamus*, p. 173, 22, item *Sic uti mechanici*, apud Festum p. 206, 27; Lucretii hunc, *Sic uti quadripedum*, et in III, 816 *Sic uti summarum summast;* item in Milite Plauti III, 1, 130 trochaicum, *Sic uti merci prétium statuit*, et Asinariae primum apud Nonium p. 393, 20 *Sic úti tuum vis unicum natum tuae*. sed mirabile est hos poëtas in primo tantum pede hoc amasse, non in quinto: et multo magis mirabile, quod grammatici vafre dissimulant, cum eosdem poëtas tum alios breviore quoque forma iisdem condicionibus usos esse. Ennius apud Ciceronem in Catone 5, 14 *Sicut fortis equos*. Cicero ipse in Arateis 131 *Sicut cum coeptant*. Lucretius in V, 361 in eodem versu qui erat in tertio, *Sicut summarum summa est*. Manilius in II, 483 *Sicut naturas*. Silius in VI, 553 *Sicut sanguinea*. in Herus ad Leandrum epistula 93 *dum sicut scribis amemur*. Lucanus in III, 638 *nec sicut vulnere sanguis*. Plautus in Captivis V, 1, 15 *Sicut tu huic potes, pater mi*. Epidico II, 2, 87 *Sicut cras hic aderit*. Bacchidibus IV, 4, 67 *Sicut dicis*. Trinummo III, 2, 59 *Sicut dixi faciam*. Aulularia II, 4, 15 *Nempe sícut dicis*. Mostellaria III, 2, 84 *haec sunt sicut praedico*. in Asinaria libri nostri *Sicút tuum vis*. Menaechmis, in prologo 74, *Sicut familiae*. Trinummo II, 4, 148 *Sicut fortunatorum*. III, 3, 76 *Sicut praecepi*. in Milite IV, 1, 27 *quo lubet, sicút soror*.

Digitized by Google

537. ANGUIMANUS ELEPHANTOS. Marullus *anguimanos:* idem in v, 1303 *boves lucas turrito corpore tetros Anguimanos;* ubi *taetras* scribendum docebo. sed *anguimanus* utroque genere servandum est, nisi nobis libet veteribus, quid dicere debuerint, praecipere. Priscianus p. 718 *haec manus, huius manus; ex quo compositum eius declinationem sequitur, hic centimanus, huius centimanus*. nobilem scriptorem Lucretio excepto nullum cognovi, qui alia dixerit quam recto et quarto casu *centimanus, centimanum, unimanum:* minus probatorum sunt *longimanus, aequimanus, aequimanum*, in glossariis *ambimanus*, Iulii Obsequentis 111 *puella quadrimana*, item 73 *pueri quadrupedes et quadrumanes*. in Arnobii libro II p. 97, ubi est *non infantes sub uberibus matrum centenarios legitis edidisse vagitum?* legendum existimo *centimanos*.

541. QUAM IUBET ESTO. Corrector quadrati et Brixiensis editio *quam* LUBET.

543. CUI SIMILIS TOTO TERRARUM SIT ORBI. *Sit* quadratus non habet; cuius corrector fecit *non sit in orbi*, neque aliter Antonius Marii: impressi *non sit in orbe*. malim NULLA *sit orbi*.

547. QUIPPE ETENIM SUMANT OCULI. His Wakefieldus Bentleium vitii notam apposuisse refert; cuius iudicium cum ille recte probasset, Forbiger, 'quum libri omnes illud *oculei* tueantur', inquit (habent autem omnes *oculi*, *oculei* nullus), 'nihil equidem novare ausim.' in hoc ille cautos quosdam ac prudentes, qui se criticos dicunt, ingenii sui probatores inveniet: nos interim cogitemus quid poëtae menti consentaneum fuerit scribere ubi nunc sunt illa absurdissima, *sumant oculi*. itaque hic ante omnia *si* coniunctione opus est, quae in primis litteris inesse debet. tum rei nihil aliud aptum esse apparet nisi hoc, *Quippe etenim, si* arte aliqua efficiatur *finita per omne Corpora iactari unius genitalia rei, Unde ubi qua vi et quo pacto congressa coibunt?* dixit in re huius modi Lucretius *machinari* et *corripere*. in III, 944 *Nam tibi praeterea quod machiner inveniamque*. in v, 247 *Illud in his rebus ne corripuisse rearis Me mihi*. huic loco quid conveniret, mihi statim, ut eum considéravi, apparuit; quod longa et operosa meditatione quaesitum reperire posse neminem puto. est autem paucis litterulis immutatis scribendum *Quippe etenim* SI MANTICULER. ex onomastico Labbaeus

Digitized by Google

manticulor, τεχνάζομαι, idem e Cyrillo πειράζω, *tempto*, *manculor* (debet autem esse *manticulor*): itaque Festus p. 133 *poëtae* inquit *pro dolose quid agendo usi sunt eo verbo*. et quamquam scio in glossariis Maii, quae sunt in tomo sexto auctorum classicorum, p. 533 566 *manticulare* paulo pinguius ita exponi ut dicatur esse *fraudare vel furare vel furto decipere*, item in eodem illo apud Labbaeum onomastico *manticularius*, κλέπτης, quem admodum Festus quoque *manticulari dicebantur* inquit *qui furandi gratia manticulas attrectabant*, nihilo minus hoc vocabulum a dignitate huius poëmatis alienum videri non debet, cum Festus eo Pacuvium in tragoediis usum esse testetur; cuius duo versus schedae Pomponii Laeti non satis integros exhibent, duo nullam difficultatem habent, quos subieci. *Ad manticulandum astu aggreditur: scit enim quid promeruerit. Aggrediar astu rem* (schedae *regem*): *manticulandum est mihi*.

553. TRANSTRA, CAVERNA, ANTEMNAS, PROREM. Quadratus *prosem*: corrector oblongi, fortasse non ille antiquissimus, PRORAM. apud Nonium p. 200, 33 in versu Attii *prorim* sive *prorem*. in fine versus prioris corrector quadrati *cavernas*, inepte, quasi quis aut foramina natare dicat aut curvaturas costarum: nam quod habet Servius ad Aeneïdos II, 19, *alii fustes curvos navium, quibus extrinsecus tabulae adfiguntur, cavernas appellarunt*, id ita ut modo dicebam intellegendum est. Antonius Marii et Marullus *carinam*, olim impressi *carinas*. Lambinus verissime GUBERNA, ut in IV, 439 *et recta superne guberna*.

555. FLUITANTIA PLAUSTRA. Sic oblongus: quadratus sine nota *plaustra*. Marullus APLUSTRA.

*559. PLACIDI PELLACIA PONTI. Haec verba, quae recurrunt in V, 1004, interpretes Vergilii Veronenses exhibent ad Aeneïdos II, 90; ubi quo iure Henricus Keilius potius *Nec poterat quemquam* addiderit quam *Subdola cum ridet*, dicere non possum. nostro versu Philargyrius usus est ad georg. IV, 443; apud quem *penitus* legitur pro *placidi*.

560. SI INFINITA. Corrector quadrati et impressi *si* FINITA. in proximis eum versum cuius initium est *Nec rememorari* (sic enim ibi scriptum est) quadratus habet ante *Numquam in concilium*: sed oblongus, nequis Havercampo credat, non peccat.

Digitized by Google

576. Et superantur item. Hunc versum totum rettulerunt Festus p. 375, 9 et Nonius p. 184, 22. in versu 583 quadratus *natura tenetur*.

586. Et quae cumque magis vis multas possidet in se Atque potestates, ita plurima etc. Probus p. 1461 *Lucretius tamen numero plurali hae vis* (III, 256) *et has vis*. Priscianus p. 707 *et haec vis, huius vis; cuius plurale similiter vis tam Lucretius quam Salustius protulerunt. Lucretius in* II *Sed quam multarum rerum vis possidet in se Atque potestates*. Marullus *Et quo quicque magis — ita plurima*, Lambinus *Et quam quicque magis —, ita pluria*. at Lucretius non dicit *quam magis tam magis*, sed *quo* vel *quanto magis* (semel *quam quoque magis* VI, 460) *tam magis*. neque aliter Manilius in III, 344 *quanto propius Tam magis:* sic enim recte Gemblacensis. in IV Lucretii 1089, ubi *quam* scriptum est, debet esse *quo mage*. porro post *quo magis* comparativo opus est: *pluria* vero non licet adfingere ei qui saepe dixit *plura*. quare scribendum est simplicissima ratione *Et* quod *cumque magis*, scilicet quam alia, *vis multas possidet in se*.

593. Ex imis vero furit ignibus. 607. Ex imis munita locis. Recte Avantius et Lambinus Eximiis.

600. 601. Hanc —— cecinere poetae Sedibus in curru biiugos agitare leones. Haec absurda esse Lambinus intellexit: neque enim *in curru* agitari leones possunt neque agitari *sedibus*. itaque ille fecit optime *Sublimem in curru*. mihi tamen veri similius videbatur hic unum versum perisse: orationem rudi arte ita fulciebam, *Hanc veteres Graium docti cecinere poëtae Magnifice divam ex ipsis penetralibu' vectam Sedibus in curru biiugos agitare leones*. hanc meam suspicionem postea codicis quadrati auctoritate mirifice stabiliri intellexi, in quo interstitium est inter hos versus, *Hanc veteres* et *Sedibus*, quamvis modo ante *Quare magna* item distinctum sit, ubi in oblongo est de matre magna. est enim credibile in codice archetypo inter paginae huius libri XXIV versum vigesimum tertium et quartum (ii sunt *Hanc veteres*, *Sedibus*) fuisse aliquid rubrica scriptum, velut deest; quod oblongi scriptor legere non potuerit, is vero qui quadratum scripsit rubricatori addendum reliquerit.

605. debet moliri. Antonius Florentinus et impressi

Digitized by Google

MOLLIRI. Ovidius in fastorum IV, 217 *feritas mollita per illam Dicitur: id curru testificata suost.*

613. PER TERRARUM ORBES. Marullus ORBEM. at Forbiger hic perridicule Epicureum agit: succinit enim graviter ex huius libri versu 1075 *Esse alios aliis terrarum in partibus orbis.*

615. MATRI ET INGATI GENITORIBUS INVENTI SINT. Corrector quadrati et Itali MATRIS. corrector oblongi et Itali INGRATI. sed insuper scribendum est *genitoribu'* SINT INVENTI, quoniam hic poëta in hoc versuum genere aut tetrasyllabis usus est aut post monosyllaba trisyllabis, non contra. unus tamen est versus huius libri 309, *Omnia cum rerum primordia sint in motu*, in quo aut *in motu* pro uno vocabulo accipi debet aut potius scribendum est *Omnia cum sint in motu primordia rerum.*

618. TYMPANA TENTA. Utitur hoc versu Nonius p. 181, 26. mox quadratus *violentis signa furoris* pro *violenti*, et in V, 1231 *violenti turbine.*

623. CONTERRERE METU QUE POSSINT NUMINE DIVAE. Ut tela improbos metu conterreant, nihil opus est *divae numine*. rectissime amicus Havercampi *metu* NUMINI' *divae*. sed *s* litterae elisio librariis displicebat, ut paulo ante versu 615.

626. STERNUNT ITE OMNIA VIRUM. Itali ITER. OMNE VIARUM Turnebus, qui ita 'in sanctioribus exemplis' scriptum esse dicit adversariorum libro V, 26. intellegit ille Bertinianum codicem, qui est quadratus noster; in quo cum vidisset *omnia virum*, litterulas aliquot commutatas ne commemorare quidem voluit: habebat autem ante oculos *omnia mirum*, quod dederat ex primis editionibus cum Avantio et Pio Ascensius, cum Antonio Marii et Marullo placuisset *omnia circum.*

628. MATREM COMITUMQUE CATERVA. Corrector quadrati *catervam*. rectius Itali CATERVAS: sic enim scriptum extat versu 611 et 630.

630. INTER SE FORTE CATERVAS LUDUNT, IN NUMERUMQUE EXULTANT SANGUINE FLETI. *Catervas* oblongus et olim impressi: quadratus *catenas*; quod doctos sine causa exercuit, cum errori librarii adscribendum sit. verum ne id quidem quod habent ceteri, *catervas*, quicquam boni

Digitized by Google

in se continet, sed e superiore versu 628 in hunc perperam relatum est. nam oratio vinculum desiderat, quo alligentur illa quae his subiecta sunt, *Dictaeos referunt Curetas :* neque ferri potest quod Creechius dedit, isque, nisi fallor, primus, *et* in fine versus alterius positum ante *Terrificas*. itaque sententiam explebimus ita, *inter se forte* QUOD ARMIS *Ludunt* ——, *Dictaeos referunt Curetas*. nam *forte* temptandum non est, quo poëta significat eos non semper armis ludere, sed interdum, si quando libuerit. postremo *sanguine fleti* Wakefieldo placent, casti iudicii hominibus displicent. neque satis proprie Marullus *sanguine laeti :* Bentleius optime *exultant* SANGUINOLENTI.

632. TERRIFICAS CAPITUM QUATIENTES NUMINE CRISTAS. In libro v, 1315, ubi hic versus iterum legitur, *quatientes undique*. hic Lambinus, nisi neglegenter ageret, videre poterat MOMINE scribendum esse : neque enim putaverim eum cum Turnebo adversar. v, 27 *numen capitum* de nutu accepisse ; quod Gifanius Creechius Wakefieldus Forbiger quasi usitatissimum admittunt. *numen* est imperium ; quare etiam *mentis numen* Lucretius dixit in libro III, 144, pro nutu motuve aut pro icone dei nullus veterum posuit. sed grammatici a Varrone usum vocabuli discere noluerunt, originis disputatione abusi sunt. verba eius haec sunt in libro VII de lingua Latina p. 363. *Numen dicunt esse imperium. dictum a nutu*, (addendum *quod cuius nutu*) *omnia sunt, eius imperium maximum esse videatur. itaque in Iove hoc et Homerus et alius aliquotiens*. ubi legendum puto *et annalis ;* in quibus haec certe fuisse scimus, *Iuppiter hic risit, tempestatesque serenae Riserunt omnes risu Iovis omnipotentis*.

636. 637. ARMAT ET IN NUMERUM PERNICE CHOREA ARMAT IN NUMERUM PULSARENT AERIBUS AERA. Ita oblongus *Armat et in* priore versu, in altero *Armat in*, quadratus in utroque *Armati et in*. in priore paene servatum videmus ARMATEI, cetera delenda esse Lambinus intellexit primus. ex altero Charisius p. 72 et 97 *pulsabant aeribus aera*.

640. ARMATI MATREM COMITANTUR. Quadratus *matrem armati comitantur*. idem infra 936 *Nec commutari quicquam sine conciliatu*.

646—651. OMNIS ENIM PER SE —— NEQUE TANGITUR IRA. Haec Lactantius habet de ira dei 8, 1, item versi-

Digitized by Google

bus duobus (649 650) omissis scholiastes Statii ad Theb. III, 659; versum 650 Servius ad Aen. XII, 794; versum ultimum idem ad Aen. VI, 376 et ad eclog. VIII, 17, Nonius p. 252, 27 et 408, 20, commentator Horatii Cruquianus p. 363. horum nullus dixit ex quoto Lucretii libro hos versus repetierit, praeter Nonium, qui adscribit eos *secundo:* singuli in quibus peccarint dicere est otium perdere. *Semota ab nostris* oblongus hic, et in libro I, 46 uterque cum schedis: *a nostris* quadratus et schedae hic, item Lactantius et interpres Statii. *neque tangitur* nostri hic, neque aliter Nonius: *nec tangitur* exemplaria nostra in libro primo, Lactantius, Servius, commentator Cruquianus, scholiastes Statii.

656. CEREREMQUE VOCARE CONSTITUET FRUGES, ET BACCHI NOMINE ABUTI MAVOLT. Haec inter se non coëunt. scribi debet CONSTITUIT *et Mavolt*, aut *Constituet et Malet*. oblongus habet *numine*.

659. DUM VERA RE TAMEN IPSE. In his verbis pendere orationem neque id quod dici coeptum est absolvi patet. fuit autem hic in archetypo paginae huius libri XXVII versus quintus; cum quo siquis eiusdem paginae ultimum coniunget hoc modo, *dum vera re tamen ipse*

680. RELIGIONE ANIMUM TURPI CONTINGERE PARATO, nihil usquam relinquet difficultatis; nisi quod in horum ultimo vocabulo, quod in oblongo scriptum est *paràto*, errorem non citius deprehendet quam corriget: debet enim esse *dum contingere* PARCAT.

661. LANIGERAE PECUDES ET EQUORUM DUELLICA PROLES. Bis profert Nonius p. 80, 28 et 208, 22, sed priore loco *Lanigenae*. *duellica* autem Nonius confirmat, neque videntur vetustiores aliter dixisse quam *duellicum* et *perduelles*. ita Plautus semper, quamvis soleat in his *u* littera plerumque pro consonante uti, item Ennius apud Varronem de lingua Latina libro VII p. 335 *sumpserint perdvellibus*. satis mirabili ratione scriptum est in prologo Captivorum *valete, iudices iustissimi Domi, bellique dvellatores optumi*, contra in Asinaria III, 2, 13 *quae domi dvellique male fecisti*.

662. BUCERIAEQUE GREGES EODEM SUB TEGMINE CAELI. Praeter Nonium p. 80 et 208 his utitur Charisius p. 72, *Ceterum feminina omnia monosyllaba sunt excepto grege et rege, quorum alterum ex diverso genere constat: nam Lucilius in* II

Digitized by Google

ducerehas greges feminino genere dixit . quae a doctis temere inter Luciliana referri perspicuum est . Servius ad georgicon III, 287 , ubi est *Lanigeros greges* , *Lucretius contra Buceriaeque greges* . grammaticus saeculi duodecimi in auctoribus classicis Maii , tomo VIII p. 70 , *unde Lucretius Buceriasque greges eodem sub tegmine pavit* .

663. SITIM SEDENTES . Corrector quadrati et ceteri SEDANTES .

664. RETINENTE PARENTE NATURAM . Antonius Marii et Marullus *retinent* QUE PARENTUM *Naturam* .

668. QUAMVIS ANIMANTEM EX OMNIBUS UNA . *Quamvis* UNAM Lambinus . Antonius Marii et olim impressi cum haberent *quemvis* , Marullus non recte fecerat *quemvis unum* .

673. SI NIHIL PRAETEREA , TAMEN HAEC IN CORPORE TRADUNTUR . Immo *habent* , *cohibent* , *celant* , *gerunt* , *potiuntur* . nullum tamen vocabulum invenio , quod in *tradunt*ur facile mutari potuerit . interim aptissimum est in *corpore* CELANT . vide versum 678 , item libri I 514 et IV 1221 . corrector quadrati *in corpora tradunt* , Antonius Marii et olim impressi *in corpore tradunt* , unus Wakefieldi *trudunt* , Isaacus Vossius *aluntur* , Lambinus *tamen ex se ea corpora tradunt* ; quae omnia pariter vitiosa sunt .

674. UNDE IGNE IACERE . Corrector quadrati *ignes* : IGNEM Itali et impressi . oblongus *submittere* .

679. DENIQUE MULTA VIDES , QUIBUS ET COLOR ET SAPOR UNA 681. REDDITA SUNT CUM ODORE IN PRIMIS PLERAQUE DONA . *Cum dolore* oblongus et olim impressi . versum his interiectum postquam hinc removimus , cetera aperta sunt praeter *in primis pleraque* . multa enim colore et sapore et odore aucta esse dicit sive *donata* . ita *donandi* verbo usus est in hoc libro versu 73 , in V, 1095 1215 . neque in neutro genere haerendum est , cum *color et sapor una cum odore* illis rebus *reddita* dicuntur , ut in III, 283 *inter se commixta ventus et aër et calor* , praesertim cum poëta in fine adiecerit *dona* . sed non potuit his addi *in primis pleraque dona* , quod ne intellegi quidem potest : debuit id dici in quo summa rei est , multas res esse in quibus singulis non singulae sed plures qualitates sint , *in* PRIVIS PLURAQUE *dona* . nam *que* coniunctionem Lucretius non semper primo vocabulo annectit . *de terraque* VI, 884 , *ex oculisque* II, 70 , *ex altoque* IV, 200 ,

Digitized by Google

ex unoque II, 663, *ex aliisque* IV, 1249, *ex animique voluntate* II, 270, *ex animoque* V, 49, *ab rebusque* IV, 65, *in caeloque* V, 1188, *in medioque* IV, 1100, *ad caelumque* VI, 562, *re veraque* II, 48, *aequo animoque* III, 962, *fit utque* VI, 1007, *multa facitque* IV, 273, *errorem vitareque* IV, 823, *res ipsaque* II, 1050, *illa huiusque* VI, 1085, *crescere itemque dies licet* V, 680, *super stellisque* V, 1205, *persectantes visaèque volantes* IV, 1010.

683. QUA SUCUS NON IT IN ARTUS, SUCUS ITEM SORSUM SAPOR INSINUATUR SENSIBUS; UT NOSCAS PRIMIS DIFFERRE FIGURIS. *Sucus* ad saporem pertinet; ut in VI, 986 *Nam penetrare alio sonitus alioque saporem Cernimus e sucis, alio nidoris odores*, et in II, 845 *Et sonitu sterila et suco ieiuna feruntur*. atqui de sapore post sucum dicit, *sorsum sapor insinuatur:* deest autem coloris mentio, cum tamen supra dixisset *et color et sapor una cum odore*. ergo scribendum est *qua* FUCUS *non it in artus*, FUCUS *item sorsum*. nam *fucus* color est: paulo post 745 *nullo circum lita fuco*, et in IV, 84 *lintea de summo cum corpore fucum Mittunt*. SORSUM autem bis scribendum est, non cum Vossio *seorsum et seorsum*. ita in IV, 494 *Seorsus item sapor oris habet vim, seorsus odores Nascuntur, sorsum sonitus*. in horum versuum ultimo idem Vossius PRIVIS *figuris*, quod recte probant Creechius et Havercampus, inscite reicit Wakefieldus, Forbiger silentio transmittit.

693. AUT NULLA INTER SE DUO SINT EX OMNIBUS IDEM. Verum non est, quod dicit Havercampus, in Vossianis esse in fine versus *eadem:* est enim Marulli. itaque hoc infelici conatu Eichstadius recepit, Forbiger pari infelicitate tuitus est. nam duas vocales breves sub ictu in longam contrahere nullus poëta Latinus ausus est. Ausonium enim non curo, cuius est in professoribus X, 17 *Credita puerities*. P. Varro duabus syllabis recte dixit *Phaethon*, Manilius *Phaethontem* tribus; scilicet Latinae linguae proprietatem secuti, qua *ae* vocales breves necessario in diphthongon coalescunt. *Piraeus* enim Latine non aliter sonare debet quam Πειραιός, *Piraeeus* Πειραιεύς · Πειραεὺς ori Latino non convenit. Cicero ad Atticum VI, 9 et VII, 3, 10 utrum *Piraeëa* an *Piraea*, id est Πειραιέα an Πειραιᾶ, scripserit non videtur constare: in versu Statius Thebaidos XII, 616 et qui scripsit Cirin 467 *Piraeëa*. dixerunt quidem *Phaëthonta* Graeco more, ut *Aëllo*,

Digitized by Google

Horatius Ovidius Martialis, sed plerique ambigue. in versu nostro rectius Lambinus *ex omnibus isdem ;* quod est sane simplicissimum , sed videtur abhorrere ab usu Lucretii, ut dicam ad librum IV, 933 . itaque potius est ut haec ad *versus* relata ita formemus, *Aut* NULLI *inter se duo sint, ex omnibus, idem*.

695. SIC ALIIS IN REBUS ITEM COMMUNIA MULTA MULTARUM RERUM CUM SINT PRIMORDIA, RERUM DISSIMILI TAMEN INTER SE CONSISTERE SUMMA POSSUNT. Non *rerum summa*, sed *primordiorum*. hoc Marullus cum intellexisset (non intellexerunt Havercampus et Wakefieldus), scripsit *longe Dissimili ;* quod ab Eichstadio probatum Forbiger adeo veneratur, ut ne audeat quidem dicere et exemplaria vetera et Wakefieldum dissentire. recte unus ex omnibus Isaacus Vossius , probante uno Abrahamo Preigero, VERUM *Dissimili tamen :* nam *verum tamen* ita in apodosi poni notissimum est.

706. PER TERRAS OMNIA PARENTIS. Itali et Veronensis editio OMNIPARENTIS.

716. NEQUE INTE VITALIS MOTUS CONSENTIRE ATQUE IMITARI . Corrector quadrati *inter : intra* Antonius, impressi, Marullus. legendum est INTUS. nam *consentire*, hoc est una sentire, hic cum accusativo coniunctum esse ex eo apparet quod adicitur *atque imitari* . itaque *intus* in corporibus animatis ea corpuscula quae eiusdem generis sunt, cum corporibus insinuata sunt , *vitales motus* ceterorum et una sentiunt sive *consentiunt*, κατὰ συμπάθειαν, et *imitantur*, hoc est eosdem motus moventur suosque consociant.

719. QUEDAM RATIO DISTERMINAT OMNIS. Quadratus vitiose *quidam* . sed Marullus optime OMNIA , de quo dixi ad librum I, 1106 . non multa tamen huic similia invenientur ; velut *verba precantia* apud Maronem Aeneïdos VII, 237, *conubia* in Lucretii III, 776, in Senecae Hippolyto 232, Oedipo 800, apud Statium *tenvia ossa* et *tenvia ora* Thebaidos V, 597 VI, 196 , et si forte scripsit *Laviniaque venit* Vergilius, quod habet Servii in artem Donati codex Santenianus p. 316 (p. 521 Lindemanni, qui librum saeculo nono scriptum dicit *recentiorem*) et Censorini Darmstadiensis p. 93 Iahnii. ita comici *nescio* saepe disyllabon faciunt, ut in Hecyra I, 2, 111 *Dixére causam tím nesció quam. iterím iubet* . ita *néscio quid*

Digitized by Google

semper dicendum est, ut in Hecyra III, 1, 24 39 41, in Andria V, 2, 14, non divisis vocalibus, quia certissimum est vocabula dactylica trochaei loco in versu poni non debere. nam quae in hoc genere Bentleius (sed quis non?) peccavit corrigenda sunt, *éiciat* Andr. II, 3, 8, *Pámphilus* V, 6, 1, *Pýthias* Eun. V, 2, 62, *ánulus* Ad. III, 2, 49, *Pámphila* IV, 4, 11, *ómnibus* Hec. III, 1, 6, *Phǽdria* Phorm. III, 1, 20. scribendum est in Andr. V, 4, 25 *mortuust*, 37 *scruplus*, Ad. IV, 7, 40 *hosne*. neque in Andr. V, 4, 33 *relinquere* ferri potest, ubi legendum puto *post ibi* pro *postilla*; neque *décipis* in Phorm. III, 2, 43, quod facio *decipi*; neque *ómnibus* in Ad. V, 9, 14 et Hec. III, 3, 20, sed scribendum *Omnibus gratum habeo* et *Omnibus nobis ut res dant se*. in Andr. III, 5, 7 caremus Bembino codice, sed scribendum puto *Qui sum pollicitus ducere? neque qua fiducia id audeam Nec quid me nunc faciam scio*. in Ad. IV, 4, 8, ubi est *Sóstrata* pro trochaeo, versus recte distinguere difficile est. non recte vulgo coniunctim scribi *póstmodo* ex Hecyra II, 1, 11 apparet, eademque ratione *dúm modo* non nisi diiuncta recipit septenarius Afranii, quo utitur Cicero in Tusculanarum disputationum libro IV, 45, *Heu me miserum. dum modo doleat aliquid, doleat quidlubet*. his multo mirabilius est *o* correpto *quó modo*, non *quómodo*, in Trinummo 602 855. in eadem 792 legendum puto *Ille quem habuit periit*, non *Illum — pérdidit*, et ibidem 1127 *Nam ex his aedibus me exaedificasset, apsque te foret*, ubi libri vocabulis traiectis habent *áedibus apsque*. non recte Scaliger in versu Lucilii *dícere fortunám genus*, cum poëta scripsisset, ut puto, *Quo facetior videare et scire plus quam ceteri, Pertisum hominem, non pertaesum, dicere aerumnamst opus:* nam in Farnesiano Festi exemplari est *dicere ferum nam genus* p. 273, 11. idem Lucilius non scripsit *Sóspitat ínpertit*, sed *Sospita, inperti salute plurima et plenissima*, apud Nonium p. 472, 15: haec enim Iovis Fortunaeve invocatio illis pulcherrimis versibus subiecta fuit, quos exhibet Nonius p. 308, 24 et p. 37, 22 28, *Rem* (libri *Item*) *populi salute et fictis versibus Lucilius, Quibu' potest, impertit, totumque hoc studiose et sedulo*. Ennii senarius qui est apud Ciceronem de officiis libro I, 16, 51, ita recte scribitur, *Quasi lumen de suo lumine accendat facit:* vitiosum est, non elegantius, *Quasi de suo límine lumen*.

721. ITA CUMQUE NECESSEST. Marullus QUANQUE.

Digitized by Google

730. MEO DULCE QUESITA LABORE. In libro III, 419, *Conquisita diu* DULCI*que reperta labore*. fortasse scribi debet *dulcei:* sed ab auctoritate magis valent *omnei* et *talei* in libro VI, 1143 1251.

734. NIVE ALIUM QUEMVIS QUE SUNT INBUTA COLORE. *Nive* oblongus, itaque Antonius Marii, Brixiensis editio *Huic: Neve* quadratus et ceteri. in libro III, 286 *Ni* veteres et Antonius, impressi *Ne*. observavit hoc in utroque loco Lambinus; quod fugit Handium in Tursellini tomo IV p. 185, quoniam hoc saeculum avaritia librariorum nutrit Forbigeri sordibus, qui poterant multo rectius Lambini et Creechii commentarios huiusque paraphrasin recoxisse. ipsum hoc *ni* Catullo restitui LXI, 153. Pacuvius in Duloreste *primum hoc abs te oro, ni me* (*nimis* apud Nonium p. 184, 6) *inexorabilem Faxis: ni turpassis vanitudine aetatem tuam, Oro, nive* (*mi ne* apud Nonium p. 160, 11) *plectas fandi mi prolixitudinem*. in extrema parte versus *colorem* Antonius et impressi. sed *colorem imbuta* Lambinus Latine dici posse negat, Wakefieldus sibi saepissime lectum ait, Forbiger notissimum: utri parti creditis, Quirites? Forcellinum Charisio auctore usum esse scio: sed in huius libro V p. 266 Lindemannus ex codice non *Imbuo* dedit, sed *Induo puerum rubricam et rubrica*. itaque Lambinus scripsit *induta colorem;* cui emendationi tamen non satis fidei facit quod Wakefieldus ex Ovidii metamorphoseon I, 270 attulit, *Nuntia Iunonis varios induta colores Concipit Iris aquas:* nam ibi dea vestem sumpsisse fingitur, ut Hector Vergilianus *exuvias indutus Achilli*, cum eae res quas Lucretius dicit ipsae se coloribus tinxisse non putentur. quare potius est ut scribatur *Nive alium quemvis*, QUO *sunt inbuta colore*, *Propterea gerere hunc credas*.

736. TINCTA COLOSE. Corrector quadrati et ceteri COLORE.

741. SOLIS QUI NUMINA NUMQUAM DESPEXERE. Antonius Marii et Marullus LUMINA. Avantius DISPEXERE.

743. EX INEUNTE AEVO. Hic versus quonam loco ponendus esset Bentleius ostendit. quid Wakefieldus? 'quâ de caussâ' inquit, 'non equidem valeo dispicere.' quid Forbiger? 'Hunc versum' inquit 'Bentl. *melius* post v. 748. locari censet.' alter levitatem suam candide fatetur, alter mentitur

Digitized by Google

sciens: Bentleius enim illud *melius*, quod delirantis est, non scripsit, sed haec verissima, 'Versus luxatos sic in ordinem restituo.'

749. MUTATUR ET OMNIS. Antonius Marii et Naugerius IN *omnis*. miror Marullum scripsisse *in omnia*, Avantium *in omni*.

757 — 806. PRAETEREA SI. Hos versus, quos hic omissos quadratus post librum sextum exhibet, quinquaginta duos esse intelleget qui indice capitulorum uti didicerit. ex eodem autem numeris subductis apparebit hanc esse libri secundi schedam sextam decimam: nam versibus poëtae DCCLVI addendi sunt tituli XXIV, qui fiunt versus DCCLXXX, hoc est paginae XXX versuum vigenum senum.

759. OMNIGENUS —— COLORES. Sic aliquotiens libri veteres, item in Varronis rerum rusticarum III, 5, 11 14 *quae sunt avibus omnigenus oppletae* et *aves sunt omnigenus*. saepius tamen et rectius scriptum OMNE *genus*. corrector oblongi, item Antonius Marii et omnes impressi, *omnigenos*. hoc falsum esse demonstrabo ad librum V, 441: *omnigénus* fortasse dixerunt qui unius e duobus accentibus vellent facere compendium. certe simili modo multa conglutinarunt, *omnimódis*, *multimódis*, *tam étsi* pro *támen et sí*, *antíre* (sic apud Gratium 385), *domítio*, *paeninsula*, *paenúltimus*, *magnópere*, *tantópere*, *aequánimo* (sic glossarium Philoxeni), item correpta vocali longa *siquídem*, *quandoquídem*, *quómodo*, consonante paulum inmutata *quem ámmodum*, *iandúdum*, *aliquandiu*, *tánquam*, *pósquam*.

760. PRAETEREA MAGNI QUOD REFERT. Antonius Marii et Marullus PROPTEREA; quod Gifanius Creechiusque recte probarunt, Lambinus et Wakefieldus neglexerunt. Forbiger quid faceret, nisi contemneret?

763. PERFACILE EXEMPLO. Brixiensis editor et Lambinus EXTEMPLO.

765. FIERI POSSUNT. Lambinus POSSINT.

779. QUIDDAM QUADRATUM UNAQUE FIGURAS. Antonius Marii et Marullus *figura est:* rectius olim impressi *unaque* FIGURA. Muretus *unaeque figurae*, contra consuetudinem Lucretii, qui dixit *unius horae*, *rei*, *guttai*.

780. UTI IN QUADRATO. Scribendum est UT *in*, ut dixi versu 322.

Digitized by Google

781. IN AEQUORA PONTI. Veronensis editio et Marullus AEQUORE.

783. VARIOSQUE CALORES. Omnes praeter veteres membranas COLORES.

785. QUO QUADRATUM MINUS OMNE SIT EXTRA. Hoc nihili esse Lambinus ostendit invitus, dum ita exponit, 'quadratum ex triangulis factum extra triangula est, non in triangulis.' Gifanius minus perversa re, sed contra verbi proprietatem, '*extra*, in superficie et ambitu.' scribendum est *quo quadratum minus omne sit* EX HIS.

788. QUAE DUCIT ET INLICITU TRIBUAMUS. *Et* omittit oblongus et, nisi fallor, olim impressi, certe Venetus. *et inlicit* UT *tribuamus* verissime Turnebus et Lambinus.

790. NON ALBA CREATUR, NEQUE NIGRA CLUENT DE NIGRIS, SED VARIIS EA. Antonius Marii CREANTUR NEC *quae*. deinde Lambinus *sed variis de:* Wakefieldus paulo rectius *variis* EX.

800. RECTA AUT OBLIQUA — REFULGET. Ante *aut* oblongus habet ϕ, quadratus *q* (non *q;*), sed uterque punctis supra et infra positis damnatum. REFULGIT cur scribendum sit dicam ad librum v, 768.

803. CLARO SIT RUBRO PYROPO. Quadratus *claro sit robro*. Brixiensis editio et Veronensis *clara sit rubro*, si Gerardo credendum est: nam de Veneta et Avantiana scio eum fallere, quae habent *claro sit* RUBRA, ut Antonius Marii et Marullus. ceterum in hoc versu absurde Wakefieldus cum sua familia *Namque alia* ex olim impressis. *alias* habent veteres, Antonius, Marullus, Avantius.

805. INTER CAERULEUM VIRIDIS MISCERE ZMARAGDOS. Oblongus *zmaracdos*. Forbiger *smaragdos* dicit esse 'meliorem aurei aevi scripturam': nos hac ferrea aetate vetustissimorum exemplarium fidem sequemur. idem Forbiger de *caeruleo* nugas agit: verissime enim Wakefieldus et illi eximio acumini, quo utinam ne plerumque male abusus esset, convenienter scripsit *Inter* CURALIUM. cui poterant hoc certe vel Forbigeri credere, Serenum Samonicum huc respexisse, cum scriberet hos versus 951, *Curalium vero si collo nectere males, Ne dubites illo virides miscere smaragdos*.

806. LARGO CUM LUCE REPLETA EST. In hoc genere interdum veteres *luce claro* et *primo luci* dixisse constat: sed

Digitized by Google

Lucretius cum *clara praeclara diurna luce* dixerit et similiter cetera, corrector quadrati et Antonius Marii itemque post hos omnes recte scripsisse videntur LARGA.

809. SCIRE LICET SINE EO FIERI NON POSSET PUTANDUM EST. Corrector quadrati et ceteri POSSE. sed Marullus praeterea delevit *est;* non recte, nisi insuper scriberet *fieri non esse putandum*, ut in III, 866 *Scire licet nobis nihil esse in morte timendum*. multo rectius Lambinus et prorsus consuetudine poëtae *Scilicet id sine eo fieri non posse putandum est*. ita in IV, 773 *Scilicet id fieri celeri ratione putandumst*, et in II, 710 *Scilicet id certa fieri ratione necessust*. restat tamen ut deliberetur, potueritne hic semel Lucretius *scire licet* absolute ponere, cum contra consuetudinem suam semel *scilicet* itemque semel *videlicet* cum infinitivo coniunxerit, in II, 469 *Scilicet esse globosa*, et in I, 210 *Esse videlicet in terris primordia rerum*.

813. EA QUAE TANGAS QUO FORTE COLORE PRAEDITA SUNT, VERUM QUALI MAGNIS APTA FIGURA. *Tangas* uterque, non *tangis*. oblongus *fugura*. *Praedita* SINT Marullus, MAGIS *apta* corrector quadrati et ceteri.

815. NIHIL PRINCIPIIS OPUS ESSE COLORE. Nonius p. 481, 33 *Sic et opus illam rem* (debuit scribere *illa res:* nam hoc exemplis docuit, non alterum) *pro illa re*. —— *Lucretius lib.* II *Scire licet nihil in principiis opus esse colores*. nihil interest: scribemus tamen potius cum Lambino COLORES, quia et antiquiorem testem habet et minus vulgare est. in Plauti Bacchisin IV, 4, 56 legendum est *Ego dabo. tum nobis opus est sumptus. a, placide volo Unum quicque agamus;* ubi libri habent *sumptu*.

821. OMNIGENUS PERFUSA COLORIBUS. *Omnigenis* corrector quadrati, Antonius Florentinus, ceterique. rectius OMNE *genus*.

827. DISTRAHITUR HOC MAGIS MAGIS EST. Sic quadratus, sed *Distraitur*. oblongus recte *Distrahitur* MAGIS HOC *magis est*, sed a correctore Saxone in litura totidem litterarum *magis hoc*.

829. UT FIT UBI IN PARVAS PARTIS DISCERPITUR AURUM: PURPURA POENICEUSQUE COLOR CLARISSIMUS MULTO, FILATIM CUM DISTRACTUM EST, DISPERDITUR OMNIS. Ex his ante omnia removendum est vocabulum bar-

Digitized by Google

barum . nam post Car. Ludov. Struvium ego ad Ulpiani regularum titulum x, 1 et in novo museo Rhenano III p. 613 docui *venditur vendi* hisque similia primos ex eis quos novimus scriptoribus Ulpianum et Paulum dixisse, *perditur* autem pro *perit* omnino nullum . exciderant mihi tum de memoria versus Afranii, quos Donatus exhibet ad Terentii Adelphos III, 4, 34 ita scriptos, *Is, ut servorum captus est, facillime Domo atque nostra familia provenditur;* in quibus Neukirchius de fabulis togatis p. 252 cum dicit verum esse *facillume familia pro venditur*, id sese intellegere significat quod mihi est obscurissimum . interim certum est neque Afranio *venditur* convenire, neque *vendantur* Varroni rerum rusticarum III, 7, 9, neque Horatio *perditur* . hunc igitur dixi in sermonum II, 6, 59 scripsisse videri *Porgitur haec inter misero lux;* cui simillimum est quod Ovidius in metamorph. IV, 199 solem Leucothoës amore captum *horas brumales porrexisse* fingit . sed recordari debebam e Lucretii versu tam foedam mendam a me iam ante complures annos sublatam esse; in quo dubitari non potest quin a poëta fuerit DISPERGITUR: hoc enim usus est in I, 309 III, 539 IV, 395 . vix dignum relatu est in VI, 593 quadratum habere *Disperditur*, et Guelferbytanum librum saeculo decimo scriptum in secunda ad Corinthios epistula XII, 15 *super inperdar* pro *inpendar*. iam vero in ipsa re de qua poëta agit, non multum interest, *distractum est* legatur cum membranis et Italis et olim impressis, scilicet *aurum*, an *distractus* mutata orationis forma, ut Marullus et Lambinus, hoc modo, *Ut fit ubi in parvas partis discerpitur aurum, Purpura poeniceusque color clarissimu' multo Filatim cum distractus disperditur omnis* . idem enim remanet, cum discerpatur aurum, purpuram et colorem puniceum dispergi et evanescere: haec autem inter sese non cohaerere et *auri* mentionem praeter rem fieri quivis intellegere potest. neque melius qui fecerunt duo membra, ut Avantius, *Ut fit ubi in parvas partis discerpitur aurum:* item *Purpura poeniceusque color, — Filatim cum distrahitur, disperditur omnis*, aut ut Naugerius, qui orationem hoc modo distinxit, ut *cum distractus* ita capiendum esse indicaret, *cum distractus est*. hic vero unus inter omnes Wakefieldus recte negavit de colore auri hoc verum esse, quod dicatur, cum discerpatur aurum, *evanescere paulatim stinguique*. hic igitur scribendum existimavit *ubi*

Digitized by Google

in parvas partis discerpitur ostrum; quod quia sanae mentis indicium habet, Forbiger ne commemorari quidem posse opinatus tacuit. at cum idem Wakefieldus praeter omnem necessitatem scripsisset *quom distractus est*, Eichstadius sine mora fecit *distractust*, Forbiger, ut diligentiam ostenderet, cum apice *distractu'st:* sed Lucretius utrum eo modo verba contrahere consueverit quaerere, id vero hi nobiles critici nimiae et putidae diligentiae esse iudicantes, toto saeculo et amplius poëtas in versibus hexametris pangendis nihil mutasse fingunt. Ennii enim haec sunt apud Festum p. 166, 29 et 178, 15, *Alter nare cupit, alter pugnare paratust, Hic occasus datus est, at Oratius inclutus saltu*, item in Ciceronis Bruto 58 et in Gellii XII, 2 *is dictust ollis popularibus olim:* sed neque Q. Catulus scribere potuit, ut opinor, *Mortalis visust pulchrior esse deo*, sed *visus*, et Varroni imperite adscribitur *denique avarus Quis sanust?* qui versus quomodo formandi essent dixi supra ad versum huius libri 181. monstri vero simile est quod Scriverius tamquam Lucilianum Martiali infulsit in XI, 90, *hic situ' Metrophanes'st;* cum satis appareat, quod Schneidewinum non animadvertisse miror, in Lucilii disticho sententiam plenam non inesse, sed aliunde pendentem, Martialem autem scripsisse *Et tibi Maeonio quoque* (non *quod*) *carmine maius habetur 'Luceili columella, hic situ', Metrophanes'*. itaque in versu Lucretii *distractust* probari non debet. neque vero *ostrum* hic scribere potuit poëta; quod est molestissimum intolerabili verborum abundantia, *ostrum, purpura, poeniceusque color*. mihi igitur semper probabile visum est, ubi *aurum* legitur, debere esse *purpurae*, hoc est purpureae vestis, epitheton, quale esset *ardens:* nunc quoniam *auream purpuram* in versu 502 legimus, hic quoque verissimum duco *discerpitur* AUREA *Purpura*. nam qui in versus fine posuit *omnia*, ut dixi ad librum I, 1106, idem eodem loco ponere potuit *aurea;* quo ita Ovidium in metam. XII, 395 usum videri notavi ad huius libri versum 118. item Horatius sermonum II, 2, 21 *neque ostrea*, qui in hoc Lucilium sequitur (apud Nonium p. 216, 15 *quid ergo? sic erit. ostrea Cognorit fluvium limum ac caenum sapere ipsum;* ubi libri *quid ego si cerno ostrea*), Vergilius *et Ismarus Orphea, saevumque Typhöea*, similia alii. haec autem vestis purpurea quoniam rectius *filatim distrahi* dicitur quam color poeniceus (sic in V, 1421 de pellicia

Digitized by Google

veste *inter eos distractam sanguine multo Disperiisse*), non debet scribi *distractus*, sed DISTRACTA *est*. itaque hos versus et emendatos et elegantes esse aio, si ad hunc modum scribantur. *Ut fit ubi in parvas partis discerpitur* AUREA *Purpura, poeniceusque color clarissimu' multo, Filatim cum* DISTRACTA *est*, DISPERGITUR *omnis*. unum restat, quod Adolfus Schmidius, vir clarissimus, in accuratissima de purpura dissertatione (*forschungen auf dem gebiete des alterthums* I p. 101) puniceum colorem purpurae adscribi posse negat: illum enim proprium esse cocci; nisi quod idem (p. 147) in hysgino coccum sub Tyrio fuisse concedit. at Seneca in Medea 99 *ostrum puniceum* dixit, *Ostro sic niveus puniceo color Perfusus rubuit:* neque *poeniceus* color aut a Phoenice terra aut a palmae fructu, ut Gellio visum est II, 26, nomen duxit, sed a *Poenis*. hoc et syllabae modulus docet, qui differt a Graeco (sic Plautus in Pseudulo I, 2, 92 *Crás, Phoeniciím, poenicio cório invises pérgulam*), et Varro clare ostendit de lingua Latina libro V p. 117. huius verba, quia Schmidius non recte cepit, subieci. *Lana Graecum, ut Polybius et Callimachus scribunt. purpura a purpurae maritumae colore, ut poenicum* (codex Florentinus *colerent penicum*), *quod a Poenis primum dicitur allata*. hoc est, poenicum item ut purpura a colore nomen habet, quod eo tincta lana a Poenis primum dicitur allata. ceterum *punicum* et *puniceum* promiscue dixerunt de colore et de gente. ut *poenicum* Varro et Horatius in epodo IX *victus hostis punico Lugubre mutabit* (sic scribendum est non *mutavit*) *sagum*, ita *punica rostra* Propertius in IV, 3, 32 et Ovidius amorum II, 6, 22. contra lex Thoria 75 *bello Poinicio proxsumo*, et idem Ovidius in Ibide 280 *A duce Puniceo*.

833. QUAM DISCEDÛNT. Hoc in codice archetypo fuisse apparet: nam oblongus habet *discedunt*, quadratus *disceduant*. Marullus DISCEDANT.

840. NE MINUS HAEC. Apud Festum p. 321, 34 NEC *minus*.

841. QUAE SUNT ALIIS REBUS PRIVATA NOTAQUE. Quadratus *notaquae*. scribendum est NOTARE. ita in I, 700 *quid nobis certius ipsis Sensibus esse potest, qui vera ac falsa notemus?* Lambinus ineptissime *aliis rebus notisque*, Wakefieldus *privata notarum* (haec enim inter se coniungit) absurde.

842. SOLOS POLI ITA COLORE. Quadratus *solus*. huius corrector et ceteri *solo* SPOLIATA *colore*.

Digitized by Google

845. ET SUCO ET UNA FERUNTUR. Antonius Marii et Marullus IEIUNA. infra libro IV, 876 *ieluna* sive *teluna*.

846. ULLUM PROPRIUM DE CORPORE ODOREM. Marullus PROPRIO.

848. NECTAR QUI NARIBUS HALAT. Apud Festum p. 165, 9 *qui floribus halet*.

850. QUOD LICET AC POSSIS REPERIRE. Lambinus QUOAD *licet ac* POTIS ES *reperire*. Ludovicus Carrion mihi videtur mendacium dicere, cum scribit in emendationum libro II, 17 'plane ac disertim in libro manuscripto legitur *Coad licet ac potis est reperir inolentis olivi*; ut dubium non sit quin *potis est reperiri* scribi debeat.'

853. CONCOCTOSQUE SUO CONTRACTAS PERDERE VIRO. Apud Priscianum p. 722 *Contractosque suo contractas perdere viro*. ibi Krehlius in quibusdam exemplaribus esse dicit *suo contrectans* sive CONTRACTANS. hoc cum aperte verum sit, Forbigero sordet prae rusticitate Italorum, qui fecerunt *contactos*. apud Nonium p. 188, 11 *Concoctasque suos servare et perdere viro;* quod idem Forbiger recte ita accipiendum esse iudicat, ut sit *suo superare et perdere viro:* sed idem, cum *superare* 'notissimo compendio scriptum facile in *servare* transire potuisse' dicit, sibi videlicet id quod numquam in rerum natura fuit notissimum esse profitetur. *viro* praeter Lucretium ablativo casu dixisse videtur Septimius Serenus in opusculis, versu iambico, *Non dignus in quem debeam saturam calente viro Ingerere*. apud scholiasten Iuvenalis sat. IV, 2 scriptum est *Sesenus lib.* II et *calente vi adingerere*.

854. PROPTER EANDEM DEBENT PRIMORDIA RERUM. Ita oblongus: quadratus *Propterea eandem*. Itali et Marullus *Propterea tandem*, Lambinus *Propterea demum*, errore turpi: debebant enim videre haec a superioribus apta esse, *Sicut quaerere par est inolentis olivi Naturam, Quam minime ut possit odores suo contractans perdere viro, Propter eandem* REM *debent primordia rerum Non adhibere suum gignundis rebus odorem*.

860. MOLLIA, LENTA, FRAGOSA PUTRI, CAVA CORPORE RARO. Turnebus in adversariis X, 8 MOLLI *lenta corpore*.

867. PRINCIPIIS CONSISTARE. NEQUE ID MANU-

Digitized by Google

FESTA REPUTANT. Correctores antiquissimi CONSTARE et *manifesta* REFUTANT. ceterum in membranis hoc uno loco legitur *manufesta*, *Maxuma* in v, 481. in epistula ad Hebraeos VI,8 Claromontanus codex apud Sabatarium *proxuma*, quod sane mirum est. ita tamen Nonius quoque p. 441, 28 *verum utrorumque verborum ratio sub hac significantia proxuma est veritati*.

872. CUM SIBI INACTA EST. Corrector quadrati et plerique alii NACTA *est*.

875. VERTUNT SE FLUVII IN FRONDES ET PABULA LAETA IN PECUDES. Recte Lambinus FLUVII, *frondes, et pabula laeta*. at supra 596 idem, ut fuit homo levis, cum Marullo *fluidas frundeis et pabula laeta*. ibi Wakefieldus, quique ei dictata reddunt, *fluidas*, in hoc versu *in frundeis*.

882. ET IGNIS OMNIA VERSAT. *Et* IN *ignis* Antonius Marii et Marullus.

888. EX INSENSILIBUS NE CREDAS SENSILE GIGNI. Priscianus p. 632 *Ex praeterito plausi plausibilis, sensi sensibilis vel sensilis. Lucretius in secundo Ex insensibili ne credas sensile nasci*. neque aliter e Prisciano grammaticus saeculi duodecimi in auctoribus classicis Maii, tomo VIII p. 515.

891. ILLUD IN HIS IGITUR FEDUS MEMINISSE DECEDIT. Corrector quadrati et post eum omnes DECEBIT. quadratus *sedus:* Avantius REBUS; 'quod Bentleio placuisse, cum Wak. miror' inquit Forbiger, cui *foedus* probari non miror.

893. SENSILIAETEMPLO ME GIGNI DICERE SENSUS. Quadratus *Sensilia et templo*. Marullus SENSILE, ET EXTEMPLO Naugerius.

902. DEINDE EX SENSILIBUS QUI SENSILE POSSE CREARI CONSTITUUNT PORRO EX ALIIS SENTIRE SUETI, MOLLIA CUM FACIUNT. Hic Lambinus, cum cetera non perspiceret, recte legendum vidit *ex aliis sentire* SUETIS, hoc est ex aliis sensilibus: Creechius omni sententia recte percepta *Denique principiis qui sensile:* uterque parum apte *Mollia tum faciunt*. Creechius nisi arte parum valuisset, verum videre poterat: debet enim scribi *Deinde* EA, SEMINIBUS *qui sensile posse creari Constituunt porro ex aliis sentire suĕtis, Mollia* IAM *faciunt*. his ita constitutis ratio in proximis exposita ut procedat, aliquot litterulae immutandae sunt. *nam sensus iungitur omnis Visceribus, nervis, venis;*

Digitized by Google

905. QUAE CUMQUE VIDEMUS MOLLIA. Immo *quae* CUNCTA *videmus Mollia mortali consistere corpore creta*.

908. DEBENT AUT SENSUM PARTIS HABERE AUT SIMILIS TOTIS ANIMALIBUS ESSE PUTARI. *Similis* oblongus et olim impressi: quadratus et Antonius Marii *similes*. Marullus *Aut similia totis*, eodem errore quo supra 693 scripserat *duo sint ex omnibus eadem*. scribendum est *Aut* SIMILI *totis animalibus* scilicet sensu *esse putari*.

910. AUT NEQUEANT. Marullus AT: sed idem perperam *parteis*.

911. NAMQUE ALIOS SENSUS MEMBRORUM RESPUIT OMNIS. Quadratus *alius*. quid poëta voluerit dubium esse non potest: negat enim membra singula seorsum sentire posse, quippe quae ad aliud referantur, hoc est ad animam. neque hoc difficile est ex verbis leviter corruptis extundere. scripsit poëta *Namque* ALIO *sensus membrorum* RESPICIT *omnis*. priorum conatus examinare nihil attinet.

923. SIC ITIDEM QUE SENTIMUS SENTIRE NECESSEST. Quadratus *Sicutidemque:* corrector quadrati *Sicuti denique*. verissimum est quod habet oblongus, sed ab eo loco quo scriptum legitur alienum. itaque haec ad superiora referri debent. sic, inquit, si primordia totis animalibus similia sunt sensu, ea quae nos sentimus itidem sentiunt. ex his autem quia consequitur ea mortalia quoque esse, statim subicit poëta *Qui poterunt igitur rerum primordia dici, Et leti vitare vias, animalia cum sint*

918. ADQUE ANIMALIBUS MORTALIBUS UNA EADEMQUE? Hic Marullus *Atque animalibus sint mortalibus una eademque*, sine sensu. neque melius Wakefieldus *animalibus in mortalibus;* quod ab Havercampo sumpsit, qui falso adscribit oblongo. legendum est *animalia cum sint* primordia, *Adque* ANIMALIA SINT *mortalibus una eademque*, hoc est, et cum res animatae non differant a mortalibus.

919. ABEORETU CONCILIOQUE. Brixiensis editio *ab eo coitu*, Veneta *ab eo ortu*, Marullus *ab coetu*. hunc ceteri secuti sunt: sed cum Lucretius ante *c* litteram semper *a* dixerit, *a curis*, *a caelo*, *a caeli*, *a certo*, *a corpore*, potius scribendum est *Quod tamen ut possint*, AT COETU *concilioque Nil facient*.

Digitized by Google

921. SCILICET UT NEQUEANT. Recte *ut* NEQUEUNT de re certissima Gifanius et Bentleius.

927. ANIMALIS. 928. ALITUM. Claudius Sacerdos p. 23 *animantium* et ALITUUM. in versu 926 Creechius haeret sine causa: dixerat enim poëta supra versu 886 *fugere* animum id ipsum quod tamen experientia confirmet, scilicet *gigni posse ex non sensibu' sensus*.

928. VERMISQUE OFFERVERE TERRAM, INTEMPESTIVUS QUAM PUTOR CEPIT OB IMBRIS. Quadratus *offerruere* et *coepit*. EFFERVERE Itali. Marullus INTEMPESTIVOS *cum putor coepit ob imbreis*. Lambinus distinctione emendata *terram* CUM *cepit*.

931. DUM TAXAT ORIRI POSSE EA NON SENSU SENSUS MUTABILITATE, AUT ALIQUO TAMQUAM PARTU QUOD PRODITUM EXTRA. Quadrati corrector *Posse a non sensu*. Lambinus se prima editione libros vulgatos secutum scribit, qui habeant *Posse ex non sensu*. ego illos 'libros vulgatos' non novi, sed valde probandum duco *dum taxat oriri Posse* EX *non sensu sensus mutabilitate:* his enim respondet in proximis *Non commutari quicquam*. sequitur alterum, *Aut* sensus ex non sensili oriri posse, *aliquo tamquam partu quod* PROTINUS EXTENT: ita enim haec paulum adiuvanda esse perspicuum est; ad quae pertinet in proximis *Non fieri partum*.

934. ICUIC SATIS. Itali et impressi HUIC.

938. ANTE LESAM GENITAM. Antonius Marii et Marullus *ante* IPSAM. sed *Principio*, in quo frustra haerent interpretes, hic est *praecipue* (hoc autem vocabulo Lucretius non utitur) vel *in primis*, *ante omnia*, ἀρχήν. sic in V, 92 III, 119.

940. AERE, FLUMINIBUS, TERRIS, TERRAQUE CREATIS. Quadratus *creata*. in libro I, 1085 erant *quasi terreno quae corpore continentur*, hoc est *umor ponti magnaeque e montibus undae:* sed hic *terra creata* a *terris* non differunt. itaque praeter Gifanium Wakefieldum Eichstadium Forbigerum omnes cum Marullo scripserunt *flammaque creatis*. verum est AETHRAQUE *creatis*. *aethram* post Ennium aliosque Lucretius dixit in VI, 467.

942. CONTULIT INTER SE MOTUS, QUIBUS OMNE TUENTES ACCENSI SENSUS ANIMANTEM QUAMQUE

Digitized by Google

TUENTUR. Turnebus in adversariorum v, 26 recte OMNITUENTES. sed quomodo materiae motibus accensi *sensus* animantem quamque *tueantur* intellegere non possum. itaque mihi legendum videtur *quibus omnituentes Accensi sensus* ANIMANTUM CONCUTERENTUR. ita mox 949 *materies omnis concussa per artus*, in III, 249 *Concutitur sanguis* et 392 *Quam primordia sentiscant concussa animai*.

951. PER CAVIAS EIECIT OMNIS. Corrector quadrati CAULAS. Antonius Marii *eiicit*, contra veterum consuetudinem, quam secutus Wakefieldus scripsit *eicit*. nihilo minus *eiecit* servandum est, et in libro III, 513 *traiecere*, quod habent membranae. in lege Servilia p. 62 *quo ioudices sorticolas conieciant*. e Caelio Antipatro Nonius p. 89, 6 *deiecit*. in Vergilii georgicon I, 333 Mediceus prima manu *Deiecit*. in Caesaris de bello Gallico comm. IV, 28 exemplaria duo *deiecerentur*. *obieciemus* digesta Florentina in l. 3 §. 1 stellion. XLVII, 20. in apocalypsi Iohannis XI, 2 unum e meis *eiece foras*. *contegit* pro *coniecit* in Milite Plauti II, 1, 34. alio modo syllabae diiungendae notantur in vetere codice Plauti, qui habet in Sticho II, 3, 25 *Dehiciamque*. ut longam syllabam indicarent, scripserunt *dissicietur*, quod habent membranae in libro III, 639.

953. DISCUTERE A DIS SOLVERE. Correctores antiquissimi AC *dissolvere*.

954. OBLATA AGRITER ICTU. Corrector oblongi ACRITER. OBLATO impressi.

961. AD VITAM POSSINT CONIECTA MENTE REVERTI. Lambinus CONLECTA *mente*, et praeterea scribendum est POSSIT, quoniam referri debet ad *quamvis animantem*, quam poëta dicebat in versu 944.

963. PRAETEREA QUONIAM. Omne argumentum est huius modi. ictus gravior elementa discutit et confundit sensus animantis, minus gravem elementa vincunt eoque solo reparant sensus: *ergo* quoniam propter elementorum motus dolorem ac voluptatem sentiri constat, nihilo minus ipsa elementa dolorem ac voluptatem non sentiunt, quandoquidem nullae usquam atomi extant quarum plagis et motibus dolore aut voluptate affici possint. in his, ubi *ergo* posui, scriptum est *Praeterea*, quod debet esse PROPTEREA.

966. IN QUO LOCUM. *In*QUE *locum* corrector quadrati et ceteri.

Digitized by Google

975. PROPRITIM DE QUIBUS AUCTUMST . 986. NON EX RIDENTIBUS AUCTUS . In priore horum versuum oblongus *autumst*, addito *c* a correctore, quadratus *auctum est*, apud Nonium p. 511, 14 *actus* . Lambinus verissime FACTUMST et FACTUS . 'nam *auctus*' inquit 'casum septimum sine praepositione postulat . deinde aliud est *auctus re aliqua* , aliud *factus de re* aut *ex re aliqua* . hoc qui nescit, fateatur se hospitem esse in lingua Latina.' impudenter respondet ad haec Forbiger 'sed non opus est coniecturis . conf. I, 632 (631) . II, 986 . III, 626 . 630 . V, 1176 (1177) . etc.'

976. CACINNANT ET LACRIMIS PARGUNT . Corrector oblongi SPARGUNT . *cacinnant* hoc loco membranae , CACHINNANT in IV, 1176 , item alibi *cachinnent* et *cachinni*.

982. INDE ALI EX ALIIS . Corrector oblongi, Antonius, Brixiensis editio *Inde alii :* Veronensis et Marullus *Inde* ALIA .

985. QUOD SI DET IRA HAEC . Antonius et Brixiensis DELIRA .

991. SEMINE ORIUNDI . OMNIBUS ILLE IDEM . Apud Lactantium de opificio dei 19, 3 *idem ille* . apud eundem instit. VI, 10, 7 exemplaria quaedam non antiqua *semine nati* , cum verissimum sit *semine oriundi* . est autem hoc rarissimum et antiquiorum poëtarum proprium ϲυνεκφωνήϲεωϲ genus , in quo *i* vocalis ita delitescit ut syllabam non faciat longam. ut hic *oriundi* tribus syllabis , ita *faciant* duabus Terentius in Phormione II, 3, 47 *Di tibi malé faciant.primus esses memoriter:* ut idem in Andria I, 1, 25 *Libériu' vivéndi*, ita Lucilius in versu hexametro , quem ad librum I, 1106 rettuli , *dominia atque*, ita in Trinummo I, 2, 163 Plautus *Neque méndacíloquius néque adeo argutum magis*, itaque *augura* pro *auguria* Accium dixisse testis est Nonius p. 488, 3 , *Pro certo arbitrabor sortis* , *oracla*, *adytus* (ἀδύτοϲ), *augura* . Ennius in Andromacha *Deformati atque abiete crispa; abiete* tribus brevibus , ne sit vocabulum dactylicum pro trochaeo . neque aliter in *u* littera Terentius, in Adelphis IV, 1, 11 *Rogitabit me úbi fuerím*, et in Hecyra V, 2, 3 *Set tu cum satura atque ebria éri'*, *puer út satur sit facito*. item in trochaico apud Ciceronem in Tusculanarum I, 94 *Módo puerós modo adulescentis* . horum unum est in monosyllabo *puer*, ut illud 'Αλλὰ τεὸν οὔποτε θυμόν Praxillae, duo in prima syllaba *fuerim pueros* , eaque in *u* littera , quae alias

Digitized by Google

facilius pinguescit. cetera, in quibus *i* littera est, huic subiectam habent brevem vocalem sive solam in ipso vocabuli fine, *dominia auguria*, sive cum una pluribusve consonantibus coniunctam, *liberius mendaciloquius abiete faciant oriundi*. sed quae his simillima sunt *u* consonantem recipiunt et syllabam longam, *genva tenvis tenvïa extenvantur*. item *i* litteram omnes a Vergilio poëtae pinguiorem fecerunt ante vocalem brevem, ut dicerent prima producta *Abietibus iuvenes*, *Arietat in portas*, *intexunt abiete costas*, *pulsabant ariete muros*, *Templi parietibus tui notavi*, *Laeserat abiegni*. atque omni tempore idem observarunt ubi vocalis natura longa sequitur, ut Vergilius *Fluviorum rex*, Horatius *Ut Nasidieni*, Statius Theb. IV, 429 *ubi limina patrui*, Silius *sinvatis sinvato sinvatur* VI, 226 VII, 503 X, 182, Seneca in Medea 1052 *Sceleri modus debetur ubi facias scelus*; quorum hoc postremum in primis apertum est, cum eo loco positum sit cui hic poëta anapaestum et spondeum tribuit solos (nam Medeae versus 512 et 709, *nepotibus* et *Prometheï*, item in Thyeste 115 *Phoronides*, in Troasin 195 *Polyxena*, 1030 *cacumine*, in Hercule altero 804 *Capharides*, excusationem habent): anapaestus esse non potest, ergo spondeus est *facias*. ex his apparet apud comicos *bénefició* tertiam longam habere, item in Heauton timorumeno I, 1, 11 *conjcio* trisyllabon media producta dicendum esse, *Aut plus eo, ut conicio.agrum in his regionibus*, et *continvo* media producta in Trinummo III, 3, 75, *Contínvo operíto denuo*, contra apud Terentium *faciant* pro iambo. *máleficiís* tertia longa dicendum sit an *máleficís* dubitari potest propter ea quae enumerabo ad librum V, 85: neque enim *pretii* pro spondeo veteres umquam usi sunt, sed dixerunt *preti*, nec *bénefícii*, sed *benefici*. quae vocalem habent cum *m* in fine, ante synecphonesin produci observabimus ad librum III, 917, *avium consilium Camerium*: neque aliter scaenicos *bénefíciúm* tetrasyllabon dixisse existimo. ita Plautus *faciam* duabus longis in Trinummo III, 3, 77 *Ità fáciam. at enim nimi' longo sermone utimur*. hoc vero, ut *facias* et *avium* eidem regulae subiciantur, eo fieri puto quod *m* finale longam syllabam facit sive producenda vocali (quam tamen se productam audire Priscianus negat p. 781, 8) sive obscuro sono cum vocali quasi in diphthongum coalescente; quod ni faceret, neque in versu omitti neque hiatum facere posset, qui in brevi syllaba nullus

Digitized by Google

est. *Hec cepit Corsica Aleriaque urbe. Et tantum venerata virum, hunc sedula curet. Haec eadem ante illam inpune et Lesbia fecit. O me felicem, o nox mihi candida. Sed dum abest. Reddita sunt cum odore. cocto num adest. milia militum octo. Dum quidem unus homo.* non pronuntiari autem *m* litteram in his, *Quo usque tandem abutere*, testatur Diomedes p. 447. et Velius Longus p. 2238 *Non nulli* inquit *synaloephas quoque observandas circa talem scriptionem existimaverunt (sicut Verrius Flaccus) ut, ubicumque prima vox m littera finiretur, sequens a vocali inciperet,* M *non tota sed pars illius prior tantum scriberetur, ut appareret exprimi non debere.* sed Quintilianus IX, 4, 40 *etiam si scribitur, tamen parum exprimitur, adeo ut paene cuiusdam novae litterae sonum reddat: neque enim eximitur, sed obscuratur et tantum aliqua inter duas vocales nota est, ne ipsae coëant.*

998. ADEMPTA EST. ADEPTA corrector quadrati et ceteri.

1000. QUOD MISSUS EX AETHERIS ORIS. Apud Lactantium instit. VII, 12, 5 *Cedit idem retro —— In terram: sed quod* MISSUM EST.

1001. RELATUM. Apud Lactantium *Id rursus caeli fulgentia templa receptant.*

1002. NEC SIC INTEREMIT MORS UT RES MATERIA. Marullus *mors* RES, UT *materiai.*

1004. INDE ALIIS ALIUD CONIUNGIT ET EFFICIT OMNES RES ITA CONVERTANT FORMAS. Neque *ut* coniunctio abesse potest, neque *mors* ea quae peremit restituere dici potest nisi per technas ab hoc poëta alienas; qui scripsisse censendus est *Inde aliis aliud* CONIUNGITUR, ET FIT UT *omnes.*

1007. EARUM PRIMORDIA RERUM. In libro primo 817 908 EADEM *primordia*, itaque hic Avantius.

1010. NEVE PUTES AETERNA PENES RESIDERE POTESSE CORPORA PRIMA, QUOD IN SUMMIS FLUITARE VIDEMUS REBUS. Haec cavere debemus ne de idolis accipiamus, quorum mentio huc non pertinet, sed ad librum quartum. poëta atomos negat *penes aeterna* et immortalia residere posse: debere enim *omnia perire* (hoc est in versu 1139), quod *fluere atque recedere corpora rebus Multa* constet, ut dicit versu 1128, et multa accedere. ergo illa multa corpora, quae recedunt rebus et accedunt, *fluitare* recte dicuntur,

Digitized by Google

hoc est instabilia esse, sed non *in summis rebus*, verum *in* CUNCTIS. interpretes horum nihil capere potuerunt, quoniam id quod manifestum est non viderunt, ea quae versibus XCII interiectis leguntur, *Multaque post mundi tempus genitale*, intellegi nullo modo posse, nisi quis ab his in quibus nunc versamur statim ad illa processerit. atque ea ipsa quae poëtam huic libro ceteris eius partibus iam absolutis addidisse perspicuum est, de *variis mundis varia ratione creatis*, nullo alio loco rursum tractavit, nisi in simili quodam emblemate libri quinti 526—530, de quo exponam ad eius libri versum 509: nam alios tres in eodem libro versus, qui ad eandem rem spectant, 1344 — 1346, Lucretii non esse in loco demonstrabo.

1015. 1016. NAMQUE EADEM CAELUM MARE TERRAS FLUMINA SOLEM SIGNIFICANT, EADEM FRUGES ARBUSTA ANIMANTIS. Haec optime poëta de primordiis dixit in libro I, 820, ubi est *Constituunt*, hic autem ineptissime ad verba quibus versus constant transferuntur. *verbis* enim, non *elementis*, ea quae his subiecta sunt conveniunt,

1017. SI NON OMNIA SINT, AT MULTO MAXIMA PAR EST CONSIMILIS. In quibus corrector quadrati cum ceteris PARS *est*. praeterea scribendum est *Si non omnia* SUNT; ut versu 458 *necessest, Si minus omnibu' sunt e levibus atque rutundis, At non esse tamen perplexis indupedita*.

1020. INTERVALLA VIAS CONEXUS PONDERA PLAGAS. Haec quoque de *seminibus* sive *principiis* apte posita sunt versu 726 et in libro V, 441, hic de *materia* minus proprie, quamvis recte materies *habere* dicatur *varios conexus pondera plagas* in I, 633: et sufficiunt in hoc loco *Concursus motus ordo positura figurae*, ut in I, 685. ceterum *vias* habent membranae, Antonius, olim impressi, sed *plaga es* oblongus, *plagæs* quadratus, Antonius et olim impressi *plagas: viae* et *plagae* Marullus. scilicet qui hunc versum ex suo loco huc transtulit ne grammatices quidem rationem habuit.

1023. ADHIBUERAM AD RATIONEM. Corrector quadrati et ceteri ADHIBE *veram*. in libro I, 51 *adibe veram* membranae.

1024. NAM TIBI VEHEMENTES NOVA RES MOLITUR AD AURIS ACCEDERE. Corrector quadrati et Marullus *vehementer*. sed in III, 152 uterque vetus *vementi*, in VI, 517

Digitized by Google

vemens oblongus prima manu, in III, 482 *vemens* quadratus *he* litteris prima manu additis. his indiciis Lucretio VEMENTER et cetera similia restituenda iudico. nam adhuc quaero quis haec vocabula in versu syllabis diductis dixerit praeter M. Caesarem, qui scribit ad Frontonem p. 53 *Nos istic vehementer aestuamus. habes en hendecasyllabum ingenuum:* sic enim *en* pro *et* Heindorfius; quod item M. Tullio reddendum est pro *enim* in Tusculanarum I, 97, *Vadit en in eundem carcerem atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates*. Gellius, qui veteres cum spiritu *vehemens* dixisse refert libro II, 3, ipse non dicebat *veëmens* ut Velius Longus p. 2229 2234 (certe ita scriptum ibi), sed *vemens*, quippe quo mentis vim et impetum significari putaret, ut indicat libro XVI, 5, item a vi mentis Scaurus p. 2256. *vementibus plagis* Vitruvius in X, 13, 2, ubi libri *venientibus*. *vehemens* et *vemens* apud Ciceronem legebat Annaeus Cornutus, e quo collegit Cassiodorus p. 2286 Putschii, et brevior scriptura extat hodie in epistulis, eaque sola, si Furiae fides ad librum V, 12, 3, et in Arateis 53, *venientem* ad Atticum libro VIII, 5, 1. ACCIDERE pro *Accedere* scribendum esse primus vidit Marullus.

1029. QUOD NON PAULATIM MINUANT MIRALITER OMNES. Oblongus *miralier*, scilicet *t* littera erasa: MIRARIER Itali et impressi. sed mihi hoc Latine dici posse non videtur, *minuo hanc rem facere:* certe Terentius aliter dixit, *ne minueris haec quae facis*. itaque scribendum puto *quod non* MITTANT *mirarier*. in VI, 1056 *Illud in his rebus mirari mitte*. in eodem 68 *longeque remittis Dis indigna putare*. in libro IV, 471 membranae habent *mituam contendere* pro *mittam*.

1030. PRINCIPIO CAELI CLARUM PURUMQUE COLOREM. *Principio* quid fiat in proximis non dicitur, sed subiectum est quasi periodo absoluta *Omnia quae nunc si primum.* ergo deest hic verbum, non aliter ac supra 342 in illis, *Praeterea genus humanum —— Quorum unum quidvis*. scribendum est PERCIPITO *caeli clarum purumque colorem*. ita in V, 92 *Principio maria ac terras caelumque tuere; Quorum naturam triplicem* etc. in V, 318 *Denique iam tuere hoc, circum supraque quod omnem Continet amplexu terram*.

1031. QUAEQUE IN SE COHIBENT PALANTIA SIDERA PASSIM. Immo *Quaeque in se* COHIBET caelum, *palantia*

Digitized by Google

sidera passim . hoc neminem vidisse mirum est . corrector quadrati, Itali, impressi, *Quemque*.

1033. NUNC SI PRIMUM MORTALIBUS ESSENT . Hoc Wakefieldo cum suis probatur : ceteri cum Marullo *adsint*. EXTENT scribendum esse tandem vidit Orellius.

1038. FESSUS SATIATE VIDENDI . Quadratus *saciate*. apud Nonium p. 172, 17 *vivendi*.

1047. ATQUE ANIMI TACTUS LIBERO QUO PERVOLET IPSE . Oblongus et Brixiensis editio *libero quo volet* , Antonius Marii LIBER *sit quo volet* , deinde Marullus optime *animi iniectus:* meminerat enim poëtam ἐπιβολὴν illam Epicuri supra versu 740 dixisse *animi iniectum* . huius emendationem I. F. Gronovius egregie stabilivit in observationum libro 1,7 p. 65; qui tamen ipse quod verum esse iudicavit *Atque animi* IACTUS, id sane probo, cum a membranarum fide propius absit neque cur ita dici non potuerit intellegam. sed in versus fine *quo pervolet ipse*, quod est in quadrato , verissimum est nec debuit temptari.

1049. ET LATERE EX UTROQUE SUPERQUE PER OMNE . Scribendum est SUPRA SUPTERQUE . libro VI, 537 *Supter item ut supera* . in V, 512 *Inde alium supra* —— *Hinc alium supter* . Cicero in Arateis *Torvu' draco serpit, subter superaque revolvens Sese* . Marullus minus bene *infra supraque*, Wakefieldus cum grege suo *infraque superque*.

1052. VERIST MILE ESSE PUTANDUMST . Oblongus *putandum est*. quadratus *verist mille* . *veri* SIMILE Itali.

1059. FORTE OFFENSANDO SEMINA RERUM. Hic versus ne incisione legitima careat, inserendum est *ut*, hoc est quem admodum , UT *semina rerum* . hoc admisso potest in proximis indicativus servari, quem membranae subindicant, in quibus habemus

1061. TANDEM COLERUNT. Corrector quadrati et Antonius, item Naugerius, *coïerunt*, Marullus *colarunt*, Brixiensis editio *coharrant*, *coartant* Veronensis , Avantius *coarctarint* , Lambinus *cooluerint* , Gifanius *coïerint* vel *coaluerint*, I. F. Gronovius *concrerint* . verum est COLUERUNT, eodemque modo in VI, 1068 *colescere* scribendum est, ubi membranae *oo* pro *o* longo exhibent. eaedem in VI, 491 *Coperiant*, in V, 342 *cooperuisse* , ut habent promiscue *sorsum* et *seorsum deorsum*, *desse derrasse* et *Deerrarunt*, *probeat* I, 977 et *prohibe*

Digitized by Google

III, 863 . similiter in Varronis rerum rusticarum libro I, 41, 2 *colescat* pro *coalescat*. *coperire* codices Nonii p. 416, 14. in lege Iulia municipali 106 *legito*, *sublegito*, *coptato*; ubi versu 86 non recte scriptum est *coaptato*, quod illo tempore ne Latinum quidem vocabulum fuit: *coptari* in Ciceronis epistularum III, 10, 9. in eadem lege *praerit* 37 39 47 48 et *praerunt* 69, in Servilia p. 52 *praesse*, in Rubria II, 48 *i. d. p. praesse*, ubi debet esse *iure dicundo praesset*, in decreto Pisano I, 20 33 *praerat* et *praerunt*. *praesset* in Ciceronis epistularum XIII, 6, 2. de his Marinus egit in Arvalibus p. 106: iis simillimum est *praemium*. *praerogare* pro *praeerogare* iure consultos dicere Turnebus observavit adv. XVII, 10. *sorsum* vetus Plauti in Asinaria II, 2, 95, in Epidico III, 3, 21. Caper de orthographia p. 2240 *Coactus non coctus dicendum*. *conquinat* dicebat, non *coinquinat*, Marius Victorinus p. 2467: in Columellae libro VIII, 5, 19 *stercore conquinatae*. in Bacchidibus Plauti IV, 9, 52 *comptionalem senem*, item *senes comptionalis* in epistulis Ciceronis VII, 29, de quodam genere servorum. neque vero *coëmptionem* differre puto a *comptu*, ut dicit in III, 845 Lucretius, *coniugioque*. non recte enim, nisi fallor, Servius ad georgicon I, 31 *maritus et uxor* inquit *se invicem emebant*, *sicut habemus in iure*: nam nubentes tantum Varro apud Nonium p. 531 assem tamquam emendi causa marito dedisse scribit, et *generum* dote *emi* Vergilius dicit: nec mulier, cum coëmptionem faciebat, a coëmptionatore mancipio accipiebatur, sed in eius manum conveniebat ab eoque in manum recipiebatur (ita Gaïus in II institutionum 98), idque fiebat quidem mancipatione, sed non iisdem verbis, ut refert Gaïus in I, 123, quibus servi mancipio accipiebantur, neque ut ancillae loco esset, sed ut mater familias viro esset et iura filiae nanciscceretur. itaque *comptus* et *coëmptio* a coniungendo dicuntur, quod fere scribitur *comere*, unde Lucretius dicit *mixta et compta* in III, 259, et *cum corpore compta* in IV, 27, item in I, 950 *Naturam rerum, qua constet compta figura*, hoc est *apta* ut in II, 814. haec autem omnia longa vocali dicenda esse, itemque *prompta* et *sumpta*, e Plauti quodam ioco apparet, qui est huius modi, *Cum mi ipsum nomen eius Arcidemidis Clamaret dempturum esse siquid crederem*, in Bacchidibus II, 3, 50. in hoc genere perfecta sunt *coëmi compsi*, *diremi dempsi*, *suremi* (apud Festum p. 298, 9) *sumpsi*, *redemi prompsi*. *coemisse* vocali brevi cum longa

Digitized by Google

contracta Terentium in Adelphis II, 2, 17 ponere potuisse Bentleius negat; vix recte, cum in *deorsum* disyllabo item brevem cum longa contrahi ex eo appareat quod dixerunt *deosum*. non est tamen verendum nequis eodem iure poëtam Culicis 66 *Boëthi* nomen duabus syllabis extulisse credat, cum novissimus editor librum interpolatum sequi maluerit, quamvis optime sciret cum *Alcone* nullum caelatorem aptius coniungi posse quam *Rhoecum* Samium. sed Gellium praeterire non debeo, qui dixit in II, 17 *Neque vero con particula tum solum producitur, cum ea littera de qua Cicero dicit* (hoc est *f*) *insequitur: nam et Cato et Sallustius 'faenoribus'* (immo *facinoribus:* sic certe Sallustius in Catilina 23, 1) *inquiunt 'coopertus est', praeterea colligatus et conexus producte dicitur*. idem in IV, 17 *Sed neque ob neque sub praepositio producendi habent naturam, neque item con, nisi cum eam litterae secuntur quae in verbis constituit et confecit secundum eam primae sunt, vel cum eliditur ex ea n littera, sicut Sallustius 'facinoribus' inquit 'coopertus'*. in his falsissima sunt *coopertus* et *colligatus*, in quibus *o* corripitur. Gellius scripsit *copertus* et *coiugatus;* quorum alterum supra firmavimus, eique simillimum est quod Gellius subicit *cogo:* de ceteris observare licet *co* productum sine exceptione scribi ante *gn (cognoscere cognomen cognatio coniti conivere conectere conubium*, a quibus differunt *congerere* et *connumerare)*, *con* et *co* syllaba longa promiscue ante *i* consonantem et apud vetustissimos ante *u* consonantem vel *s*. notissimum est *cojcere* sive *coiicere*, quod Quintilianum agnoscere dixi ad Gaïum III, 119. *coicere* apud Nonium p. 267 268 scriptum est octiens. ita idem p. 506, 23 e Lucilio *Coicito te intro* et ex Terentio *coicerem* p. 87, 31, ubi Paulus diaconus p. 124 *coiciam*. in Varronis rerum rust. III, 14, 4 *coici*. itaque Caesarem scribere solitum fuisse e commentariis Nipperdeii apparet (p. 295 304 313 448 455 473 551), qui cur id recipere noluerit non video. *coicerentur* in Caelii ad Ciceronem epistula 8, 8. in ipsius Ciceronis epist. IX, 20, 1 *coiecimus*, X, 30, 3 *coicere*. *coiiciuntur* in Vitruvii libro II, 4, 3, *coiciantur coiciuntur coicitur* II, 5, 1 2 3, item 7, 5 VII, 8, 4 14, 1 X, 2, 6 12, 2. *cohicit* glossaria Labbaei. codex Festi *coiecit* p. 344, 31. *coiecturam* Fronto p. 290. in senatus consulto de Bacchanalibus *comvovise coventionid, consoluerunt conspondise cosoleretur: cosmittere* apud Festum p. 51. sed *conauditum* et *coninquere* si fuerunt

Digitized by Google

umquam (notavit ea Paulus diaconus p. 50 49), nunc certe evanuerunt, neque adsentior viris doctissimis qui in Hirtii de bello Gallico commentario VIII praef. 2 scripserunt *conhaerentibus*. non magis credibile duco quod Quintilianus I, 6, 17 rettulisse existimatur, fuisse quosdam qui nimio analogiae studio *conire* dicerent, non *coire*. vero propius est eos dixisse *coivere*, non *coïere*. in glossariis tamen Labbaei video esse *conadunare*, *conhabito*, *conhibeo*.

1061. EA QUE CONIECTA REPENTE MAGNARUM RERUM FIERENT EX ORDINE SEMPER. Quadratus *flerent*, a correctore *fluerent*. in libro V, 429 eadem sic scripta sunt, *Tandem conveniant ea quae conventa repente Magnarum rerum fluunt exordia saepe*. unde Marullus recte fecit *fierent* EXORDIA. praeterea scribendum est CONVECTA, quod servarunt membranae in versu huius libri 101, *Exiguis intervallis convecta resultant*. *conventa* enim, in libro quinto probatum Wakefieldo, nulli placere potuit nisi Eichstadio Forbigeroque et fortasse iis iure consultis qui patrum nostrorum memoria dicebant *uxorem in manum conventam;* quamquam *conventa* pax dicitur quae convenit, et pactum *conventum*, et sol *occasus*, sed homo *occisus*, *conventus* propheta Ambrosio (ut demonstravit I. F. Gronovius observatorum in ecclesiasticis libro p. 228) temptatus et commotus *tantae miseriae deformitate*. *coniecta* autem, quod iidem hic sine nota transmittunt, quasi Lucretius hic aliter quam in quinto dicere potuerit, sententiam non explet nisi addita loci significatione, ut paulo post *Conicere in loca quaeque queat simili ratione Atque huc sunt coniecta*.

1070. NUNC ET SEMINIBUS SI TANTA EST COPIA,
1072. VIS EADEM NATURA MANET. Marullus *Visque eadem et natura*, Wakefieldus *Vique eadem natura manet*. sed in priore membro cum fuit *et* coniunctio, in altero *que* ponere tam castae orationis poëtae non licet. scribendum est *Nunc* EX *seminibus, si tanta est copia* ——, QUIS *eadem natura manet* ——, *necesse est confiteare Esse alios aliis terrarum in partibus orbis*.

1073. CONICERE IN LOCA QUAEQUE ATSIMILI RATIONE. Quadratus *adsimili*. Itali et impressi *quaeque* QUEAT *simili ratione*.

Digitized by Google

1078. UNICA QUE GIGNANTUR. Antonius et Marullus GIGNATUR.

1079. QUIN ALIQUÔ IVIS SIET SAECLI. Sic quadratus: oblongus *alioquoivis*. Gronovius in observationibus, libro I cap. 7 p. 68, ALIQUOIU' *siet*.

1080. INDICE MENTE INVENISSE SIC. Praeclare et verissime idem Gronovius INCLITE MEMMI. tum Itali et Marullus INVENIES *sic*.

1082. SIC HOMINUM GEMINAM PROLEM. Hoc vero Gronovius perperam tuetur, cum *gemina prole* uterque sexus inepte indicetur. Marullus optime *Sic* GENITAM.

1086. INNUMERALI. Apud Nonium p. 131, 8 *innumera*, et *una se* pro *unica sed*.

1089. QUAM GENUS OMNE QUOD HIS GENERATIM REBUS ABUNDANS. Oblongus *generat in*, quadratus *habundant*. Marullus *abundat*. sed absurdum est *his rebus*, neque dubitari debet quin poëta scripserit *quód* EST *generatim rebus abundans*, hoc est, ut Creechius interpretatur, *quod plurima singularia et individua complectitur*. Manilius in I, 858 *Ignibus usque adeo natura est omnis abundans*.

1094. QUAE PLACIDUM DEGUNT AEVO MULTAMQUE SERENAM. Avantius AEVUM VITAMQUE.

1097. QUIS PARITER CAELOS OMNIS CONVERTERET, OMNIS —— TERRAS SUFFIRE FERACIS. Oblongus *terra*. apud Nonium p. 197, 2 *amnis converterit omnis —— sufferre feracis*. Marullus *convertere* ET *omnis*. Claudius Sacerdos p. 27 *quamvis Lucretius caelos dicit*. Sergius ad Donatum p. 1842 *habemus enim in Lucretio Quis totidem vertit caelos:* itaque Pompeius p. 151, sed *vertat*.

1101. ET AEDIS SAEPE SUAS DISTURBET ET DESERTA DECEDENS SEVIAT. Apud Lactantium instit. III, 17, 10 *Ipse suas*, tum *et* IN *deserta* RECEDENS. in proximis *quod* membranae, Antonius, Marullus: at olim impressi *quo saepe nocentes Praeterit*. hoc qua de causa Wakefieldus Orellius Forbiger probent non video, nisi quia absurdum est: eum enim, quem hi *praeterire* fingunt, *esse* posse poëta negat. *Quis regere* inquit *immensi summam potis est?* id est, nemo est qui possit.

1110. APPARIRET SPATIUM. Turnebus in adversariis V, 25 APPARERET.

Digitized by Google

1115. ET IGNEM IGNES PROCUDUNT AETHERAQUE. Quadratus *aetheraquae* . Itali et impressi *aetheraque aether;* male : aether enim ab igni non differt . ergo scribendum est AERAQUE AER.

1116. DONIQUE AD EXTREMUM CRESCENDI PERFICA FINEM OMNIA PERDUXIT RERUM NATURA CRACREATRIX . *Donique* et hic et alibi membranae , non *Donicum*, ut hic scripsit Antonius Marii et Lambinus saepe . *Denique* Nonius p. 160, 12, item corrector quadrati , olim impressi , Marullus . in Vitruvii exemplaribus vetustis *denique* haberi, quotiens in impressis sit *donicum*, recte observavit Handius in Tursellini tomo II p. 299, sed praetermisit librum V, 12,3, ubi est ante consonantem, *denique compleatur* . deinde *extremum finem* omnes genere masculino ; quod sicut in libro I, 555 non tulimus , ita hic scribemus EXTREMAM . mox corrector oblongi , Antonius Florentinus , olim impressi , Marullus , *perfice* . sed recte Nonius *Perfica*, *perfectrix*, vel ut Iunio visum est *perficiens :* nam exemplaria vetera habent *perficeris* , in Ciceronis autem de natura deorum I, 77 est *consiliatueris* pro *conciliatrix* . sunt autem haec nomina substantiva , *perfica*, *praefica*, *praefucus* in aere Bantino, *antistita*, *coniuga*, *succuba*, *comedus* apud Festum; quae si adiectiva essent , quod de *perfica* Hildebrandus dicit ad Arnobium p. 338 , *u* litteram reciperent, nisi fallor, et dicerentur *perficuus comeduus* . denique in fine horum versuum antiquissimi correctores et Nonius *natura* CREATRIX.

1122. NAM QUAE CUMQUE VIDES HILAR GRANDESCERE ADAUCTU. Grammaticus Eichenfeldii p. 171 *et Lucretius grandescere bauctu , nec tamen dicitur grandeo* . corrector quadrati *ad auctum*, olim impressi *hilari ad auctum*, Marullus *hilarem ad auctum* . Lambinus recte HILARO *adauctu* . dixit ab hoc *adauctare* Attius , *Quibu' rem summam et patriam nostram quondam adauctavit pater*, apud Nonium p. 75 . quo autem tempore primum *hilarem* dixerint , nondum satis constat, quamquam video adscribi M. Tullio . de Plauto et Terentio Bentleius dixit ad Adelphos II, 4, 22 .

1124. QUAM DE SE CORA MITTUNT . Corrector quadrati et ceteri CORPORA.

1129. SED PLURA ACCEDERE DEBET. Itali et impressi DEBENT.

Digitized by Google

1130. Donec alescendi. Nonius p. 247 et 248 *Adolere est urere.* —— *adolere, augere, honorare, propitiare.* —— *adolescere, crescere; unde adulescentem dicit* (legendum est *dicimus*). *Lucretius lib.* II *Denique adulescendi summum tetigere cacumen. Laberius in Sororibus Laus nomine gloria adolescit.* hunc dedisse existimo *Donique alescendi*, et *Laus, nomen, gloria, alescit.*

1131. et robor adultum. In libro III, 1017 *robur*. Mediceus in Aeneidos XI, 368 *rubor, robor* Romanus in georgicon III, 235. Charisius p. 66 de nominibus quae *or* syllaba terminantur *Praeterea et neutralia siqua sunt, et haec corripiuntur, velut aequor aequoris, marmor marmoris, robor roboris, ador adoris*. eadem iterum p. 95: sic idem p. 17 et 29. grammaticus Eichenfeldii p. 91 *In or masculina omnia sunt, exceptis his tribus femininis, uxor soror arbor, adque sex neutralibus, cor aequor marmor ador robor ebor*. Phocas in arte p. 1695 *et neutris his, hoc ador, hoc marmor, hoc aequor, hoc robor*. Agroecius p. 2269 *Rubor coloris est, robur virtutis, robor arboris*. contra Quintilianus in libro I, 6, 22 *ebur et robur ita dicta ac scripta summis auctoribus* tradit.

1135. Plura modo dispargit et a se corpora mittit. *Dispargit* oblongus, idem a correctore *dispergit*, quadratus ambigue syllaba per *p* litteram perductam notata. deinde quadratus *et a se*, oblongus *aetas e;* quod cur *et* ab *se* scribendum sit ad librum VI, 925 exponam. sed *modo*, quod Lambino displicuit, sententiae optime convenit: est enim ad illa referendum quae praecesserunt, *augmine adempto*, quod corrector oblongi non recte fecit *adepto*. et Reizius ad Rudentem observavit Plautum aliquotiens *modo* producta syllaba posteriore dixisse (vide Asinariae prol. 5, Aulul. II, 2, 62, Pseud. II, 3, 23, Poen. I, 2, 7), atque hoc idem poëtam Octaviae ausum esse versu 273. in qua re quamquam memorabile est ne Senecam quidem aut alium illorum temporum poëtam, cum veram *o* litterae quantitatem saepe neglegerent, peccasse, sunt tamen inter veteres post Plautum, quorum auctoritate credere possimus Lucretium et hic et supra versu 941 et fortasse in IV, 1181 *modo* produxisse. Terentius in Hecyra V, 3, 32 *Eum haec cognovit Myrrhina in digito modo me habente:* recte enim Bentleius editione secunda *habente*, sed *haec* pronomen in alium locum traicere nihil opus est, cum

Digitized by Google

idem poëta in Andria IV, 1, 6 scripserit in Creticis *in Denegando modo quis pudor paulum adest*. item Lucilius apud Nonium p. 519, 11 *unu' modo de multis qui ingenio sit*. idemque apud eundem p. 21, 5 et 200, 18 *Módo sursum, modó deorsum, tamquam collus cernui*. Cicero in Arateis, de natura deorum II, 107, *Huic non una modo caput ornans stella relucet*.

1136. IN VENAS CIBUS OMNIS DEDITUR EI. Marullus DIDITUR. in III, 703 *cibus in membra atque artus cum diditur omnis*. in IV, 955 *cibus in venas dum diditur omnis*. in VI, 946 *Diditur in venas cibus omnis*. semel *inditur* supra in versu 1125.

1138. UNDE QUEANT TANTUM SUBORIRI. Marullus QUEAT. eum versum in quo sunt *corpora tuditantia*, a Festo recitatum esse dicam ad librum III, 394.

1145. DABUNT LABEM PUTRIS RUINAS. Corrector quadrati, Antonius, impressi, PUTRISQUE *ruinas*.

1147. ET FULCIRE CIBUS OMNIA SUSTENTARE. Antonius Marii *cibus et*, olim impressi (certe Veronensis et Venetus: de Brixiensi Gerardus tacet) *cibis et*, Marullus *cibus ac*, Bentleius ad Horatii sermonum librum II, 3, 154 *cibis atque*. CIBUS CIBUS recte Isaacus Vossius, nisi fallor: huic enim eiusque *codici tertio* (hoc est uni ex iis codicibus impressis, in quorum marginibus sua Vossius consignarat) Londinensis editor adscribit, Havercampus Bodleiano et, quod scio falsum esse, Vossiano utrique.

1148. NECQUIQUAM. Sic oblongus: quadratus *Necquicquam*. et oblongus quidem hoc uno loco peccat, quadratus in IV, 1110 *Necquiquam* et in eodem 1239 *Nequicquam*. *ne quemquam* exemplaria Nonii habent p. 28, 6 in his Varronianis. *ego infelix non queam Vim propulsare atque inimicum Orco inmittere. Nequiquam saepe aeratas manuis compedes Conor revellere*, quae poëtica esse Olearius in Saturis Varronis p. 196 non sensit, quamquam librarii omnia recte scripta exhibuerunt praeter *manus* genetivum, quo Varronem uti solitum non fuisse Gellius refert in Atticarum noctium libro IV, 16, cum tamen dixerit *luxu* dandi casu apud Nonium p. 211, 13, *nec sumptibu' finem Legibu' nec luxu statues finemque modumque*.

1150. IAMQUE ADEO FACTA EST AETAS EFFECTAQUE TELLUS. Corrector quadrati et olim impressi FRACTA *est*. EFFETAQUE corrector oblongi, *effecaque* quadratus, cuius corrector fecit *effoetaque*.

Digitized by Google

1153. HAUD UT OPINORE IMMORTALIA. Corrector oblongi, item Antonius et Avantius, *opinor et*. quadratus *Haut ut opinore inmortalia*. olim impressi *opinor immortalia*. Marullus ita ut exemplaria Gellii XIII, 20, *Haud, ut opinor*, ENIM *mortalia*. versu proximo et Gellius utitur et Nonius p. 205, 22.

1160. QUA NUNC VIX. Itali, impressi, Nonius p. 115, 7, QUAE *nunc*.

1165. IN CASSUM MAGNUM CECIDISSE LABORES. Isaacus Vossius optime MANUUM *labores*.

1168. TRISTIS ITEM VETULAE VITIS SATOR ATQUE FATIGAT TEMPORIS INCUSAT NOMEN SAECLUMQUE FATIGAT. In his Nicolaus Heinsius in adversariis p. 456 egregie *vetulae vitis sator atque* VIETAE. tum Ioh. Bapt. Pius 'quidam MOMEN scribunt pro momento'. postremo, ubi *saeclumque* habet oblongus, quadratus *saeculumque*, optime Wakefieldus CAELUMQUE *fatigat*. Phaedrus in IV, 20, 24 *Caelum fatigas sordido periurio*.

1170. ANTICUM GENUS UT PLETATE REPLETUM. Quadratus *genus suppletate*. apud Nonium p. 255, 20 PIETATE *repletum*.

1172. ANTE DIRITIM. Corrector quadrati et ceteri VIRITIM.

1173. IRE ADSCOPULUM. Sic oblongus: quadratus *Ad copulum*, sed *s* littera ab ipso librario addita. de his Havercampus falsa refert: sed idem verissime et praeter morem suum ingeniose scribit *ire Ad* CAPULUM. de *capulo*, quod cum satis rarum vocabulum sit, Forbiger 'saepissime' cum sepulchro coniungi scribit, pauca dicere possum ab aliis nondum dicta. usus est eo Statius in III Thebaidos 362, *dum funera portant, Dum capulo nondum manus excidit*. huius scholiastes ad librum VI, 55 exscripsit, ut solet, Servium ad Aen. XI, 64. glossarium Maii in auctorum classicorum tomo VI p. 530 *Kaltulum, in quo mortui deferuntur, vel linteum*. in glossis Placidi, tomo III p. 451, *Capuli, lecti funerei vel rogi in modum arae constructi. Caltulum, cinguli genus*.

III, 1. O TENEBRIS TANTIS. *O*, quod valde ineptum est, habent oblongus et schedae. in quadrato litterae miniandae semper omittuntur: corrector fecit *A tenebris*, quod

Digitized by Google

ipsum Antonius Marii exhibet . olim impressi et Marullus recte E *tenebris tantis*.

7. Cycniis . Sic oblongus : quadratus *Ciniis* . in II, 505 uterque *cycnea* . oblongus in II, 824 IV, 181 910 *cygnos* et *cygni*, ubi quadratus *c* litteram exhibet . Lucretius utrum Graecam an Latinam rationem praetulerit nescio : certe syllabam neque hic neque Vergilius corripuit . ea correpta Martialem in IX, 103 *cygno* scripsisse non videtur credibile . mox *hedi* prima manu oblongus , *haedi* idem a correctore et quadratus , Nonius p. 306, 9 *et* , 420, 32 *aevi* . in II, 367 membranae *haedi* . in Varronis de lingua Latina V p. 99 Mediceus codex (nam Spengelius non omnia recte rettulit) *ircus quod savini fircus* . *quod illic fædus in latio rure [qui in urbe* deleta *] hedus qui in urbe ut in multis* ·A· *addito aedus* . versu proximo *et fortis* libri et Nonius p. 306, idem p. 420 *ac*.

9. Tu , pater , es rerum inventor . Oblongus *es*, quadratus *e*, huius corrector *ó* . . .

11. omnia limant . Recte Avantius libant , quod lima nulla est in ore apium pascentium , qualem tribuit aëri subtili Vitruvius , cum dicit in V, 9, 5 *quod ex viridibus subtilis et extenuatus aër propter motionem corporis influens perlimat speciem*, hoc est oculum . Horatio ludere licuit, *Non istic obliquo oculo mea commoda quisquam Limat*, quasi *limi oculi* a *lima* dicerentur ; quem admodum et Plautus ludit , cum *dolum dolari* dicit , et nostri homines partim iocantur , partim falluntur , cum *geruhen* deducunt a *ruhen*, quorum altero studium significatur , altero quies . apud Phaedrum in III, 10, 49 ferri non debet *si mendacium Subtilius limasset*, sed non tam cum Bentleio *rimatus* scribendum est quam *rimasset*, quo praeter antiquiores circa idem tempus Iliados interpres usus est 456, *Undique rimabant inimico corpora ferro*.

15. Naturam rerum divina mente coortam. Quadratus *coartam* . inepte Lambinus de coniectura Donati Iannocti Florentini *haud divina :* ineptius Wakefieldus *naturam* interpretatur rationem naturae rerum . recte Orellius *ratio tua coepit vociferari Naturam rerum*, *divina mente*, scilicet tua , coorta . haec est illa ἱερὰ σοφία Ἐπικούρου , haec illa ἱερὰ κεφαλὴ ἡ πρώτη τὴν σοφίαν ἐξευροῦσα , cuius summae apud familiam laudes . mox *totum video per inane geri res* quasi ex libro primo Nonius profert p. 446, 5.

Digitized by Google

21. SEMPER INNUBILUS AETHER INTEGIT ET LARGE DIFFUSO LUMINE RIDET. Neque in asyndeto ulla elegantia est, cum ad *integit* ex superioribus repeti debeat *eas* sedes deorum, ut paulo post 69 *longeque remosse* ea, (*Integer* enim, quod Wakefieldus probat, turpi errore Brixiae Veronae Venetiis olim impressum est): neque Lucretius alibi usquam licentia a Forbigero ad librum I,11 poësi nondum excultae benigne condonata usus est, sed a Graecanica arte brevium syllabarum producendarum studiose abstinuit. recte ergo Marullus *semper* QUE *innubilus aether Integit;* quod respondet Homericis, quae sunt in Odysseae sexto 44, ἀλλὰ μάλ' αἴθρη Πέπταται ἀνέφελος. sed praeterea scribendum est *et large diffuso lumine* RIDENT, deorum sedes, non aether, lumine aetheris: *ridere* enim dicuntur quae illustrantur, non quae illustrant. apud Homerum λευκὴ δ' ἐπιδέδρομεν αἴγλη.

28. HIS UBI ME REBUS. Recte IBI Gronovius ad Livii VII, 26, et Wakefieldus 'ex ingenii proprii divinatione'.

29. QUOD SIGNATURA. Avantius *quod* SIC *natura*.

33. ALTERNO PERCITA MOTU. Quadratus *alterna*. infra in IV, 47, ubi haec male repetita exhibent, uterque *alterno*. AETERNO in quarto Naugerius, in tertio Creechius. in II, 1055 oblongus *aeterno*, quadratus *aeterna*.

39. OMNIA SUFFUNDANS MORTIS NIGRORE. Itali et Marullus SUFFUNDENS. in VI, 479 *Suffunduntque sua caelum caligine*.

43. ET SE SCIRE ANIME NATURAM SANGUINIS ESSE. Quadratus *sciri*. tum oblongus et Italici *animi:* sed verum est *animae*, dandi casu.

44. NEC PROSUM. Ita quadratus: oblongus *prorsum*. versu 514 *prorsum* idem oblongus a correctore. *introsum* uterque in III, 534, item *rusum* in III, 1001 IV, 333 V, 749. *susum* in his libris scriptum non legi. ceterum hac scribendi ratione, qua *r* littera post vocalem longam eliditur, nihil vulgatius est, cuius tum casu immemor Madvicus in IV Ciceronis de finibus 68 non intellexit scribendum esse *Itaque rusus eadem ratione, qua sum paulo ante usus, haerebitis;* ubi in libris est *Itaque usus*. vetus codex gromaticorum p. 195, 12 *diosum* pro *deorsum*.

47. IACTARI CAUSAM. Itali CAUSA. sed versus 46 quo referendus esset, ante Bentleium nemo perspexit.

Digitized by Google

53. INFERIA MITTUNT. INFERIAS corrector quadrati et Itali et exemplaria impressa. *et* ante *manibus* omittit oblongus; item olim impressi, qui habent *manibusque divisque:* Antonius Marii *quas manibus divis*.

57. NAM VERE VOCES TUM DEMUM PECTORE AB IMO ELICIUNTUR, ERIPITUR PERSONA MANARE. *Eliciendi* verbum hic quidem ferri potest, contra in versu 497 de seminibus vocis locum non habet. neque negari debet hic quoque simplicius et Lucretio magis conveniens esse EICIUNTUR. itaque cum M. A. Muretus variarum lectionum libro II cap. 17 in Ciceronis Caeliana 24, 60 optime dixisset legendum esse *Nonne ipsam domum metuet, ne quam vocem eiciat,* Gifanius in utroque Lucretii versu dedit *Eiiciuntur*, Mureti emendationem falso adscribens Lambino, qui eam acerbe exagitaverat. hinc Lambinus, tandem veritati concedens, non tamen Gifanium sed *doctos* ita legendum existimare scribit. porro hic Itali et olim impressi ET *eripitur:* tum iidem Itali egregie MANET RES.

62. PRESTANTE TABORE. Vide libri II versum 12.

66. VIDETUR. Recte Lambinus VIDENTUR: nam *Semota* est neutri generis, *cunctarier* autem pro substantivo *cunctatio*, de quo dicam ad librum IV, 244.

72. IN TRISTI FUNERE FRATRES. Apud Macrobium Saturn. VI, 2 FRATRIS, itaque Marullus.

78. INTEREUNT PARTIM STATUM ET NOMINIS ERGO. Eximie Itali iam ante Marullum STATUARUM. has Epicurus dicebat ἐπιθυμίας οὔτε φυσικὰς οὔτε ἀναγκαίας, ὡς στεφάνους καὶ ἀνδριάντων ἀναθέσεις. ita Laërtius Diogenes in X, 149.

81. UT SIBI CONICISCANT. Corrector oblongi *conciscant*, itaque Veneta editio: Antonius Florentinus CONSCISCANT.

84. ET IN SUMMA PIETATE EVERTERE SUADET. Quadratus *piaetate*. Itali veteres PIETATEM. sed *suadet* orationem pervertit: ergo scribendum est *in summa* FRAUDE.

94. PRIMUM ANIMUM DICO, MENTEM QUEM SAEPE VOCAMUS. Apud Charisium p. 187 *mentem* QUAM. hoc ipsum dedit, ante quam Charisii liber innotuisset, Marullus; quod miror, cum ille tam subtiliter iudicare non soleat. est autem magis ex usu poëtae, ut versu 100 *habitum quendam —, Harmoniam Grai quam dicunt,* et in IV, 132 *in hoc caelo, qui dicitur*

Digitized by Google

aër . exceptio est in pronomine duplici , et per neutrum in duobus nominibus . VI, 298 *igneus* ille *Vertex quem patrio vocitamus nomine fulmen* . IV, 369 id *quod nos umbram perhibere suëmus* . VI, 702 *nos* quod *fauces perhibemus et ora* . III, 139 *Consilium* , quod *nos animum mentemque vocamus* . I, 58 Quae *nos materiem et genitalia corpora rebus* —— *Appellare suëmus* . sed quae Charisius subicit , *Ubi Velius Longus 'primum' inquit 'adverbialiter audiendum est'*, ea (nam vana profert Lindemannus p. 52 n. 18) ex Longi in Aeneïda commentariis petita sunt. horum libro secundo Charisius p. 153 usus est: de versu Lucretiano Velius commentatus esse potuit ad eius libri versum 79, ubi est *Hoc primum* . eundem *Velium in quinto* testem facit Charisius p. 88 : sed eius verba ita scribenda sunt ut leguntur in grammaticis Vindobonensibus p. 110. ex Velii in tertium Aeneïdos commentario petita sunt quae habet Macrobius Sat. III, 6.

95. REGIMENQUE VOCATUM EST . Marullus LOCATUM *est*.

98. SENSUM ANIMI . Ante haec versum unum vel paucos excidisse manifestum est: sed quem versum habent libri impressi praeter vetustissimos , *Quanvis multa quidem sapientum turba putarunt* , eum cur nemo a Michahele Marullo fictum esse intellexerit, qui rem consideraverint mirabuntur: ego in editoribus Lucretii nihil mirandum duco . primus hunc versum edidit Hieronymus Avantius Veronensis in editione Aldina , quae prodiit mense Decembri anni MD : eundem in Iuntina, quae anno MDXII impressa est, Petrus Candidus exhibuit, Marulli se in hoc opere censuram potissimum secutum professus . ergo , quoniam duo non potuerunt eundem versum facere, aut Marulli est aut Avantii . atquin Avantius non ut debuit *putarunt* scripsit, sed *putaret:* idemque in libro IV versum post 102 additum ita corruptum dedit, *corpora, res multas quae mittunt corpore aperto* , cum apud Candidum recte legatur *res multae :* et in eodem libro post versum 532 Avantius sine ullo sensu *rauca suis, et iter reddit qua vox it in auras* , Candidus autem emendate *Rauca viis et iter laedit*. quis igitur dubitare potest quin Avantius, qui se corruptissimum Lucretii poëma sine antiquo exemplari emendasse scribit , et hos et ceteros novos versus itemque emendationes innumeras Marullo debeat , sed noluerit Marullo vivo

Digitized by Google

fateri se huius emendatione expolitum exemplar nescio quibus artibus nactum esse? nam praefationi Avantii subscriptum est *Kal. Martiis* MID, Marullus autem periit mense Aprili anni MD.

100. QUOD TACIAT NOS. Quadratus *tatiat*. huius corrector et Brixiensis editio FACIAT.

106. SAEPE ITAQUE IN PROMPTU CORPUS QUOD CERNITUR AEGRUM. Quadratus *in prompto*. grammaticus Vindobonensis Eichenfeldii p. 172 *Aegrescit a verbo aegret*. *Lucretius Saepe itaque in proptu corpus quod cernemus* AEGRET. *aegreo tamen dictum non est*. Lambinus editione prima et secunda *aegrum est* scripsit, cum recte sensisset Lucretium in talibus verbum substantivum non omittere: tertia autem hoc a se inventum oblitus ita in aliquot libris vulgatis legi falso rettulit et invidenda felicitate ingenii fecit *aegrit*, quomodo hoc verbum libri scriptum exhibent versu 824.

108. FIT UBI. Itali *fit* UTI.

108. NEQUE HARMONIA CORPUS INTERIRE SOLERE. Hic Wakefieldus laudandus est, qui solus viderit, quod priores turpiter fefellerat, legendum esse *harmonia corpus* SENTEIRE *solere*.

131. REDDE HARMONIA NOMEN AD ORGANICOS ALTU DELATUM HELICONI. Corrector quadrati *harmoniai*. in eodem libro *ad organicos saltu*, et prima manu statim factum *salto*: oblongi corrector *ab organico salto*. de *Heliconi* ablativo disputavi ad librum I, 739. tum recte Bentleius ALTO: sed idem, cum *ab* in codicibus esse crederet, frustra scripsit *ab organicis*. poëta enim hoc dicit, musicos harmoniae vocabulum vel a primis artis suae inventoribus traditum accepisse vel potius aliunde a communi convenientiae significatione deductum ipsos porro in suum usum traxisse.

135. QUIDQUID EST. Corrector oblongi *Quicquid* et hic et in v, 577, itaque prima manu uterque in v, 1252, non recte: sed ceteris locis recte adiectum ID, quod in hoc et Itali et impressi omnes habent.

136. CONIUCTA. Sic prima manu oblongus: quadratus *coniunc*. in utroque factum CONIUNCTA.

145. IDQUE SIBI SOLUM PER SE SAPIT SIBI GAUDET. Itali et impressi *et sibi*. aptius est quod Wakefieldus voluit, ID *sibi gaudet*.

Digitized by Google

151. NULLA NOVITATFI CIETUR. Itali et impressi NOVITATE *cietur*.

154. SUDORESQUE ITAQUE PALLOREM. Olim impressi et ante eos Itali *Sudoresque* ITA *pallorem* QUE.

156. CALIGARE OCULOS, SONERE AURIS. Oblongus prima manu *Calicare*. ita idem I, 465 *centis*, II, 82 *vacaris*, 805 *zmaracdos*, IV, 53 *vacari*, 681 *Uncula*, 1237 *Conspercunt*, V, 226 *lucubri*, 1068 *cannitu*, 1085 *grecis*, 1139 *lucebat*, VI, 454 *Exicuis*, 878 *claciem*, 1172 *caelidos*; quadratus II, 1133 *aucmine*, III, 1083 *conticit*, IV, 546 *lucubri*, VI, 737 *subicit*. e contrario oblongus *argeri* I, 183, *Angus* III, 1025, *digitur* IV, 132, *lugidus* 315, *agre* V, 862, *pelagia* 1004, *argem* 1108; quadratus *regenti* II, 319, *ignoscere* pro *hinc noscere* III, 158. pro *sonere*, quod Nonius p. 505, 5 et Priscianus p. 838 et p. 863 confirmant, corrector oblongi fecit *sonare*. Putschius his verbis apud Priscianum p. 863 subiecit *succidere artus* ex Lucretio: Krehlius p. 455 (nam vanissimi hominis impudentia efficit ut praeter Putschianum alter numerus adscribendus sit) suos codices *regiae* habere dicit, quod non vidit e versu Accii irrepsisse, qui Lucretianum antecedit.

159. QUE CUM ANIMI PERCUSSAST, EXIM CORPUS PROPELLIT ET ICIT. Nonius p. 124, 9 *animi vis*, itaque Brixiensis editio: Antonius Marii recte *animi* VI. tum Nonius *Perculsa est*. apud eundem, cum Iunius et priores dedissent *exinde*, Mercerus et Basileenses *exin*, neque aliter codices Prisciani p. 886, si Krehlio fides. *exim* Mediceus codex Vergilii uno loco excepto semper (vide Wagnerum tomo V, p. 437), Plautini semel, quantum scio, in Poenulo III, 5, 9 *Ut quomquest ventus, exim velum vortitur*, item codex Festi in versu Ennii p. 356, 4 editionis O. Mülleri, qui sprevit, *exsim* εὐθέως glossarium Philoxeni. est autem observandum poëtas neutra disyllaba huius vocabuli forma ante vocales uti. *exim ante meridiem* M. Aurelius ad Frontonem p. 54: apud Tacitum annalium XI, 2 *exin adulterium*, in XIV, 48 *exim a Cossutiano*: in libro Varronis de re rustica I, 28, 2 *dein ad*, *exin ad*, in II, 4, 10 *proin ac*. *proin* Seneca per unam syllabam et ante vocalem et ante consonantem, Thyeste 201 Hipp. 261 Agam. 129, sed idem *proïnde* semper diductis vocalibus.

165. QUORUM NIHIL FLERI. In utroque correctum FIERI.

Digitized by Google

170. Si minus offendis vitam vis horrida leti. Corrector quadrati et Veronensis editio offendit. Marullus teli.

172. insequetur languor terraeque petitus Suavis, et in terra mentes qui gignitur aestus. Correctores antiquissimi insequitur. porro in extremis recte Itali mentis *aestus* in terra iacentis. in his alii sine causa haeserunt. sed qui est in medio membro *petitus terrae*, nec voluntarius est nec *suavis;* quod cum intellegeret Iohannes Iones, amicus Wakefieldi, scribendum coniecit *Saevus:* sed accommodatius et verius est *terraeque petitus* Suppus. *suppum* veteres pro *supino* dixisse Festus testatur allato versu Lucilii, itaque Lucretius ipse, eos qui in glossariis Labbaei p. 7 et 8 *adversipedes* appellantur exagitans, dixit in I, 1061 *animalia suppa vagari*, ubi correctores codicum Leidensium imperite fecerunt *supra*. hinc *suppare* pro *supinare* Attius apud Nonium p. 200, 33, *Obtorque proram, ac suppa tortas copulas;* quod lexicorum conditores recte intellegere noluerunt.

176. Corporis quoniam telis. Corrector quadrati et Itali Corporeis.

183. Quam si mens fieri proponit et inchoat ipsa. Recte Wakefieldus *Quam* sibi *proponit*. ita semper Lucretius: vide huius libri versum 627 et 879, neque *ipsa* intellegi potest, nisi hoc dicit, cogitationem celerrime ipsam sibi fieri proponere et fieri incipere.

188. Momine uti parvo possint. Apud Paulum diaconum ex Festo libro XI codices olim impressi, a quibus quo iure Lindemannus p. 98 longe secesserit dicere non possum, *Momen, momentum. Lucre. Momine si a parvo possunt impulsa moveri*.

198. At contra lapidum coniectum spicarumque Noenu potest. Hic primum observabo Lambinum absurde contra codicum auctoritatem scripsisse *Nenu* et hic et in IV, 712; quem lexicographi secuntur, male dissimulantes apud Nonium p. 143 esse *noenum*, in antiquis editionibus *noenon*. grammaticus et *noenu* adnotaverat ex Lucilio et ex Varronis epistula *noenum: noenu* errore librariorum periit. diphthongus autem in his rationem habet, cum *noenum noenu* sive *non* nihil aliud sit quam *ne oenum*, hoc est *nec unum*. primus ita, quantum scio, Iacobus Grimmius iudicavit in

Digitized by Google

grammatica Germanica t. III p. 745 : Handius frustra negat Tursellini t. IV p. 167 et 255 . ceterum Lucilii versus in hunc modum restitui debet , *Sed tamen hoc dicas quid rest , si noenu molestumst*, cum in libris sit *quid est* : nam Lucilium *re* dixisse, non *rei* MONOCYλλάβωC , manifestum est ex Nonio p. 500, 17 et 21. *noenum* praeter Varronem Plautus quoque dixit in Aulularia I, 1, 28 *Noenum mecastor , quid ego ero dicam meo* , — *Queo comminisci* : ita enim vetus Camerarii , nisi quod ordinem pervertit ita, *quid ero ego* . dum haec scribo, adfertur glossariolum Plautinum a Ritschelio editum vere huius anni MDCCCXLVI , in quo *noenum* ex Aulularia et ex Bacchidibus notatum est . in nostris autem Bacchidibus nŏn legitur, quamquam non incredibile est actu IV, 4, 84 scribendum esse *Quia tibi aurum reddidi , et quia noenum te fraudaverim*, ubi nunc est *non* . neque dubitandum est quin Ennius scripserit *Noenum rumores ponebat ante salutem*, in quo versu exemplaria Ciceronis constanter habent *Non enim rumores* . Cicero quoque ipse , si Mediceo codici fides est , *noenum rebatur* ad Atticum VII, 3, 8 , fortasse non sine ioco : nam in III de oratore 153 *non rebar* inter ea recenset quibus positis grandior atque antiquior oratio videri soleat. sed in Lucretii versu Itali veteres , quos secuntur primi editores et Marullus , cum vocabulum anticum ignorarent , sententiam Lambino curiosius expenderunt . huic enim satis visum est , si aura *suspensa levisque* lapidum acervum disicere *noenum* posse diceretur : illis hoc mirum non fuit , sed quod id aura *Nulla* posset , hoc est ne vehementissima quidem; rectissime , nisi quod eos emendandi ratio fefellit . unum tamen Lambinus recte vidit , lapidum congeriem non posse *coniectum* dici , sed potius CONLECTUM cum Mureto , neque *aquae coniectum* in libro IV, 414 , sed *conlectum* . vera autem vitii sedes est in *spicarumque* , primum quia nihil a re magis alienum excogitari potest quam aut hoc aut quod Veronensis editor et Naugerius dederunt , *spiculorumque* , ex quo Lambinus *spiclorumque* sive *spicorumque* faciendum iudicavit (neque enim hoc Homerico illi simile est , quod legitur in Odysseae V, 328 , 'Ως δ' ὅτ' ὀπωρινὸς βορέης φορέῃσιν ἀκάνθας Ἅμ πεδίον , πυκιναὶ δὲ πρὸς ἀλλήλῃσιν ἔχονται) ; tum quia Lucretius , Graecam Ennii Luciliique licentiam , quam postea et Catullus et Vergilius artificiose revocarunt , exosus , versibus in tres spondeos exeuntibus omnino abstinuit : nam

Digitized by Google

quae a ceteris forte differre videantur, ea quod in uno eodemque vocabulo sunt non differunt, I, 559 *disturbans dissoluensque*, III, 706 *manando dissoluuntur*, VI, 446 *demisit dissoluitque;* praesertim cum horum unum in libro sexto sit, in quem poëta nullos spondiazontas admisit. quae cum ita sint, deliberandum restat siquid propius ad scripturam codicum accedens inveniri possit, quam quod mihi mentem poëtae optime exprimere videtur, *At contra lapidum conlectum* SPIRITUS ACER *Noenu potest*.

203. QUONIAM ANIMI NATURA REPERTA. Marullus *quoniam* EST, ut versu 130.

207. OPORTUNA. Ita *p* simplici hic et in V, 807 uterque codex, oblongus solus in V, 606, quadratus VI, 318 893.

210. SE POSSIT CONGLOMERARI. Impressi SI.

222. SPIRITUS UNGUENTE SUAVIS. Quadratus *unguentes*. Itali *unguenti*. de UNGUENTEI genetivo exponam ad IV, 602.

227. IN TOTO CORPORE RERUM. Scribendum est REI. nam praecesserat *Nil oculis tamen esse minor res ipsa videtur:* et quamvis recte dicatur *summum corpus rerum* (sic Lucretius in IV, 43 64), quo aliqua rei cuiusque pars significatur, et in IV, 525 *suo pepulere ubi corpore sensum*, item *quaecumque* aut *cetera celant corpore* in II, 673 678, scilicet suo quicque corpore, neque minus recte in negatione *nulla aeterno corpore*, libro I, 242, *totum* tamen *corpus rerum* vix satis proprie dicitur. ceterum *rei* Lucretium et una syllaba et duabus, priore autem correpta numquam posuisse satis constat: sed miror qui fiat ut prioris syllabae productio plerisque videatur comicis quoque poëtis valde familiaris fuisse. certe ego eius modi vix quicquam apud eos reperire potui, nisi quod Plautus semel in Milite II, 1, 25 dixit *Magnai reï publicai gratia*, idemque semel *Aula in Fideï fanum* in Aulularia III, 6, 47. Reizius in eadem Aulularia II, 1, 2 non sine specie *Meai fideï tuaique reï*. sed Terentius in Adelphis II, 1, 21 *quid hóc reist* dixit potius tribus syllabis quam quattuor, ut Bentleio visum est, qui non recte scripsit *reii est*. item in Andria II, 6, 26 *Quid hoc est rei? quid híc volt veterator sibi?* non *reii*. neque idem Bentleius versum Phormionis III, 1, 10 ita temptare debuit ut *speii* faceret duabus syllabis. ceterum in his quintae declinationis formis *i* duplex neque rationem habet neque auc-

Digitized by Google

tores; quod contra *eiei* et *quoiei* testata sunt. neque *ei*, cum prior syllaba producitur, *eï* dicendum est, quoniam admittit elisionem, ut dicetur ad versum 374: aptius pingemus ita *i* duplici, *ej*, id est *eii*, quem admodum Italorum pars prudenter scribunt *gaj* a singulari *gaio*. quae eadem scribendi ars in *Graiorum* nomine locum habet, ita, *Graj* et *Grajs*; quamquam Terentiano, hoc est Mauro temporis Diocletiani, suum *Grăï* concedendum est, nec nisi in poëtis antiquis satis tuto scribi potest *objciebat*, *conjcere*, *objcibus*, si et numeros servare volumus et scribendi consuetudinem, de qua dixi ad Gaïi comm. III, p. 258. sed hac longiore littera si usi essent editores Gellii IV, 17, Festi p. 305, 25, Nonii p. 169, 2, versus Ennii hoc modo disposuissent, *per ego deum sublimas subjces Umidas, unde oritur imber sonitu saevo et spiritu*; quos illi turpi errore, quasi Gellii disputationem non legissent, fecerunt ïambicos trimetros. *ei* vero pronomen non scaenici soli in unam syllabam contractum extulerunt, sed Catullus quoque p. 69, 1 *Eripere ei noli*, et Manilius *eidem* in III, 73. sed Catullus alio loco p. 20, 12 duabus; ubi legendum puto *Malest me hercule eï et laboriose*: nam in *me hercule* haerendum non est, quod quamquam Terentius sine elisione dixit et Plautus in Mercatore IV, 7, 79, *mercule* scriptum est in Mediceo codice epistularum Ciceronis semper, ut dicit Furia ad librum V, 10, 1, itemque prima manu in codice Frontonis p. 104 et in Bobiensi commentario Plancianae p. 54 Mai (256, 33 Or.), praeterea Phaedrus trisyllabum fecit in versu.

232. TENUS ENIM. Corrector oblongi TENVIS.

234. NEC CALOR EST QUISQUAM, CUI NON SIT MIXTUS ET AER. *Et* pro *etiam* quotiens in hoc carmine invenitur (invenitur autem rarissime) suspectum est corruptelae. hic neque ad sententiam quicquam confert et facillime removeri potest scribendo *cui* MIXTUS *non* SIET *aër*. in libro V, 531 apertum est poëtam fecisse *E quibus una tamen siet haec quoque causa necessest*, ubi est *sit et haec quoque*.

236. AERIS INTER EUM INTER EUM PRIMORDIA MULTAMQUERI. Impressi veteres *in cereum*, sed semel tantum, Itali *interitu*, Avantius *in coetum*, Marullus ita ut debuit. in fine quadratus *multāq:ri*, oblongus *multamquaeri*: oblongi corrector egregie *multa* MOVERI, itaque Antonius Florentinus et olim impressi.

Digitized by Google

239. Nihil horum quoniam recepit mens posse creare Sensiferos motus, quaedamque mente volutat. Corrector oblongi recipit. de ceteris vanissima multorum commenta adferre nihil attinet; qui neque recte *mentem recipere* negant quae *ratio non admittat*, neque quid poëta *mente volutari* dixerit expedire possunt. res a Pseudoplutarcho (de placitis philos. p. 908 D) Stobaeoque (phys. p. 92) exposita est his verbis. 'Επίκουρος (τὴν ψυχήν) κρᾶμα ἐκ τεττάρων, ἐκ ποιοῦ πυρώδους, ἐκ ποιοῦ ἀερώδους, ἐκ ποιοῦ πνευματικοῦ, ἐκ τετάρτου τινὸς ἀκατονομάστου· τοῦτο δ' ἦν αὐτῷ τὸ αἰσθητικόν. ὧν τὸ μὲν πνεῦμα κίνησιν, τὸν δὲ ἀέρα ἠρεμίαν, τὸ δὲ θερμὸν τὴν φαινομένην θερμότητα τοῦ σώματος, τὸ δ' ἀκατονόμαστον τὴν ἐν ἡμῖν ἐμποιεῖν αἴσθησιν· ἐν οὐθενὶ γὰρ τῶν ὀνομαζομένων στοιχείων εἶναι αἴσθησιν. horum postrema versu priore continentur: sed ubi scriptum est *mens*, inferenda est *sensus* mentio, hoc modo, *Nil horum quoniam recipit* quem *posse creare*, id est, ut simpliciter dicam, Cuius sensus creandi possibilitas quoniam in nullam harum trium naturarum cadit. ita fit ut alteri quoque versui, si paulum adiuvetur, sua constet sententia, *Sensiferos motus quaedam* vis menti' *volutat*. scilicet haec est *mobilis illa Vis*, — *Sensifer unde oritur primum per viscera motus*, 270, ea quae *animae quoque totius ipsa Proporrost anima et dominatur corpore toto*, 280.

243. Qua neque mobilius quicquam neque tenuis exstat, Nec magis e parvis et levibus ex elementis. Itali et impressi *neque* tenvius. in versu altero scribendum est et *parvis et levibus ex elementis*, quoniam in iisdem est levor et parvitas. quadratus et hic et saepe alibi *laevibus*, non oblongus.

249. Concutitur tum sanguis, viscera persentisiunt. Antonius Marii et Marullus persentiscunt. Pius in reverendae, ut dicit, fidei exemplaribus, scilicet ex emendatione docti Itali, scriptum invenit sanguis tum.

254. Usque adeo vitae desit locus atque anima Diffugiant partes per culvias corporis omnis. Brixiensis editio *defit* et *Diffugiunt*, quod falsum est. recte Lambinus ut addidit ante *vitae*. animai, tum caulas, corrector quadrati et Itali.

257. hanc ob rem vitam retinemus valemus. An-

Digitized by Google

tiquissimi correctores *retinere valemus* . sed expressius est *vitam retinemu'* VALENTES . supra 103 *et non est tamen haec pars ulla valentis*.

265. MULTAE VIS . Probus p. 1461 *Lucretius tamen numero plurali hae vis et* (II, 586) *has vis*.

266. IN QUOVIS ANIMANTUM VISCERE . Ita quadratus , Avantius , Naugerius : *visere* oblongus , Itali , olim impressi , Marullus . hoc ne commemorarem quidem , nisi placuisset soloecismorum fautoribus , Havercampo , Wakefieldo, Eichstadio , Forbigero .

272. SENSIFERER UNDE . Corrector oblongi SENSIFER.

288. EST ETIAM CALOR ILLE ANIMO . Recte Faber *Est* ETENIM.

289. CUM FERVESCET ET EX OCULIS MICAT ACRIUS ARDOR . Oblongus prima manu *fervescat:* Itali FERVESCIT. tum recte Lambinus ACRIBUS , et propter rem (quid enim est *acriter micare?*) et propter Vergilii imitationem , cuius eum Passeratius admonuit , Aen. XII, 102 *totoque ardentis ab ore Scintillae absistunt, oculis micat acribus ignis*.

290. EST ET FRIGIDA MULTA —— AURA . *Etiam quoque* est in membro tertio , sed in primo et tertio *ille* . hoc in secundo aegrè caremus , *et* pro *etiam* displicet : scribamus ergo potius *Est* EA *frigida multa*.

291. ET INCONCITAT ARTUS . In utroque codice IN litterae deletae sunt.

293. PERTORE TRANQUILLO FIT QUI VOLTUQUE SERENO . Corrector oblongi PECTORE . tum recte , ni fallor, Marullus QUI FIT : certe nullam inversi vocabulorum ordinis rationem video . in VI, 143 *quod item fit*. 299 431 1017 *Hoc fit*. 670 *Id quoque enim fit*. in IV, 1166 *tum fit*.

298. NEC CAPERE IRARUM FLUCTUS IN PECTORE POSSUNT . Hic versus putide subiectus est ei quo eiusdem rei effectum poëta gravioribus verbis expressit , *Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes* . sed idem versus egregie convenit superioribus , *quibus acria corda Iracundaque mens facile effervescit in ira , Nec capere irarum fluctus in pectore possunt*.

303. NEC MINUS IRA FAX UMQUAM SUBDITA PERCIT FUMIDAS EFFUNDENS CAECAE CALIGINIS UMBRA . Qua-

Digitized by Google

dratus *Fumides* . oblongus *caliginis umbram* . olim impressi *irai fax numquam* et *umbras* . Itali perite *Nec* NIMIS IRAI, tum *Fumida* SUFFUNDENS. sed *umbram umbras*ve accusandi casu scribi non debuit: ablativum supra firmavimus ad versum 39, idemque est in libro v, 482.

305. GELIDIS — TELIS PERFIXA VAPORIS. Marullus PAVORIS. Wakefieldo cum suis placuit *vaporis;* quod quis credat, nisi qui eos nihil intellegere intellexerit?

306. INTER UTRASQUE SITAS CERVOS SAEVOSQUE LEONES. Hic iterum illud absurdum *inter utrasque* legimus, quod ad II, 548 vidimus scribendum esse INTERUTRAQUE. hoc vero cum accusativo coniungi non posse apparet: quo fit ut *sita est* scribi non debeat, quod fecit Brixiensis editor cum Marullo et ceteris. est autem legendum *Interutraque*, SECUS *cervos saevosque leones*. ut Lucretius *interutraque secus* addito accusativo dixit, ita Cato *utrimque secus*, nisi fallor, de re rustica cap. 21, 3 *Dextrâ sinistrâ foramina, utrimque secus laminas, sublaminas pollulas minutas supponito*. nec dubium est quin *secus* praepositio eam constructionem admittat; quamquam Charisius p. 61 *id quod vulgus usurpet, secus illum sedi, hoc est secundum illum, et novum et sordidum esse* dicit, cum tamen ipse p. 195 Sempronium Asellionem, temporis Gracchani scriptorem, historiarum libro XIV *hoc secus* in temporis significatione posuisse testetur. et haec et cetera de *secus* praepositione Gesnerus in thesaurum suum contulit. *circumsecus* lexicographi consignarunt, neglexerunt *antisecus*, *longisecus*, quae sunt in glossariis Labbaei, item *postsecus*, quod nihil omnino esse dicit Caper p. 2243.

308. TAMEN ILLA RELINQUIT NATURA CUIUSQUE ANIMI VESTIGIA PRIMA. Bene Marullus, quamvis Wakefieldus neget, NATURAE, ut paulo post 320 *Usque adeo naturarum vestigia linqui Parvola*. sed idem Marullus nescio qua re deceptus scripsit *animus: animi* recte uterque codex, sed quadratus postremo *i* ex *e* facto prima manu.

317. TOT NOMINA QUOD SUNT. Corrector oblongi nimis curiose *quot sunt*. uterque codex in versu 1090 *quod vis*, quadratus in VI, 703 *aliquod*. ne septimo quidem ab urbe condita saeculo certum scribendi discrimen fuit. in lege Thoria 26 *Quod quisque pecudes in calleis viasve publicas itineris causa induxerit*. vix credibile est hoc vel doctissimos fefellisse in

Digitized by Google

Varronis de lingua Latina libro IX p. 475; ubi haec sunt verba, *Non sic ex viro et muliere omnis similis partus, quod pueri et puellae?* quid quod ne in VI quidem p. 219 haec recte intellexerunt, *Quare si etymologos principia verborum postulet mille de quibus ratio ab se non poscatur, et reliqüa ostendat quod* (hoc est *quot*) *non postulat, tamen inmanem verborum expediat numerum*. in libro VIII p. 450 ut Madvicus in opusculis alteris p. 237 id quod manifestum est non videret, neglegentia ac temeritate editorum effectum est: in Florentino enim codice scriptum est *sed ea quae dicta, ad iudicandum satis sunt, quod* (librarius primo scripserat *quorum*, sed verum est *quot*) *analogias in collatione verborum sequi non debeamus*, illi autem dederunt *non debemus*. versum proximum habet Nonius p. 184, 11.

319. ILLUD IN HIS REBUS VIDEO FORMARE POTESSE. Impressi veteres FIRMARE. tum necessario scribendum est VIDEOR; quam Faber quarundam editionum lectionem esse dicit, eamque se revocavisse: ego in nulla priorum invenio. *vide* Veronensis cum sequace Veneta: *video* Brixiensis, Marullus, Avantius, Pius, Ascensius, Naugerius, Henricus Petri anno 1531, Gryphius heredesque eius a. 1548 1558, Lambinus, Gifanius, Pareus, Nardius, et post Fabrum Fayus.

321. QUE NIQUEAT RATIO DEPELLERE NOCTIS. Quadratus *que iniqueat* et *noctes*. corrector oblongi *quae* NEQUEAT. tum Marullus inepte *depellere dictis*, paulo melius Lambinus *doctis:* sed perspicue verum est NOBIS.

330. EXTRAHERE AUT FACILE EST. In utroque Vossiano factum HAUT. ita quadratus *aut* II, 747 750 III, 1069 V, 552, idem *aud* III, 330 682 840.

332. INTER SE CONSORTI FIUNT PRAEDITA VITAE. Marullus FIUNT CONSORTI *praedita* VITA. possis non minore cum specie veri *Inter se consorti effiunt praedita vita*. certe *effiant* hic poëta scripsisse videtur in libro VI, 761.

335. INTER EOS. Inter corpus et animum. at Lucretius in huius modi relatione neutro genere utitur, non masculino. ergo scribendum est *inter* EAS, quia dixit *Corporis atque animi potestas*.

346. MATERNIS ETIAM MEMBRIS ALVOQUE REPOSTO DISCIDIUM NEQUEAT FIERI. De *alvo reposto* sive

Digitized by Google

reposta nugas agunt Pius et Wakefieldus . Marullus *alvoque repostis Discidium ut nequeat fieri* . sed aptissime Lambinus priorem versum cum superioribus coniungit, ut mutua corporis atque animae contagia vitales motus *discere* dicantur *Maternis etiam membris alvoque* REPOSTA . ita vero necessario scribendum est *Discidium* UT *nequeat fieri* . et verum est in oblongo *m* litteram in litura esse: fuit autem, quantum contentis oculis videre potui, *Discidiunt*.

357. PERDI ENIM QUOD NON PROPRIUM FUIT EIUS IN AEVO, MULTAQUE PRAETEREA PERDIT UM EXPELLITUR AEVO QUAM . Corrector oblongi PERDIT *enim*. tum *eius in aevo* uterque codex sine ullo alienae manus vestigio: sed quadratus *ei*, quod quid esset Havercampus, homo imperitus, non didicerat . *quam* ,.quod in fine versus legitur, ex margine dextro codicis archetypi illuc venit: est enim hic versus tertius paginae huius libri quintae decimae, quae fuit in parte sinistra schedae . debebat autem scribi QUOM, quod erat in ipso versu mutilatum *um*. hoc Itali iam viderunt et Brixiensis editor, qui dederunt *cum*. sed in utroque versu interpretando unus Creechius aliquid ad rem fecit adferendis Epicuri verbis, quae sunt apud Diogenem in libro x, 64 ita concepta. Διὸ ἀπαλλαγείσης τῆς ψυχῆς (τὸ λοιπὸν ἄθροισμα) οὐκ ἔχει τὴν αἴσθησιν· οὐ γὰρ αὐτὸ ἐν ἑαυτῷ ταύτην ἐκέκτητο τὴν δύναμιν, ἀλλ' ἑτέρῳ ἅμα συγγεγενημένῳ αὐτῷ παρεσκεύαζεν . sed debebat eorum meminisse quae poëta supra dixit 213, *Nil ibi libatum de toto corpore cernas Ad speciem , nil ad pondus : mors omnia praestat , Vitalem praeter sensum calidumque vaporem :* ita enim intellexisset illud *Multaque praeterea* non delendum esse, sed parva opera sic refingendum, NULLAQUE *praeterea perdit , quom expellitur aevo . Nulla* , id est nullas res; ut in I, 242 *ubi nulla forent aeterno corpore*.

361. DIFFICILEST, CONTRA CUM SENSUS DUCAT EORUM. Quadratus *Difficile est*. Lambinus optime DESIPEREST, *contra cum* DICAT; cui Wakefieldus et Forbiger cum contra dicunt, desipiunt.

362. SENSUS ENIM TRAHIT ATQUE ACIES DETRUDIT AD IPSAS . Haec si omittantur, planiorem sententiam fore Lambinus recte dicit: idem quo iure eis rem falsam et a decretis Epicuri abhorrentem inesse iudicet dicere non possum, quia neque ipsum versum neque Turnebi aut Wake-

Digitized by Google

fieldi interpretationem intellego. itaque mihi haec ferri posse non videntur, nisi post versum proximum posita, qui est *Fulgida praesertim cum cernere saepe nequimus*. ita enim, inquit, *sensus trahit lumina*, hoc est dolor tremere facit oculos, eosque a fulgidis videndis retractos *detrudit ad ipsas acies* et pupulas, quas iam solas vident, *luminibus* rerum fulgidarum *quia praepediuntur*.

365. NEQUE ENIM, QUA CERNIMUS IPSI, OSTIA SUSCIPIUNT ULLUM RECLUSA LABOREM. Nullam vim habent haec, *qua cernimus ipsi*. debet esse *neque enim*, QUIA *cernimus ipsi*, *Ostia* —.

372. CORPORIS ATQUE ANIMI PRIMORDIA SINGULA PRIMIS ADPOSITA. Rectissime Bentleius ad Horatii artem poëticam 60 *singula* PRIVIS *Adposita*. de sententia Democriti quamquam aliunde non constat (certe Mullachius in Democrito p. 397 nihil habet nisi Lucretii versus), tamen e proximis apparet eum singula animi primordia singulis corporis primordiis alternatim apposita finxisse: negat enim Lucretius animae primordia tam parvis intervallis inter se distare.

374. NAM CUM MULTO SUNT ANIMAE ELEMENTA MINORA. Quadratus *anime*, Itali et Marullus *animai*. hoc Aug. Ferd. Näkius, homo in primis acutus, in libello academico, qui in opusculorum eius tomo primo recusus est, p. 183 speciosum esse dicit ad commendandam elisionem Latinis alioquin insuavem. videor mihi de hac re magis definite praecipere posse: sed horum vocabulorum omnium, quae in vocalem longae vocali vel diphthongo subiectam desinunt, quattuor genera accurate distinguenda sunt, ut in singulis de elisione quaeratur. non est enim eadem sed magna in omnibus difficultas, cum sibi vocales tres quattuorve, atque interdum quinque, succedant, hoc est morae quattuor vel quinque vel sex, in duas syllabas ita coartandae, ut id quod in medio est aliquam sui ponderis partem amittat. primum genus est, cum in fine vocabuli est longa vocalis ante longam vocalem sive diphthongum, quibus in proxima dictione vocalis subicitur. in hoc genere mihi certum videtur syllabas vocabulorum contiguas numquam commisceri. neque hoc de Plauto minus valet quam de ceteris. apud hunc sine elisione inveni haec, *Magnai rei publicai gratia*, tum *comoediai*,

Digitized by Google

diei, *fidei*, *fio:* neque dubitandum est quin unum vel alterum praetermiserim. *audaciai* scribendum est in Amphitruone I, 1,211, *Charmidai* Trinummo II, 2,78, *stipulai* Persa II, 2,62, *familiai* Mercatore V, 1,5, *morai* Sticho IV, 1,31, et in primis Amphitr. I, 1,228 *Nam Amphitruonis Sosiai me esse volui dicere*, ubi libri *socium ne me*. non repugnat regulae *Neque quantum aquaist in mari*, quod est in Poenulo I, 3,23, itemque rectum est *ad hoc quod dieist* in eadem I, 2,8. ita Terentius habet *diei*, *Cliniai*, sine elisione; item Vergilius *aquai*, *aulai*, *aurai*, *pictai*, *Aenea*, *Phoebea*, *diei*, *Elei*, *Grynei*, *Anchiseo*, *Sophocleo*, *Achilleae*, *Aeneae*, *Ceae*, *Laomedonteae*, *Phoebeae*, *eheu*, *Io*, *Clio*, *Peridiae*, *Geloi*, *eoo*, *euroo*, *Inoo;* Propertius his etiam plura, sed Graeca; alii poëtae alia. in his Tibullus non scripsit *Eleo est* I, 4,32, sed *Eleost*, et Lucretius in III, 624 *animaist* (hoc enim Näkius recte vidit) ubi libri *animaest;* idem in IV, 1083, ne *rabiei unde* dicendum esset, semel *rabies* in gignendi casu. itaque *vitai es* in epigrammate vetere, de quo dixi ad librum I, 993, pronuntiandum est *vitai's*. alii hiatum vitiosae elisioni praetulerunt, ut *Panopeae et Inoo*, *eoae Atlantides*, *Hyantea Aganippe*, *Bacchei ululatus*. qui haec singula recte perpenderit, facile credet, siquid usquam regulae repugnare visum fuerit, id librariis potius quam poëtarum neglegentiae adscribendum esse. notissimus est versiculus Ciceronis, qui ita scriptus editur de divinatione I, 22, *Inque Academia umbrifera nitidoque Lyceo;* in quo rationem habere incipit quod Moserus nulla cum ratione scribendum coniecit, *Umbrifera inque Academia*. sed credibilius est Ciceronem, cum alii Graecos imitarentur, linguae Latinae proprietatem sequi maluisse, ut *Academiam* paenultima correpta diceret, quem admodum veteres non pauca diphthongo Graeca extenuata protulerunt, ut *plateam*, *gynaeceum*, *Seleuciam*, *Epeum* (ita Plautus in versu quadrato *Epeúm fumificum* apud Varronem de lingua Latina VII p. 324, sed idem in Bacchidibus IV, 9,13 *Epíust Pistoclerus*), item *Ptolemocratia* in Rudente II, 5,24, in Captivis *Alios*, *Philippeos* tribus brevibus, et quod maxime mirum est, *Coo* sive *Chio* (quod in Ambrosiano esse Geppertus, vir doctissimus, mihi indicavit) adiectivum disyllabum priore correpta in Poenulo III, 3,86. sed *Coo* Statii silvarum I, 2,252 est a recto Κόως, eodemque modo scriptum in Ciceronis ad Atticum epistularum libro IX, 9,2: neque

Digitized by Google

Claudianus et recentiores Itali, cum *Academiam* vocali brevi proferunt, tam morem Latinum secuntur quam accentum Graecum. porro in Lucretii carmine nihil est quod in hoc genere reprehendi possit, praeter eum unum versum cui haec adscribo; quem nemo negabit facillimo negotio ad regulam revocari posse scribendo *Nam cum multo sunt* ELEMENTA MINORA ANIMAI. in Vergilii Aeneïdos VI, 505 Mediceus *Rhoeteo in litore inanem*, sine praepositione Romanus et Vaticanae schedae, ut apud Silium in VIII, 621. in X, 179 omnes, quantum scio, *Hos parere iubent Alpheae* sive *Alphea ab origine Pisae*, nimis incondite: satis est *Alpheae origine*, ut Aen. I, 286 *pulchra Troianus origine Caesar*. in Lucani libro I, 197 *Phrygiique penates Gentis Iuleae, et rapti secreta Quirini:* nihilo deterius erit *rapti et*. in Statii Achilleïdos I, 84 *Quem tu illic natum Sigeo in pulvere:* potest scribi *in Sigeo*. haec paucissima adhuc inveni, quae regulae supra expositae adversarentur. est tamen unum vocabulum *fio*, quod tempore quodam a ceterorum lege solutum fuisse non tam ratione quam exemplorum numero victus concedam. in Amphitruone Plauti III, 1, 6, *Amphitruo fio et vestitum inmuto meum*, scio libris olim impressis abesse copulam, quae quos auctores habeat Ritschelius dicere poterit. in Truculento IV, 2, 51 *fio inpudens;* quamquam toti versiculo nec sensus constat nec numeri. sed Lucilius quoque idem vocabulum ante vocalem posuit hoc versu, qui legitur apud Nonium p. 38, 9, *Quicum versipellis fio et quicum conmuto omnia*, itemque Horatius epistularum I, 1, 16 *Nunc agilis fio et mersor civilibus undis*. praeterea memorabile est Senecam in ea trimetri ïambici parte, ex qua parte tragicus fit, consulto hac elisione usum esse, *sorte Phoebea excitus, turis eoi extrue, spolia Phrixei arietis, Strophius Elea inclitus, tabe Nessea illitum*, Oed. 287 305 Med. 471 Agam. 918 Herc. 716. neque negabo eodem fere tempore Phaedrum scripsisse in versu ïambico *natus in Cia insula*, IV, 21, 8. grammatici vero regulam ignorantes quot in hoc genere vitia veterum poëtarum libris intulerint enumerare nihil opus est. Bentleius in Andria Terentii peccavit scribendo II, 6, 8 *Propter hospitai huiusce consuetudinem;* qui versus servato vulgari vocabulorum ordine ita dicendus est, *Proptér huiusce hospitai consuetudinem*, ut in Eunucho V, 5, 10 *Quidquíd huius factumst* et in Heaut. III, 2, 40 *Siquíd huius si-*

Digitized by Google

mile. ita *eius* priore correpta in Poenulo IV, 2, 60, in Eunucho I, 2, 51, in Phormione I, 2, 63 4, 8, Turpilius apud Nonium p. 182, 6. non rectius idem Bentleius in Phormione IV, 2, 7 *Ubi Phaedriai ostenderet:* promptum est scribere *Ubi Phaedriae esse ostenderet nihilo minus Amicum sese quam Antiphoni*, cum libri habeant *Phaedriae se* et *Amicum esse*. idem minus vituperandus est, quod in Adelphis V, 1, 5 maluit hiatum tolerare, ita, *Exemplum disciplinae. écce autem hic adest:* sed arti huius poëtae magis convenit *illud, sis, vide Exemplum disciplinae eccum*. maiorem hiatus excusationem habet in hoc, quod est in Plauti Bacchidibus II, 3, 73, *Qui illic sacerdos est Dianae Ephesiae*, scilicet ne diphthongus in vocali brevi delitesceret. sed ferendum non est in Persa III, 3, 5 *Pecuniae accipiter, avide atque invide*, neque in Milite IV, 5, 12 *Saltem id volupest cum ex virtute formae evenit tibi;* quae ita refingenda esse duco, *Pecuniae avide accipiter atque livide*, et *ex formai virtute*. neque in Aulularia II, 4, 16 *filiae in nuptiis* scribendum est *filiai in*, sed *filiai nuptiis*, ut in eadem fabula III, 6, 4 et IV, 10, 67, ubi libri habent *filiae nuptiis*. item in Amphitruone III, 1, 12, ubi est *Si id Alcumenae innocenti expetat*, verum videtur *Alcumenas innocentiae*, *Alcumenai* scribi non debet. neque *vitai hic*, quod Bentleius voluit, in Manilii II, 831 locum habet, neque *vitae hic* cum hiatu, sed scribendum existimo *Hic tenet arbitrium vitale, hic regula morum est*. olim peccavi, cum in Propertii libro V, 3, 48 scripsi *Arctoo in glaciem;* sed peius qui nimis inproprie *Aprico frigore:* a Propertii manu esse puto quod Schneidewinum ante me protulisse nunc intellego, *cum pater altas Tetricus in glaciem frigore nectit aquas*. libri *Africus*. peccavit Perlcampus, quod in Horatii carminum II, 20 putavit scribi posse *Iam Daedaleo audacior Icaro*. ibi *ocior* et *notior* numeri pariter admittunt, sententia unice postulat Bentleianum *tutior*. Ritschelio Bacchiacum vitiosum invito obrepsisse puto, *Amorin me an rei opsequi potius par sit*, in Trinummo Plauti 230. sed ad alterum genus transeundum est, in quo paenultima vocabuli littera est vocalis longa, ultima autem brevis. huius modi vocabula non habet lingua Latina, si excipias *die*, *dia*, extrito, ut puto, digamma. itaque Graecis comici vix, nisi quod *Medea* est in Pseudulo III, 2, 80, ceteri satis multis usi sunt sine elisione, ut *Galatea*, *Cytherea*, *Pelopea*, *cycnea*, *cichorea*, *Ilionea*, *Chia*, *Lampia*,

Digitized by Google

Hippodamia, *Coa*, *eoa*, *heroa*, *Lycie*, *Sperchie*, *Olmie*, *Coë*, *Latoë*, *Cadmeï*, *Perseï*, *Minoï*. nihil tamen causae fuit cur in Graecis Graeca elisione abstinerent; cuius pauca repperi sed certae fidei exempla. Ennius *Medea animo aegra, amore saevo saucia*. Accius *Tum, dic, Medea es, cuius aditum expectans pervixi usque adhuc?* tragicus apud Senecam epistula 80 *Quod nisi quieris, Menelaë, hac dextra occides*. Lucilius apud Probum ad Vergilii eclogas p. 18, 19 *Duo habet stoechia. adfuerit anima et corpore*. Vergilius Aeneïdos II, 193 *Pelopea ad moenia*, et in eodem 312 *Sigea igni freta lata relucent*. Seneca in Medea 496 *Medea amores obicit*. Lucanus in III, 295 *eoa ad litora*. Columella *glaucea et* in X, 104. in Ciri 131 *Minoa inhiasset* (sic scribendum) et 366 *Minoa auctoribus*. Statius ante vocales *heroa Phoebea Cadmea Bacchea* silv. I, 3, 102 III, 4, 80 Theb. X, 254 XII, 635 791, Silius *Pelopea* XIV, 72, *Galatea* XIV, 226, *Erythia* XVI, 195. ab hoc diversum est tertium genus, quod habet diphthongon cum longa vocali aut diphthongo. in hoc elisionem non admittunt Lucretius, Horatius, Tibullus, Propertius, Gratius, Manilius, Germanicus, Valerius Flaccus, Martialis, Iuvenalis: nam *plebeia in veste* in II Lucretii 36 Itali sine causa scripserunt. maluit Naevius in hoc genere hiare, *Quam numquam vobis Graiei atque barbari;* item Vergilius *in Actaeo Aracyntho*, et Ovidius *Pisaeae Arethusae;* Plautus quoque in Casina II, 2, 27 *Clám virum et quáe habet partum, éii haut cómmodist*, item in Amphitruone I, 1, 188 *'Aine vero? aió enimvero*. sed idem in uno eodemque versu et liquefacta vocali et remanente, *'Aio. atque eam manu émisisse? aió. et postquam eius hínc pater*, in Mostellaria IV, 2, 59; nec raro *ej*, quod est *eii*, vocali elisa ante vocalem, ut in Bacch. IV, 9, 99, in Curculione I, 1, 43 et V, 2, 5, in Casinae prologo 66, in Mostell. I, 3, 129 et IV, 2, 32, in Pseudulo II, 4, 29, in Rudentis prologo 25 68, eodemque modo positum *aio* in Amphitr. I, 1, 127 167, in Casinae prologo 71, in Mostell. IV, 2, 63, in Men. I, 2, 52, in Mil. II, 6, 67, in Poen. V, 2, 3, in Persa II, 2, 3, in Trin. IV, 2, 145. his simillima sunt *quoiae erant* in Rudente III, 4, 40, *Graj esse* in Men. V, 1, 15, *plebej et pauperes* in Poen. III, 1, 12, *Et quidem Alcmaeo atque Orestes* in Capt. III, 4, 30. sic Terentius in Eunucho II, 2, 59 *Mirór qui* (libri *quid*) *ex Piraeo ábierit*, in Hecyra V, 2, 32 *ej unaque*, in Heaut. IV, 5, 29 *ej ad nuptias*. item tragici hac elisione usi sunt, *Quem ádspectabant, cuius*

Digitized by Google

ob os Graj ora obvertebant sua . O ingratifici Argivi , inmunes Graj inmemores benefici . Namque hic advenio , ut mea ope opes Troiae integrem . Nilne a Troia adportat fando? Ego pervicaciam aio , ea me uti volo . Lucilius apud Nonium p. 81, 31 *Cuia opera* . Catullus bis uno versu , *Sed Troia obscena , Troia infelice sepultum ;* Maro , quantum scio , noviens , *Lethaei ad , Idaeo Alcanore , Coeo Enceladoque , Troia antiqua , Troia ex ardente , Troiae et* bis , *Troiae excidium , Harpyiae et magnis ;* Ovidius semel , si verum est , metam. IX, 183 *Antaeo eripui* (nam in fastorum IV, 264 potest scribi *Idaeost*) ; Persius II, 19 *vis Staio? an scilicet haeres?* Seneca in Hippolyto 147 *Lethaeo abditum ;* Lucanus *Pompej ignava , Pompej et* , VI, 589 VII, 196 ; Statius *Nemeaei ad , Cirrhaei in , Ephyraeo in , Nemeaeo in* , Theb. I, 575 641 VI, 253 X, 499 ; Silius III, 565 *Troiae extremos* , V, 164 *Tarpeio imponere* , VIII, 414 *Therapnaeo a* , XIV, 26 *Hyblaeo accedere* . postremo in quarto genere , ubi vocalis brevis est post diphthongum , etsi non nimia esse videtur elisionis insuavitas , nihilo minus pauciora hic quam in proximo genere notavi exempla . nulla omnino extant apud Terentium , Lucretium , Horatium , Tibullum , Gratium , Manilium , Germanicum , Senecam , Martialem . unum Latinum vocabulum elisit Plautus , *quoia esset* et *quoia ea sit* in Mercat. I, 2, 87 et IV, 3, 21 , item *quoia ad auris* in Rudente II, 3, 2 ; unum Latinum Statius Theb. II, 609 et Iuvenalis VI, 516 , *Plebeia ;* Silius *Tarpeia* VI, 103 VII, 56 X, 337 XIII, 843 , idem *Graia* XII, 41 XIV, 338 : *Graia* Lucanus quoque V, 419 et Sulpicia in satira 29. Graeca aut a Graecis deducta sunt apud Plautum *Hymenaee io* in Casina IV, 3, 3 et 10 , *O Troia o patria* in Bacch. IV. 9, 9 , Lucilii quod habet Nonius p. 360, 28 *aulaea obducite* , apud Catullum item *Hymenaee io* et *Hymenaee Hymen* , apud Vergilium *Pangaea et* , *Troia* quater . item Propertii est V, 7, 91 *Lethaea ad stagna* , Ovidii metam. XIV, 248 XV, 718 *Circaea ad* , *Circaea et* , Valerii Flacci VII, 191 *Aeaea in moenia* . ita Statius *Dircaea , Nemeaea , Lethaea* bis , *Phlegraea , Euboea , Troia* , Silius XIV, 180 *Ephyraea* . restat *heia* interiectio , quam utrum tertiae an quartae classi adscribam valde ambigo . eam Valerium Flaccum corripuisse didici , qui dixerit in VIII, 110 *eia per ipsum* . Ausonius cum in ephemeride scripsit *Puer eia surge et calceos* , quid voluerit incertum est , quoniam in eodem carmine hunc versiculum posuit , *Rei divinae copia est* .

Digitized by Google

neque Ennius in quonam metri genere *Eia machaeras* dixerit ex Servio ad Aen. IX, 38 satis apparet. Probus p. 1421 *item heia constat spondio*. idem p. 1430 *heia constat trochaeo — : potest tamen in necessitate pro longa poni*. apud Plautum Ritschelius in parergon tomo I p. 454 *eia* trochaei mensuram aequare scribit; cuius rei ego certum exemplum non repperi: vocalem et elisam et sine elisione productam video in hoc versu, qui est in Persa II, 2, 30, *Héia. heiá. tuo éx ingenio móres alienós probas*. ceterum frequentat elisionem idem poëta, ut in Amph. III, 2, 20, in Bacch. I, 1, 43, in Casina III, 6, 4, in Poen. III, 1, 69, in Trucul. I, 2, 90 et II, 6, 40: neque abstinuit ea Terentius in Eun. V, 8, 35, in Adelphis V, 4, 14, in Heaut. V, 5, 19. hos tamen ex ceteris poëtis pauci secuti sunt, nisi quod Vergilius in Aen. IX, 38 vocalem ante interpunctionem elisit et in IV Aen. 569 scripsit *Heia age, rumpe moras*, quod repetierunt Statius Achill. II, 198 et Martialis in II, 64: alii maluerunt dicere *En age*, itaque ipse Vergilius georgicon III, 42. sed et hic in Copa 31 et Columella X, 68 et Statius iterum *Eia age* silv. I, 2, 266, idemque Statius praeterea vocali elisa quater, Theb. X, 210 597 XII, 406 Ach. I, 508, Phaedrus semel in V, 7, 3 *Heia inquit*, Silius semel hoc versu, *Hoc Cannae stravere tibi: eia incute muris*, XII, 514.

375. QUAM QUIBUS E CORPUS. Ita uterque codex: sed in utroque correctores fecerunt *et corpus*, itaque Itali et olim impressi et Marullus. recte restituit praepositionem Lambinus.

378. QUANTULA PRIMA —— CORPORA —— EXORDIA PRIMA ANIMA. Apertum est hic quoque bis scribendum esse PRIVA, ut versu 372. neque hoc Bentleium latuit. mox 389 uterque liber recte *priva pedum vestigia*. versum proximum 381 Nonius habet p. 73, 7.

383. NEQUE ARANI TENULLA FILA. Itali et impressi TENVIA. in Mediceis Vergilii membranis aliquotiens scriptum est *tenuuia*, item *Tennuis* georg. II, 180. Marullus ARANEI. hoc quod *arani* scriptum legimus, nisi forte veteres *aranium* et *araniam* dixerunt, indicio est olim saepius in hoc carmine genetivos per *ei* scriptos fuisse, quod librarii ne ubi necessarium quidem sit tulerint. *unguentei* e vestigiis agnovimus paulo ante, 222. ceterum hic poëta vocalium contractionem ea ratione evitare non potuit, qua Serenus Samonicus 966

Digitized by Google

(993) scripsit *Ex oleo necti vestis debebit Arachnes:* nam huius modi delicias Alexandrinorum in poësin Latinam primi invexerunt illi quos Cicero dicit *cantores Euphorionis* (ΝΕΩΤΈΡΟΥϹ appellat idem ad Atticum epistularum VII, 2, ubi significat eos versuum mollium et doctorum studiosos: *Flavit ab Epiro,* inquit, *lenissimus Onchesmites. hunc* ϹΠΟΝΔΕΙΆΖΟΝΤΑ *si cui voles* ΤΩΝ ΝΕΩΤΈΡΩΝ *pro tuo vendita*), Cinna et Gallus, nisi fallor, et multo magis postea scholica Vergilii et ceterorum veterum poëtarum recordatio. a Statio alcedo dicitur *Alcyone* in Thebaidos IX, 361: Vergilianae castitati non satis convenit quod est in georgicon III, 338 *Litoraque Alcyonen resonant,* sed potius *alcyonem*, ut in georgicon I, 399 *Dilectae Thetidi alcyones*. de Silii versu XIV, 275 non disputabo, in quo scriptum est *Cum sonat Halcyones cantu:* in Valerii Flacci IV, 45 ante Heinsium *alcyonis miserae fetumque laremque*. mire Seneca in Agamemnone 680 *licet alcyones Ceyca suum — sonent*. sed leniora sunt quae pluribus verbis historiam adumbrant, ut in IV georgicon 15 *meropesque aliaeque volucres, Et manibus Procne pectus signata cruentis:* durius, quod Marklandus volebat, *maculis cruentis* sine indicio facti. at Ovidius audacissime in IV ex Ponto 10, 55 *Quique duas terras, Asiam Cadmique sororem, Separat et cursus inter utramque facit*. hoc ne Statius quidem superat, cum describit Herculem *Confectum thiasis et multo fratre madentem*, silvarum III, 1, 41. praeter Serenum autem Donatus ad Eunuchum IV, 3, 21 ex his Lucretii versibus hausit *araneae vietam vestem*.

385. SUPERA CAPUD. *Capud* oblongus III, 138, quadratus II, 1164 III, 147 654 V, 85.

386. PAPPOSQUE VOLANTIS. Hunc versum Paulus rettulit in librum ex Festo XIV p. 119 editionis Lindemanni. sed eundem Lindemannum huc referre miror quae habet Probus p. 1450. subieci ea, ut a doctioribus excuti possent: sunt autem huius modi. *Po syllaba terminata producuntur; vappo vapponis. animal est volans, quod vulgo animas vocant. lectum est apud Lucretium hos vappones*. mihi quam recte grammaticus *vappones* Lucretio adscripserit non liquet, Franciscus Dousa inter Luciliana ex libris incertis posuit numero 161: *animas* autem, quas O. Iahnius ΨΥΧΆϹ sive ΦΑΛΑΊΝΑϹ esse suspicatur (*archäologische beiträge* p. 137), aliter scribi video in

Digitized by Google

glossariis Maii, tomo sexto auctorum classicorum p. 506 et tomo VII p. 551, ubi est *ama* sive *amma*, *avis nocturna*.

391. USQUE ADEO PRIUS EST IN NOBIS MULTA CIENDO, QUAM PRIMORDIA SENTISCANT CONCUSSA ANIMA, SEMINA CORPORIBUS NOSTRIS INMIXTA PER ARTUS. Verum ordinem versuum Marullus restituit: CIENDUM recte dedit Avantius. sed in proximis, quae libri ita scripta habent,

394. ET QUANTIS INTERVALLIS TUDITANTIA POSSINT CONCURSARE, horum uterque edidit *Et quam intervallis tantis*, nec male Wakefieldus *Et tantis intervallis*. sed fortasse verius fuerit *Et* QUAM IN HIS *intervallis*. ita in II, 106 *dissiliunt longe longeque recursant In magnis intervallis*. Forbigerum enim, qui probat *Et quantis*, seorsum ab humana ratione sentire sinimus. quod autem poëta semina animae *tuditantia* collidi ac dissilire dicit, vocabulo Enniano utitur, quo festinationem, nisi fallor, et crebritatem plagarum significat. de hoc quae Festus habet p. 352 satis recte a Martino Hertzio in libro quem de Cinciis scripsit p. 50 constituta sunt in hunc modum. *Tuditantes tundentes [negotium, id est ag]entes, significare ait Cincius [de verbis priscis. En]nius l.* II *Haec inter se totum . . . . . tuditantes. et Lucretius item libro* II (1142) *Nec [tuditantia] rem cessant extrinsecus ullam*.

396. ET MAGIS EST ANIMUS. Hic versus et qui eum secuntur viginti ex prioribus non satis apti sunt: sed iidem si versui 349 continuo subicientur, omnia commodissime procedent. qua propter ita sentio, poëtam ea quae his interiecta sunt, quibus aliorum philosophorum sententias refutat, scripsisse quidem, sed neque eodem tempore, neque eo consilio ut hoc loco reponerentur. huius modi aliquid evenisse vidimus in libro II, 165 et 522, item 1013, multoque plura ex eodem genere in quarto et quinto notabimus, item aliqua in sexto.

399. EXIGIAM PARTEM. Corrector oblongi EXIGUAM.

400. FACILE EDISCEDIT. Quadratus *ediscederit*: Marullus ET *discedit*. Wakefieldus inepte ludens *facul et;* quem lusum ferre possem, si occasione oblata versum Afranii correxisset, qui extat apud Nonium p. 111, 22. ei adiciendum est *una* post *femina*, hoc modo, *Haut fácul, ut ait Pacuvius*,

Digitized by Google

femina una invenietur bona . in Accii versu , quem Nonius illi adiungit , verba traicienda sunt, *'Erat istuc virile , advorsam ferre fortunam facul.*

403. QUAMVIS EST CRETUM CAESIS LACER UNDIQUE MEMBRIS. Quadratus *cecis:* eius corrector *Quamvis excretus*. corrector oblongi miro consilio fecit *lacerandique* . Itali et Marullus CIRCUMCAESIS . in libro IV, 203 , ubi exemplaria habent *caelum*, scribi debet *circum*.

404. ADEMPTA ANIMA CIRCUM MEMBRISQUE REMOT . Ita quadratus : in oblongo *remotus* , olim impressi et Marullus cum Italis *remotis* . unus verum vidit corrector quadrati , qui fecit REMOTA .

405. ET AETHERIAS VITALIS SUSCIPIT AURAS . Neque *aetheris* Lucretiani ullae sunt *aurae* , neque qui *auras Vitalis carpit*, ut dicit Vergilius Aen. I, 387, is aliud quam *tenuem aëra carpit* , quae sunt eiusdem verba in georgicon IV, 311 . itaque et hic *aërias auras* dixit Aen. V, 520 et Lucretius aliquotiens , e quo Isidorus rettulit in originum XIII, 11, 17. quo fit ut hic quoque scribendum putem AERIAS *vitalis auras* , quae ipsa verba leguntur in libro VI, 1227 , nisi quod ibi *aëris* est . in V, 501 quadratus *aetherias auras:* eodemque modo bis in Aeneïde erratum esse mihi certissimum videtur, neque credere possum poëtam cultissimum tam improprie locutum esse quam nobis librarii persuadere voluerunt, cum in I, 547 scripserunt *si vescitur aura Aetheria*, in VI, 761 *primus ad auras Aetherias Italo conmixtus sanguine surget* . itaque his locis *aëriae aurae* conveniunt, ut apud Ovidium metam. XIV, 127 *aërias evectus ad auras* , scilicet ex inferis , et in X, 178 discus *aërias libratus in auras* . in georgicon II, 291 et Aen. IV, 445 aptius esse iudico *quantum vertice ad oras Aetherias , tantum radice in Tartara tendit;* item in VII, 557 *Te super aetherias errare licentius oras*, in caelum evectam , non *auras* , quod habent libri . in Ovidii metamorph. IV, 700 codex antiquus Berneggeri *et alis Aërias ausus iactatis ire per auras :* neque aliter scribendum est in II artis amatoriae 59 ; at metam. V, 511 *curribus oras Exit in aetherias : ibi — Ante Iovem stetit*. Statio licuit inproprie loqui : Iuppiter est qui de Oedipo dicit *Proiecitque diem nec iam amplius aethere nostro Vescitur*, Theb. I, 237 . sed apud Manilium in I, 149 cum Bentleio neces-

Digitized by Google

sario scribendum est *Ignis in aetherias volucer se sustulit oras*, a quibus in proximis *tenues auras Aëraque* distinguit.

412. ID QUOQUE ENIM SINE PERNICIE NON FIET EORUM. *Eorum* quo referendum sit vix apparet. concedamus tamen eo et omnem orbem sive circuitum pupulae et pupulam ipsam indicari. nihilo minus haec sibi repugnant: nam qui cernendi potestatem stare dicit, dum modo ne totus orbis corrumpatur, ita quidem si pupula relinquatur sola, idem hoc sine pernicie visus fieri negat. itaque poëta, si illud dixit, hoc adicere non potuit. sed adiecit, nisi fallor, aliquis, qui poëtam reprehendere vellet, quod is exemplo non satis apto usus esset: id ipsum enim quod ille posuerit nullo modo fieri posse. ergo hic versus eodem consilio in Lucretii carmen illatus est, quo vidimus in libro primo post versum 43 sex versus additos esse, scilicet ut poëtam peccasse appareret. hoc cum paene intellexisset Lambinus, qui multos versus optimos delevit, hunc inepte temptare maluit scribendo *Id quoque enim sine pernicie confiet eorum*.

415. INCOLUMIS QUAMVIS ALIOQUI SPLENDIDUS ORBIS. Hic versus ex eadem fabrica venit, et constructione laborans et vocabulo non satis antiquo insignis, quo ante Livium neminem usum esse recte observavit Handius in Tursellini tomo I p. 236. poterat addere poëtas eo prorsus abstinuisse, nec debebat Lucretio adscribere: certe praeter duos Horatii in sermonibus versus nunc alios nullos commemini, in quibus *alioqui* scriptum legerim. ceterum *atqui* ante vocales posuerunt Plautus ac Terentius, non Horatius in sermonum I, 10, 31, *atquin et* Statius Theb. VI, 161, *quod sin ea* Valerius Flaccus in V, 668.

417. ANIMANTIBUS ET MORTALIBUS. Olim impressi et ante eos Itali *et* MORTALES.

420. DIGNA TUA PERGAM DISPONERE CARMINA VITA. Haec intellegi non possunt: nullo enim iudicio Faber *tua vita* interpretatur *te*, Wakefieldus *moribus tuis ac virtutibus*. nimis eleganter Creechius temptat *tuo vate*. vix dubitandum est quin tam antiquus poëta hic allitteratione usus sit: nec rara est in huius poëmatis exemplaribus litterae unius praetermissio. dico igitur scribendum esse *Digna tua disponere carmina* CURA. Vergilius *illi mea carmina curae*.

421. TU FAC UTRUMQUE UNO SUBIUNGAS NOME EO-

Digitized by Google

RUM. Tota fere huius versus littera fuit N, quae excidit, quota in superiore C: recte enim Itali et olim impressi NOMEN. imperite corrector quadrati et Wakefieldus *nomine*. neque Lambinus dubitare debuit quin UNI *subiungas* legendum sit, quomodo dandi casu scriptum est in libro IV, 447. *ullae* libro I, 687 intulit editorum temeritas: exemplaria vetera *ulli*, neque usquam aliter; quamquam *aliae* est in III, 918, sed genetivo casu, *ali* dativo.

428. NAM LONGE MOBILITATE PRESTATA ET A TENUI CAUSA MAGIS ICTA MOVETUR. Recte Itali et impressi *Prestat* sive PRAESTAT. sed argumentum non recte concluditur hoc modo, 'Anima quoniam, ut pote mobilior, minoribus elementis constat quam aqua et nebula et fumus, debet etiam illis facilius dissolvi.' immo dicendum fuit sic, 'Anima quoniam ex minoribus facta est, facilius movetur ideoque facilius dissolvitur.' accedit quod Lucretius parenthesi non utitur, nisi ita ut ad illud ipsum unde orationem devertit redeat; hoc modo, *Principio quoniam mittunt Corpora res multae, — : nam saepe videmus — : Quae quoniam fiunt*, in libro IV, 54. at hic post interiectam sententiam ad novam rem progreditur, *Principio quoniam tenuem constare minutis Corporibus docui, — : nam longe mobilitate Praestat — : Nunc igitur quoniam — discedere cernis*. itaque ut una opera duo vitia eluamus, diiungenda oratio est et apodosis facienda ita, *Principio quoniam tenuem constare minutis Corporibus docui, —* IAM *longe mobilitate Praestat*.

430. QUIPPE UBI IMAGINIBUS FUMI NEBULAEQUE MOVENTUR. 433. NAM PROCUL HAEC DUBIO NOBIS SIMULACRA GERUNTUR. In priori versu recte Marullus *movetur*: nam *moventur* absurdum est. in altero Lambinus et Bentleius *Nam procul hinc dubio*, scilicet ex his rebus tenuissimis, *nobis simulacra geruntur*; quod Lucretius, si eum recte novi, potius hoc modo dixisset, *Nam dubio procul haec ita per simulacra geruntur*. sed mihi satis constat utrumque versum, cum neuter argumento quicquam addat ponderis, ab illo studioso lectore adiectum esse, cuius iam fraudes aliquot deprehendimus, ut paulo ante versu 412 et 415. is cum sciret in hac re εἰδώλοις illis Epicuri locum esse, poëticis suae eruditionis floribus carmina per se satis illustria exornare studuit, cum poëtae moderationem parum animad-

Digitized by Google

vertisset, qui ante librum quartum, quo de simulacris disputavit, horum ne nomine quidem uti voluerit. nam quamvis Lucilius, doctus homo, quasi de re nota dixisset *Eidola atque atomus vincere Epicuri volam* (apud Nonium p. 478), tamen hoc idem physica docentem non decebat. ceterum ex eodem Lucilii libro XXVIII Nonius alia quaedam ad philosophos pertinentia rettulit. p. 237, 6 *Socratem Quidam tyranno misse Aristippum autumant*. de Xenocrate p. 410, 7 *Adde eodem, tristis ac severus philosophus*. de eodem p. 414 *Polemona amavit, morte huic transmisit suam Scholen quam dicunt*. adde Nonium p. 280, 10 318, 18 289, 26, Probum ad ecl. p. 18, 16.

431. QUOD GENUS IN SOMNIS, SOPITI UBI CERNIMUS ALTA EXALARE VAPORE ALTARIA FERREQUE FUMUM. Ad librum II, 194 docui Latine non dici *Quod genus ubi*, sed *Quod genus est ubi*. praeterea Lucretius alibi dixit *sopitum quiete, leto, castoreo*. ergo hic scribendum est *Quod genus* EST, *somnis sopiti ubi cernimus*. sed porro *alta altaria* nimiae simplicitatis speciem praebent, neque intellego quomodo *altaria ferant fumum*. itaque, ut dematur quod superest, et quod deest reprehendatur, faciemus ALTE ubi est *alta, alte exhalare ferreque*. postremo in libro V, 253 est *Pulveris exhalat nebulam*, item 463 *Exalare lacus nebulam*, alibi similia: quis ergo non credat poëtam hic scripsisse *Exalare* VAPOREM *altaria?* praesertim cum eodem modo omnes locutos esse constet, nisi quod ex Statii Thebaidos X, 108 notatur *exhalant vestes* absolute positum. neque in Ovidii metamorph. XV, 528 mihi satis proprium videtur *fessamque videres Exhalare animam*, quod Hauptius in observationibus criticis p. 23 fortasse defendi posse dicit: ibi ex antiquissimis codicibus Heinsii Neapolitanus habet *Exhalare*, *Exhalari* Urbinas et Berneggeranus. ceterum *h* litteram in consensu codicum non infero. *exalare* oblongus solus II, 417 V, 253 VI, 811, quadratus *alantis* VI, 221 et *exaltantur* IV, 864.

437. CREDEO ANIMAM. Itali et impressi CREDE.

438. OPIUS, ET CITIUS DISSOLVI CORPORA PRIMA. OCIUS corrector quadrati et impressi. tum *ac* impressi, male. porro corrector quadrati *dissolvi* IN *corpora prima*, perite: ceterorum nullus vidit, sed Wakefieldus eum recte secutus est.

441. CUM COHIBERE NEQUIT. Bene Marullus QUAM.

Digitized by Google

443. COHIBERIER ULLO. Ita oblongus, sed *eri* in litura. quadratus *cohibere erullo*. idem male *qui credis*.

444. CORPORE QUI NOSTRO RARUS MAGIS INCOHIBESCIT? Wakefieldus *incohibessit : incohibere* enim dicit esse in se cohibere. at illae duae praepositiones verbis praemitti non possunt, nisi cum altera substantivi pars est: idque factum est in duobus simillimis inter se vocabulis, quae sunt *incomitiare* et *inconciliare*. ea significant, nisi fallor, in publicum proicere. Lambinus et Gifanius *am cohibessit;* quod cum grammaticos veteres pro *eam* dictum testari referunt, id narrant quod ego numquam didici: *sam* ita veteres dixisse non ignoro. sed facillimum fuit id invenire quo oratio aptissime iungitur: id est autem *Corpore qui nostro rarus magis* IS COHIBESSIT? *is*, scilicet aër, cum rarior sit quam corpus. Madvicum enim non intellego, cum in opusculis alteris p. 66 *cohibendi* verbum neque ad sententiam ferri posse neque tempus aptum esse dicit.

449. RUBUSTIS. Corrector oblongi ROBUSTIS.

450. AUCTOR EST. Corrector quadrati et Itali AUCTIOR.

453. CLAUDICAT INGENIUM, DELIRAT LINGUA MENS. Itali, item olim impressi et Marullus, *linguaque mensque*. corrector quadrati *delirat lingua*, *madet mens;* quod e versu 479 petitum est, idque, ut alii observarunt, ebrio magis convenit quam seni. aptissime scribemus LABAT *mens*.

456. IN ALTASACRIS AURAS. Quadratus *in altasacris alta*. impressi *in altas* AERIS *auras*.

458. CRESCERE ET DOCUI SIMUL AEVO FESSA FAETIS. *Et* UT *docui* corrector quadrati, item Brixiensis et Itali. idem corrector et Marullus *fatiscit:* sed recte Itali et olim impressi FATISCI, ut in v, 308.

462. PARTICIDEM. Corrector oblongi PARTICIPEM.

470. FATERE NECESSEST. Itali et Brixiensis editio FATEARE. versu proximo Nonius utitur p. 199, 4.

472. NAM POLOR AC MORBUS. Itali et impressi DOLOR.

474. 475. ET QUONIAM MENTEM SANARI CORPUS UT AEGRUM ET PARITER MENTEM SANARI CORPUS INANI. Haec Marullus interpolavit ad exemplum versus 511, Naugerius recte delevit.

476. DENIQUE COR HOMINEM. Corrector quadrati et

Digitized by Google

Marullus *cur*, verissime: sed ab eo non differt *cor*, hoc est *quor*, quem admodum *com* pro *quom* scribi vidimus libro I, 1077. *cor* in Martialis libro XI, 46, 8 e codice Leidensi Schneidewinus protulit. Wakefieldi perversitatem, cum probat *cor hominum*, et Forbigeri mendacium, quo Havercampum *cur hominis* dedisse dicit, praeteribimus.

479. CRURA VACILIA ANTI. Corrector oblongi VACILLANTI.

482. CURBA SUNT. Sic uterque Vossianus sine ulla correctione, nequis Havercampo credat in utroque esse *Curbascunt*. impressi recte, ut Itali, *Cur* EA *sunt*.

492. NI MIRUM QUA VIS MORBI DISTRACTA PER ARTUS TURBAT, AGENS ANIMAM SPUMANS IN AEQUORE SALSO VENTORUM VALIDIS FERVESCUNT VIRIBUS UNDAE. His et proximis versibus poëta eorum quae modo dixerat causas explicat. ergo ante omnia scribendum est QUIA *vis morbi Turbat*, quod habent Antonius Marii et libri olim impressi. quae autem praecesserant, erant haec, *Concidit et spumas agit, ingemit et tremit artus, Desipit*. horum pars cum in proximis ita repetatur, *Exprimitur porro gemitus, quia* — et *Desipientia fit, quia* —, apertum est hic dicendum fuisse *agens animam* SPUMAT, non *spumans*: nam prorsus inepte a Marullo inducti omnes coniungunt haec, *vis morbi Turbat agens animam* (*animum* Creechius primus, et quidem tacite), quasi morbus posset animam agere. porro corrector quadrati non inepte, et ut ostenderet se unum omnium partem sententiae recte percepisse, *velut aequore salso*. sed potius est ut utamur litteris quae post SPUMAT servatae sunt, VSIN: itaque scribendum est QUASI IN *aequore salso Ventorum validis fervescunt viribus undae*.

496. ET OMNINO QUOD SEMINA VOCIS ELICIUNTUR. Nihil est extra corpus aegroti quod semina vocis *eliciat*, sed ipsa vi morbi EICIUNTUR. ita Lambino teste doctissimi viri legendum praeceperunt, quibus ipse rectissime obtemperavit. vide quae dixi ad versum 58 et ad librum IV, 944.

522. UTI DEOCUI. Corrector quadrati, item Itali et Marullus, *uti* DOCUI.

523. FALSAE RATIONIS. 525. REFUTATUR. Marullus RATIONI et REFUTATU. mox versu 527 quadratus *disperdere*.

Digitized by Google

531. SCINDITUR ATQUE ANIMO HAEC QUONIAM NATURA. Fallitur Handius, cum hoc uno versu satis probari dicit licuisse poëtis *atque* coniunctionem traicere, in Turselini tomo I p. 512. nam neque coniunctio ipsa neque *animo* quicquam confert ad sententiam, quae nulla est nisi scribimus *Scinditur* USQUE ADEO *haec quoniam natura*. de *atque* traiecto curiosius quam Handius egit Hauptius in observationibus p. 45 46 47 48 52.

535. SENSUM DIDUCERE MEMBRIS. Recte Veronensis editio et Marullus DEDUCERE.

538. NI MIRUM UT DIXIMUS. In impressis additum ANTE. ita iam Antonius Marii filius.

544. PEREAT DISPERSE PER AURAS. Corrector quadrati et Itali DISPERSA.

545. OBRUTESCAT. Apud Nonium p. 77, 32 *obrutiscat*. alterum B primus addidit Marullus. hinc Lactantius inst. VII, 24 *Non enim* anima *corpore deficiente sed corpus anima decedente* brutescit.

548. LOCOQUE FIXA MANET. Turpi neglegentia omnes *locoque*, cum apertum sit ita scribendum esse, *Et quoniam mens* est *hominis pars una*, *loco* QUAE *Fixa manet certo*, *velut aures atque oculi* sunt. in IV, 231 membranae *eademq.*; quod Avantius correxit.

551. MANUS ATQUE OCULUS NARESVE SEORSUM. Immo AUT *oculus*. sic infra 616 *in capite* aut *pedibus manibusve*.

553. SED TAMEN IN PARVO LINGUNTUR TEMPORE TALI. In his qui *Sed tamen* ferre nolunt imperiti sunt: nam *tamen in parvo tempore* est fere *in tempore quamvis parvo*. sed in fine Isaacus Vossius rectissime *tabi*, quod sententia sibi postulat. ita mox 581 *quin in taetro tabescat odore*, et supra 343 *Sed penitus pereunt convulsi conque putrescunt*. de verbo tamen anceps iudicium est. Vossius voluit *liquuntur*, quem admodum Ovidius dixit de Aglauro invida *lentaque miserrima tabe Liquitur*, idemque de Hercule *caecaque medullis Tabe liquefactis*. ita vero id quod libri scripti exhibent valde inmutandum est: debet enim scribi *in parvo licuntur* sive *liquontur tempore tabe*, cum codices habeant *linguntur* et *tali*. nam *tabi* ablativo casu nemo dixit, neque id usquam legitur nisi in futilibus quibusdam Lucretii editionibus libro I, 806. quare

Digitized by Google

mihi rectius videtur duabus tantum litterulis mutatis scribere *in parvo* LINCUNTUR *tempore* TABI. ita Vergilius *Alitibus linquere feris*, et Ovidius *leto poenaeque relictus*. nec *tabi* dandi casu Lucretium usum esse incredibile est, cum non multo post eius obitum Helvius Cinna genetivo *tabis* dixerit et Messalla Corvinus *tabem* accusativo. nam Cinnae Zmyrna novem annis perfecta Catullo vivente edita est, hoc est ante annum ab urbe condita Varronianum 708: vide Hauptium in Catullianis quaestionibus p. 15: et Messallam circa annum 675 natum esse docui in diurnis litterariis Halensibus, mense Iunio anni 1836 p. 255. ceterum non dissimile est quod Terentius quantum scio solus dixit *preci* in Andria III, 4, 22 et in Phormione III, 3, 14. sed *sponti* Varronem non scripsisse ostendi in museo Rhenano VI, p. 115.

555. ESSE HOMINEM, ILLIUS QUASI QUOD VASSE VIDETUR. Quadratus *vase videtur*. Itali veteres et Brixiensis editio HOMINE et VAS ESSE.

563. AVOLSUS RADICIBUS. Lactantius libro VII, 12, 20 e Lucretio *Sicut oculus, inquit*, evulsus *ac separatus a corpore nihil potest videre*. ubi maior pars librorum habet *evulsus a corpore ac separatus*.

564. DISPICERE OCULUS IPSE. Oblongus *oculos* prima manu. Marullus IPSE OCULUS, itaque ante eum Itali.

566. QUIA VENAS ET VISCERA MIXTI. Quadratus *mixta*, sed prima manu factum *mixti*. Itali *quia* PER *venas: per venas* et MIXTIM olim impressi.

571. AERIS HAUT POSSUNT POST MORTEM EIECTA MOVERE. *Heris* oblongus prima manu. tunc idem *haut*, quadratus *ut*. MOVERI Lambinus recte, sed, si Forbigero credimus, contra 'constantem fere Lucretii consuetudinem.'

573. CORPUS ENIM ATQUE ANIMAM SERIT AER, SI COHIBERE SESE ANIMA ATQUE IN EOS POTERIT CONCLUDERE MOTUS. Oblongus *sic cohibere*, quadratus *Esse anima*. in priore membro futurum tempus requiri Naugerius vidit, qui scripsit ERIT, ceterorum autem nihil intellexit. Lambinus bene *Corpus enim atque* ANIMANS *erit aër*. alterum membrum, quamquam res aperta est, Wakefieldus correxit primus hoc modo, *si cohibere* IN *se* ANIMAM *atque in eos poterit concludere motus, Quos ante in nervis et in ipso corpore agebat:* mox ipse mira iudicii debilitate hanc verissimam

Digitized by Google

correctionem reiecit, quam Forbiger ne commemoravit quidem.

576. QUAE ETIAM ATQUE ETIAM. Quadratus *Que:* eius corrector et Itali QUARE.

578. FATIARE NECESSEST. Corrector oblongi FATEARE.

580. NEQUE APER FERRE ANIMA. Corrector quadrati et Itali NEQUEAT *perferre animai*.

582. QUIN EA IMO. Italii *quin* EX *imo*.

583. DIFFUSA ANIMA EIUS. Italii *animae* VIS.

585. QUIA MOTA LOCO SUNT FUNDAMENTA FORAS MANANT ANIMAEQUE PER ARTUS. Quadratus *quia moto*, idem *Tundamenta* et *animeque*. Eichstadius et Forbiger, quibus miserrima quaeque placent, *foras manant animaeque*, scilicet uni corpori multas animas tribuentes, quod exagitat tamquam absurdissimum poëta versu 666. Marullus *foras animae manantque;* in quo aeque absurda sunt *Fundamenta foras loco mota* et eadem *fundamenta per artus manantia*. Wakefieldus non inepte *foras anima emanante per artus*. sed malo, quod et fortius est et librorum scripturae propius, *foras* MANANTE *anima* USQUE, *per artus Perque viarum omnis flexus, in corpore qui sunt, Atque foramina*.

593. VIDETUR IRE ANIMA AC TOTO SOLUI DE CORPORE OMNIA MEMBRA, ET QUASI SUPREMO LANGUESCERE TEMPORE VOLTUS, MOLLIAQUE EASANGUI CADERE OMNIA MEMBRA: In his EXSANGUI scribendum esse corrector quadrati et Itali viderunt: cetera nemo expedivit, cum tamen et vitiorum sedes pateret nec sententia obscura esset. hiatus optime sic supplebimus, *videtur Ire anima ac toto solui de corpore* VELLE, et *Molliaque exsangui* TRUNCO *cadere omnia membra*. nondum *ire* videtur anima, quod erat versu 526, sed *ire velle*, ut in IV, 518 *Iam ruere ut quaedam videantur velle ruantque*. *exsangui* autem *trunco* ut paulo post 654 *Et caput abscisum calido viventeque trunco*. at plerique omnes Marullum secuti sunt in versu tertio scribentem *exsangui cadere omnia corpore membra:* sed ille primum deleverat, Lambinus tertium exclusit et in primo scripsit *solui de corpore membra*, quod corrector quadrati praeïerat. Creechius, ut Itali, haec prorsus inepte coniunxit, *solui de corpore membra* et *cadere omnia corpore membra*. Wakefieldus

Digitized by Google

cum varia temptasset, Eichstadius et Forbiger, ne sibi usquam dissimiles essent, id praeoptarunt in quo esset praeter cetera vitia soloecismus, *videtur Ire anima ac* (Forbiger *et*, tamquam melius) *toto solvi de corpore mentem, Et — languescere — voltus, Molliaque exsangui cadere omnia corpore membra*.

597. CUM PERIBET. Ita quadratus: oblongus *periberet*, sed in litura. corrector quadrati PERIBETUR, itaque Marullus. *adibe* habent membranae in I, 51, quadratus *proibere* in I, 973, *distraitur* idem in II, 827 et in VI, 258 *thrait*. *thrahit* oblongus in VI, 967.

609. ET SUPERA SUCCEDERE FAUCES. Sic uterque codex. in quadrato factum a correctore *superas*, sine causa: sic tamen et Itali et Lambinus, quem omnes caeco impetu secuntur. olim impressi et Marullus *superas accedere fauces*.

612. QUOD SI INMORTALES NOSTRA FORET MENS, NON TAM SE MORIENS DISSOLVI CONQUERERETUR. Correctores antiquissimi et Lactantius in VII, 12, 26 INMORTALIS. tum quadratus *Non tamen moriens, Non tamen moriens se* in Lactantio impressum anno 1471: codex Erfurtensis anni 1468 et editio Rostockcensis anni 1476 *Non tam se moriens dissolvi torqueretur;* quod cur ne ferri quidem possit ad versum 198 docui.

614. VESTEMQUE RELINQUERE, UT ANGUIS. Post haec Marullus hunc ex sua officina versum addidit, *Gauderet, praelonga senex aut cornua cervus*. hinc recentiores in Lactantii orationem tacite intruserunt *Gauderet*, quod ibi neque olim impressi habent neque manu scripti tres quos inspexi. Madvicum miror, qui in opusculis prioribus p. 312 recentissimos Lucretii editores ad nominativum *anguis* non attendisse dicat. certe in nominativo nulla est offensio. versu 456 *Ergo dissolui quoque convenit omnem animai Naturam, ceu fumus, in altas aëris auras*. versu 130 *quoniam est animi natura reperta Atque animae, quasi pars hominis*. versu 427 *multoque minoribus esse Principiis factam quam liquidus umor aquai*. in IV, 699 *maioribus esse creatum Principiis quam vox*. sic Varro de lingua latina IX p. 526 *atque in hisce omnibus similitudines non tantum sumimus a figura, sed etiam aliunde (*Florentinus *aliude), ut in equis aetas, ut in asinis (quod similes parentum genuntur*, rer. rust. II, 6, 3: *ut inis* Flor.*) cuius modi faciant pullos, ut in pomis quo sint suco*. idem rerum rusticarum II, 4, 2

Digitized by Google

dixit celeriter se illos, ut scrofa porcos, disiecturum. Vitruvius in IV, 7, 3 *habeant spirae earum plinthum ad circinum altam suae crassitudinis dimidia parte, torum insuper cum apophysi crassum quantum plinthus*. Frontinus de controversiis agrorum p. 39, 19 *cum ergo possessor invenerit terminum in possessione sua aliter formatum aut aliter positum quam ceteri qui in ea possessione sunt, aut non inscriptum ut adsolet*. ceterum in quadrato versus proximus 616, qui debuit primus laterculi esse, scriptus non extat: eundem ignorant schedae.

616. SED UNIS SEDIBUS ET CERTIS REGIONIBUS OMNIBUS HAERET. Hic Wakefieldus 'Omnibus: i. e. hominibus: quo quid planius, aut scriptoris menti convenientius?' haud vidi magis. Lambinus *omnis inhaeret*, non bene, quoniam praecessit *animi mens consiliumque*. mihi maxime probabile videtur poëtam scripsisse *et certis regionibu'* PECTORIS *haeret*. ita versu 140 *Idque situm media regione in pectoris haeret*. item in II, 279 *tamen esse in pectore nostro Quiddam quod contra pugnare obstareque possit*.

618. REDITA CUIQUE. Corrector oblongi REDDITA.

620. ATQUE TA MULTIMODIS PERTOTIS ARTUBUS ESSE. Itali et olim impressi *Atque* ITA. tum Itali et Marullus *pro totis artubus*, quod quid esset adhuc nemo explicare potuit praeter Wakefieldum, cui nihil durum est. rei convenit *ita multimodis* PERFECTIS *artubus*, *Membrorum ut numquam existat praeposterus ordo*. in posteriore versu quadratus non habet *ut* coniunctionem.

623. FLUMINIBUS SOLITA NEQUE INSIGNI GIGNIER ALGOR. Hic S littera alieno loco posita est eo modo quem attigi ad librum II, 275: T, quod illi addi debuit, periit: debet enim esse *solita* ST *neque in* IGNI. corrector quadrati et olim impressi *in igni*, *solita est* Marullus, utrumque iam Itali.

624. SI MORTALIS NATURA ANIMAEST. Corrector quadrati et ceteri *si* INMORTALIS. Brixiensis editio *animai est*, Veronensis ANIMAIST, quorum hoc altero verius esse ostendi ad versum 374.

626. SENSIBUS AUCTUM. Corrector quadrati et ceteri AUCTAM.

628. ANIMAS ACHERUNTE VACARE. Corrector quadrati *vagare*, itaque in IV, 127 quadratus, ubi oblongus *vagari*. hoc uterque in I, 1061 IV, 129 724, item quadratus IV, 53,

Digitized by Google

oblongus *vacari:* praeterea Lucretius alibi dixit *vagaris*, *vagatur*, *vagantur*, *vagetur:* cur ergo credam eum semel aut bis sine causa *vagare* scribere maluisse quam VAGARI? ceterum eodem fere tempore Varro in versu dixit *per maritimas oras vagat*, idemque in Sotadeis, quos inscius iam paene restituit Iosias Mercerus, *Cum sex pueri et puellulae pariter item sex Aut septem in utroque cum choro pari vagarunt*, apud Nonium p. 468. et Catullus quoque paulo post in Phaselo, ut ventum incertum significaret, *laeva sive dextera Vagaret aura, sive utrumque Iuppiter Simul secundus incidisset in pedem:* nam *Vocaret*, quod libri exhibent, non intellego.

632. ESSE POTEST ANIMA. Iohannes Baptista Pius 'Scribendum *Esse potest* ANIMAE'. scilicet *ulli animae*, dandi casu, quem res et oratio requirit, ut supra 43 *animae naturam sanguinis esse*, et 288 *Est etenim calor ille animo*. ita Creechius quoque: ceteri optimam emendationem fastidiose reiecerunt.

632. NEQ. AURES AUDITUM PER SE POSSUNT SENTIRE NEQUE ESSE. Mire se hic torquent grammatici, neque tamen quicquam proficiunt. *neque aures* (sic enim libri, non *auris*) cum superioribus coniungi debet: tum scribendum est HAUD IGITUR *per se possunt sentire neque esse*, scilicet animae. *Aud* aliquotiens in quadrato codice scriptum legi ad versum 330 rettuli.

639. ET DISCISSA. Quadratus *discisa*, male, cum subiciatur *At quod scinditur*. est tamen observandum *discisa* et *discissa* origine quidem et vi distare, non sono: nam utrumque *i* vocali producta efferri ad librum I, 805 dixi.

644. AD ARTUBUS ID QUOD DICIDIT ABSCISUM. Corrector oblongi AB *artubus*. Itali et Brixiensis editio DECIDIT, Veronensis et Veneta *Occidit*.

647. ET SIMUL IN PUGNE STUDIO QUOD DEDITA MENS EST. *Simul* intellegi non potest, nisi in huius versus fine distinguimus. id vero quia propter ea quae sine ullo orationis vinculo subiciuntur fieri non potest, scribi debet *Et* SEMEL.

650. ABSTRAXE ROTE. Olim impressi cum Italis ROTAS.

651. CUM SCANDIT ET ISTAT. Iidem INSTAT.

658. QUIN ETIAM TIBI SI LINGUA VIBRANTE MINANTI SERPENTIS CAUDE PROCERO CORPORE UTRUMQUE SIT LIBITUM IN MULTAS PARTIS DISCIDERE FERRO.

Digitized by Google

Quadratus *minanti* omittit : idem in versu tertio *discedere*. corrector oblongi et Itali *Serpentis cauda*. Avantius dedit *caudam :* inde Pius *minantis Serpentis caudam*. hoc quamquam multi probarunt, aperte falsum est: nam totam serpentem discidi, non tantum caudam, e proximis apparet, ubi est *Ipsam seque retro partem petere ore priorem*. recte igitur Marullus scripsit SERPENTEM. tum idem *lingua vibrante minacem — et caudae procero corpore :* paulo elegantius, nisi quod *Serpentis* retinet, Wakefieldus *lingua vibrante, minanti — cauda et procero corpore*. alter duas serpentis partes facit, alter tres. nihilo minus is qui tres facit, nescio quomodo *utrumque serpentis*, id est, ut ipsi videtur, utramque serpentis partem discidi vult: prudentius is qui duas, serpentem *utrimque* in multas partes discidit, vel, quem admodum ipse non recte scripsit, *discindit*. sed neque hoc *utrimque* satis ponderis habet, et iners atque ineptum dicendi genus hoc est, quo ex procera cauda fit *corpus procerum caudae*. quanto rectius erat illud *caudae*, ex quo *caude* factum esse patet, diiunctis litteris legere *cauda e!* scripsit poëta *lingua vibrante* MICANTI *Serpentem* CAUDA E *procero corpore* UTRIMQUE. nam *utrimque* Marulli sane probandum est: utrimque e procero corpore, id est ex utraque proceri corporis parte, lingua vibrat, micat cauda. *micat*, inquam, non *minatur :* hoc enim lingua multo magis facit quam cauda, *micandi* autem verbum linguae et caudae serpentis pariter convenit.

662. IPSAM SEQUERE RETRO. Impressi cum Italis SEQUE *retro*.

663. VOLNERIS ARDENTI, UT MORSU PREMAT, ICTA DOLORE. Ita haec Wakefieldus distinxit, ego neque distincta neque indistincta intellego: quaero enim, quid illud sit quod *prematur*. scribendum est DOLOREM, ita, *ut vulneris dolorem premat ardenti morsu*.

665. PARTICULIS ANIMAS ANIMAS. Oblongus prima manu *Particulas*. eiusdem corrector vocem male repetitam delevit.

674. TANTO OPERE ANIMIST. 680. SOLITA ANIMIST. Marullus *tantopere* EST *animi*, et *solita* EST *animi*.

676. ID AB LETO IAM LONGIUS ERRAT. Charisius p. 183 et Nonius p. 515, 15 *a leto iam longiter*. hinc primus Lambinus

Digitized by Google

LONGITER . sed A *leto* quoque asciscendum erat , ut in VI, 1042 *a lapide hoc* . quare in V, 485 malo *a limini parte* quam *ab* . .

685. UT SENSU CORPUS TAMEN AFFLUAT OMNE. Quadratus *afluat*. sed contrarium res postulat: debuit enim hic id dici quod verum non esset , cum ex diverso verum sit in proximis , *ita conexast — uti dentes quoque sensu participentur*. perspexit vitium Lambinus, sed rationem non exposuit, neque eam aut Creechius aut Wakefieldus per se intellegere potuit. Forbiger ingenua simplicitate 'Lamb. Gassend. et Creech. spurium censent, nescio , qua de causa.' Lucretius videtur scripsisse *ut sensu corpus tamen* ARCEAT *omne*. malet tamen *afuat* qui huius modi composita in usu veterum fuisse demonstrare poterit: nam *defuat* in Plauti Bacchidum initio sine auctore fertur.

690. QUOD FIERI TOTUM . Lambinus cum probe intellexisset cum illis versibus , quorum principium est *Nam neque tanto opere* , coniunctum esse quod his quinque carminibus interiectis sequitur , *Nec tam contextae cum sint* , tamen homo levissimus verum versuum et orationis ordinem non vidit. ceteros ultra Lambinum non sapuisse minus miror.

691. CONEXA EST VISCERA PER VENAS NERVOS. Corrector quadrati et ceteri PER VENAS *viscera nervos* , ut versu 217.

693. MORBUS UT INDICAT ET GELIDA STRINGOR AQUE . Quadratus *aquae* . eius corrector *gelidae stringor* AQUAI. Itali GELIDAI. in morbo frustra argutantur: manifesto scribendum est MORSUS.

694. ET LAPIS OPPRESSUS SUBITIS E FRUGIBUS ASPER . Creechius recte EXPRESSUS: sed praeterea scribendum SUBIENS . Forbigero Wakefieldi barbaries valde placet, qui dicit *subitas fruges* esse *subeuntes*.

702. DISPERTITUR ERGO PER CAULAS . Brixiensis editio *Dispertitur enim* , Itali et Marullus *Dispertita ergo* . horum neutrum verum est: de *anima* enim hoc dicetur infra, *Dum quasi per caulas;* quo fit ut hoc ad *cibum* referri debeat, ita, DISPERTITUS ENIM *per caulas*.

705. QUAMVIS EST INTEGRA RECENS CORPUS EUNT. Quadratus *reces* . Marullus *quanvis* INTEGRA *recens* IN *Cor-*

Digitized by Google

pus eunt; quod mihi videtur verum . ita supra 667 *simul cum Corpore*.

710. QUAE TUNC PERIIT. Sic Vossiani et Marullus. Antonius Marii filius *tunc peritat* . olim impressi TUM *peritat*, bene alterum, alterum secus.

718. ET NULLAS PARTIS . Impressi UT.

719. VICERE . Itali VISCERE . ex proximis Nonius p. 103, 9 utitur illo versu, *Exos et exsanguis*.

723. ET PRIVASI CORPORA POSSE VENIRE. Oblongus *corpore* . corrector quadrati et Itali *privas* IN *corpora* . apud Nonium p. 159, 28 *et privas in eorum posse venire* . apud eundem est *invadi* pro *insinuari;* quo exemplo Lucilii versus in eiusdem Nonii libro p. 125, 10 relatus emendandus est, *suam enim insinuare innubere censent:* exemplaria enim habent *suam enim invadere atque innubere censent*.

725. HOC TAMEN EST 726. UT QUAERENDUM VIDEATUR . Ita uterque codex et Brixiensis editio versibus male distinctis . similiter Mediceus Vergilii codex ecloga IX, 27 a prima manu in fine versus *superent modo Mantua* , ac tum in alterius principio *Nobis Mantua ve misere* . hinc praesidium petere possum emendationi meae, qua olim in Propertii III, 34, 39 scripsi, quod ne nunc quidem muto, *Non magna Amphiaraĕae prosunt tibi fata Quadrigae aut Capanei grata ruina Iovi:* libri enim habent *Non Amphiareae prosunt (prosint) tibi fata quadrigae Aut Capanei [magno] grata ruina Iovi*. hoc ideo hic repetendum duxi, quod Hertzbergius lectorem fallit, cum *tibi* a correctoribus additum dicit, quod libri omnes exhibent.

732. SOLLICITE VOLITANT MORBIS ALGOQUE FAMEQUE. Oblongus *Sollicitatae* . ALGUQUE primus Lambinus, quod ipsum codices Nonii p. 72, 13 habere postea ex Iunio Merceroque apparuit.

733. VITIIS ADFINE . Sic prima manu oblongus, nisi fallor; a correctore *et fine:* quadratus *atfine*.

734. CONTAGE FUNGITUR EIUS . Ita scripsisse Lucretium non est veri simile, quoniam eundem ablativum corripuit in IV, 311 . rectius scribemus CONTAGIBUS, quo bis usus est in VI, 280 1242: id librariis displicebat, ut multa ex eo genere, in quibus *s* littera eliditur.

Digitized by Google

735. ESTO QUAMVIS FACERE UTILE CORPUS, CUM SUBEANT: AT QUE POSSINT VIA NULLA VIDETUR. Recte *Cum subeant:* cum res ita comparata sit ut subeant corpus, esto iis sane utile sibi tum facere corpus. frustra corrector quadrati adscripsit *vel Cur* (non *lege cur*, ut refert Havercampus), frustra amicus Fabri (secum Forbiger a Fabro communicatum scribit) *Quod subeant*. sed recte Marullus *at* QUA *possint*.

738. NEC TAMEN EST UT QUICUM PERFECTIS INSINUENTUR CORPORIBUS. Lambinus *ut* IAM *perfectis*, quod sententiae satis facit. malo hoc, quod a litteris nimium recedere fateor, quam inepta Marulli et Wakefieldi commenta, *est quasi cur perfectis*, *est qui cum perfectis*.

740. NEQUE CONSENSU CONTAGIA FIENT. Immo CONSENSUS *contagia:* recte enim Creechius interpretatur 'neque ita corpus et anima consentirent et motus vitales sibi invicem mutuo impertirent.'

743. A PATRIBUS DATUR ET APATRIUS PAVOR INCITAT ARTUS. In oblongo recte factum radendo *et patrius*. grammatici, quantum possunt, dativos ingerunt ei versui qui hunc praecedit, ut certe oratio aliquo cohaereat vinculo. sed non est in ea sententia Lucretius, ut animalibus *dari*, hoc est monstrari, *a patribus* violentiam dolum fugam existimet, quasi imitando et adsuetudine mores parentum exprimant. itaque rectissime 'doctus quidam', cuius nomen cur Lambinus dissimulet nescio, hunc versum alienum esse suspicatus est. apparet enim eum qui haec scripsit Lucretii sententiam irridere: nullo modo, inquit, animi semina cum corpore simul crescunt, sed leonibus violentia et dolus vulpibus *a patribus datur*, *et* cervorum *patrius pavor* ad fugam *incitat artus* pullorum.

747. CUM CORPORE TOTO. Ita quadratus: oblongus et Italici *cum corpore quoque*. *toto* praetuli, quia non possum ullam artem agnoscere in simili hoc trium versiculorum exitu, *ingenioque*, *seminioque*, *corpore quoque*. non potest autem dubitari quin utraque scriptura fuerit in archetypo.

759. DENIQUE UT. Hunc versum rubrica et litteris uncialibus scriptum habet oblongus, quadratus omittit spatio magno relicto in quo rubricator hoc quasi capitulum scriberet. idem in hoc libro deinceps saepius factum est, scilicet

Digitized by Google

versu 805 *Iunctum in concilio*, 905 *Quod super est*, 949 *Atque etiam*, nisi quod versus 905 in oblongo litteris currentibus scriptus est, 949 uncialibus et currentibus permixtis. in libro quarto quinto sextoque huius modi nihil invenitur: de primo et secundo dixi ad II, 42.

760. SIC ANIMAS HOMINUM DICENT IN CORPORE SEMPER. *In* CORPORA corrector quadrati et Itali ante Marullum. SIN idem Marullus.

763. SI NON CERTA SUO QUIA SEMINE SEMINIOQUE. Huic versui, quem delendum esse res ipsa clamat, Marullus eum subicere maluit qui hunc, ubi suo loco positus est, sequitur 747, tum utrumque collocavit post eum quem libri ab hoc proximum faciunt, cuius principium est *Nec tam doctus*. tam caecum ducem ceteros sequi indignor.

764. NEC TAM DOCTUS EQUE PAULUS. *Ne* prima manu oblongus. *tamen* quadratus. PULLUS Itali et impressi.

765. MENTEM. Hoc confirmat Diomedes p. 334: Nonius p. 181, 5 *mentes*. mox quadratus *Confugiant*.

775. AT NON SUNT IAMMORTALI ULLA PERICLA. In oblongo correctum, et fortasse manu prima, *sunt* IMMORTALI. in Ovidii metamorph. XV, 139 recte agunt qui scribendum iudicant *Audetis vesci genus immortale*, ubi codices *o mortale*.

784. NON AEQUORE IN ALTO NUBE ESSE QUEUNT. Infra in libro V, ubi hi versus iterantur, 129 *non aequore* SALSO NUBES *esse queunt*. hoc praeferendum est, quia poëta *aequor salsum* aliquotiens dixit, *altum* numquam.

789. LONGIUS ESSE. Non aliter scriptum in V, 133. sed recte 'quidam docti' apud Lambinum LONGITER, ut versu 676.

790. QUOD SI POSSET, ENIM MULTO PRIUS. Wakefieldus cum suis soloece *Quod si posset enim, multo prius*. priores cum Marullo *Hoc si posset enim*, quod certe Latinum est. siquis ita ut supra feci distinguat, *enim* adversativum, de quo non satis distincte egit Handius in Tursellini tomo II p. 397, in apodosi locum habere non videtur. miror autem eundem Handium Gifanio eiusque similibus credere in libro VI Lucretii 1277 sic distinguentibus, *enim praesens dolor exuperabat*, praesertim cum Plauti Nervolariae ex Varrone

Digitized by Google

de lingua Latina in VII p. 350 sine ulla suspicione adscribat haec, *Scobinam ego illum actutum adrasi enim*, quae manifesto in hunc modum scribenda sunt, *Scobina ni ego illum actutum adraso senem*. itaque in Lucretii versu aut scribendum est *Hoc*, aut, quod mihi verius videtur, QUID *si posset enim?* dixit ita Quintilianus in II, 13, 3 *quid si enim praecipias imperatori — ? erit haec quidem rectissima fortasse ratio*. idem in III, 6, 6 *quid si enim dicat quis 'sonus est duorum inter se corporum conflictio'? erret, ut opinor*. in quibus Handius ibidem p. 395 quo consilio post *quid* distinguendum praeceperit, ita, *quid? si enim dicat quis — : erret*, intellegere non possum.

796. TANTO MAGIS INFITIANDUM. Sic in quinto quoque membranae: in tertio quadratus codex prava temporum recentiorum consuetudine *inficiandum*. apud Priscianum p. 898, si ea quae Krehlius propria sibi neglegentia scripsit tomo I p. 499 et II p. 535 recte interpretor, libri veteres habent *in tertio* et *infitiandum est*. nec tamen opus esse ut addatur *est*, dixi ad librum I, 111.

798. CORPUS UBI INTERIIT, PERISSE. Quadratus *corpus sub interiit*. Itali PERIISSE.

800. MORTALEM AETERNO IUNGERE. Marullus MORTALE.

804. ATQUE PERANNI. Itali PERENNI.

805. SALVAS TOLERARE PROCELLAS. Ita oblongus, Antonius Marii, olim impressi: nam quadratum hoc versu carere supra dixi. Marullus SAEVAS.

806—818. PRAETEREA QUAE CUMQUE MANENT AETERNA NECESSEST AUT, QUIA SUNT SOLIDO CUM CORPORE, RESPUERE ICTUS NEC PENETRARE PATI SIBI QUICQUAM QUOD QUEAD ARTAS DISSOCIARE INTUS PARTIIS, ET MATERIA CORPORA SUNT, QUORUM NATURAM OSTENDIMUS ANTE, AUT IDEO DURARE AETATEM POSSE PER OMNEM, PLAGARUM QUIA SUNT EXPERTIA, SICUT INANEST, QUOD MANET INTACTUM NEQUE AB ICTU FUNGITUR HILUM, AUT ETIAM QUIA NULLA LOCI SIT COPIA CIRCUM, QUO QUASI RES POSSINT DISCEDERE DISSOLUIQUE, SIC UTI SUMMARUM SUMMAST AETERNA, NEQUE EXIRA QUIS LOCUS EST QUO DIFFUGIANT, NEQUE CORPORA SUNTQ. POSSINT INCIDERE ET VALIDA DISSOLVERE PLAGA. In horum versuum secundo

Digitized by Google

quadratus prima manu, itemque a correctore oblongus, *respuere iectus*. in tertio quadratus *queat artus*. in undecimo oblongus *neque exire*. omne autem argumentum et imperfectum est et cetera interrumpit, ipsique versus infra suo loco recurrunt in libro v, 351—363. haec igitur omnia a Lucretio hic scripta non esse manifestum est, sed a lectore philosopho, qui hoc quoque argumento ex alio loco desumpto rem commode illustrari posse existimaret. hic tamen cum ceteros versus, quibus de caelo ageretur, non tam facile ad animum transferri posse intellegeret, a coepto transcribendi labore mox destitit. at Michahel Marullus illo audacior nihil veritus est ceteris transferendis immanes ineptias inferre; quos versus cum omnes libris veteribus sine exceptione omnibus abesse aut scirent aut certe deberent scire, plerique sine admonitione susceperunt, Wakefieldus, cui Forbiger adsensus est, 'poëtae' (id est Marulli) miratur 'consideratam severitatem diligitque, per tam dilucidam ratiocinationem simpliciter mentem suam exponentis'. mihi Marulli male sedula simplicitas non nimis exagitanda esse videtur: subiciam tamen eius versiculos, ut appareat quae Lambinis et Wakefieldis (ceteros nunc omitto) Lucretio dignissima visa fuerint. *At neque, uti docui, solido cum corpore* mentis *Natura est, quoniam admistum est in rebus inane, Nec tamen est ut inane: neque autem corpora desunt Ex infinito, quae possint forte coorta Corruere hanc* mentis *violento turbine* molem *Aut aliam quamvis cladem importare pericli: Nec porro natura loci spaciumque profundi Deficit, expargi quo* possit vis animai *Aut alia quavis* possit *vi pulsa perire. Haud igitur leti praeclusa est ianua* menti.

820. Quod vitalibus ab rebus. Lambinus letalibus, recte: nam alterum plane absurdum est. idem Lambinus, cum Marullus orationem pendentem versu post hunc addito fulsisset, verius sensit post versum quartum perisse apodosin: sed Marulli versum, qui erat hic, *Scilicet a vera longe ratione remotum est*, non recte probavit illuc traiectum. est autem perspicuum ea quae exciderint in huius fere modi concepta fuisse sententiam, *Multa tamen tangunt animam mala, multa pericla*.

824. Praeter enim quam quod morbist cum corporis aegrit. Recte Itali et Turnebus morbis *cum cor-*

Digitized by Google

poris , et Gifanius AEGRET . in ceterorum commentis nihil sani est . sed in Turnebi adversariorum XXII, 9 male scriptum video *cùm* , rectius sine accentu in libro XXX, 10 : est enim *cum* praepositio , non coniunctio .

826. MACERET . Itali MACERAT .

829. ADDI QUOD . Corrector oblongi ADDE .

835. SUB ALTIS AETHERIS AURIS . Quadratus *altis* (non *altas*) et *auras* . recte Gifanius *aetheris* ORIS . ita scriptum est in V, 143 II, 1000 IV, 215 V, 656 683 . de poëtarum veterum usu exposui ad versum 405 . concedendum est tamen non omnes idem secutos esse . Varro in corpore Putschii p. 2264 *Aureis , quas modo aetheris scribimus , modo quibus audimus ;* nisi tamen legendum est *aëris* . sunt autem illae tres Putschii paginae excerptae e libro Varronis , sed interpolatae iis quae alio modo concepta leguntur in grammaticis Eichenfeldii p. 452 .

844. DISTRACTAS ANIMI NATURA . Sic uterque . quadrati corrector et ceteri *Distracta* EST . quae Lucretius habet versu 838 , ea acutius dixit Epicurus apud Laërtium X, 125 τὸ φρικωδέστατον οὖν τῶν κακῶν ὁ θάνατος οὐδὲν πρὸς ἡμᾶς , ἐπειδή περ ὅταν μὲν ἡμεῖς ὦμεν , ὁ θάνατος οὐ πάρεστιν , ὅταν δὲ ὁ θάνατος παρῇ , τότ' ἡμεῖς οὐκ ἐσμέν . de eodem Sextus empiricus p. 175, 5 (apparet enim non recte scriptum esse φασί) φησὶ δὲ καὶ ὡς εἴπερ συνεστήκαμεν ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος , ὁ δὲ θάνατος διάλυσίς ἐστι ψυχῆς καὶ σώματος , ὅτε μὲν ἡμεῖς ἐσμέν , οὐκ ἔστιν ὁ θάνατος (οὐ γὰρ διαλυόμεθα) , ὅτε δὲ ο θάνατος ἔστιν , οὐκ ἐσμὲν ἡμεῖς · τῷ γὰρ μηκέτι τὴν σύστασιν εἶναι τῆς ψυχῆς καὶ τοῦ σώματος οὐδὲ ἡμεῖς ἐσμέν .

847. MATERIEM . Ita quadratus : *materiam* oblongus et Italici .

851. INTERRUPTA SEMEL CUM SIT REPENTIA NOSTRIS . Ita oblongus et olim impressi ; itaque Antonius Marii filius et Marullus , nisi quod scripserunt *nostra* . quadratus *repetentia* . Avantius *retinentia nobis* . Ioh. Bapt. Pius 'prisci codices' inquit 'habent *nostri* .' rectissime egerunt qui ita , RETINENTIA NOSTRI . nam nec *retinentia* nec *repetentia* quid sit intellegi potest , nisi adiciatur cuius rei sit . *repetentiam* autem *priorum* Arnobius dixit , Lucretius supra 675 *actarum rerum retinentiam* . quarum hanc alteram homo vivus habet , eaque potest non modo amitti atque *excidere* , sed etiam

Digitized by Google

interrumpi . huic similis est *nostri retinentia*, per quam retinemus nos tam diu quam non amiserimus nos, ut et *interrumpi* et recipi possit. at *repetentiam nostri* non habemus, nisi nos et naturam nostram ante amiserimus: ergo quam olim non habuimus, ea ne *interrumpi* quidem potuit.

853. QUI FUMUS, IAM DE ILLIS NOS ADFIGIT ANGOR. Olim impressi *Qui* FUIMUS, itaque Antonius. idem AFFICIT, sed inepte *iamiam:* Marullus primus addidit *nec* ante *iam*. debuit NEQUE *iam*, in pede secundo versus hexametri. nam in primo et secundo pede tanta est codicum Lucretianorum constantia, ut ne ante vocales quidem scriptum sit *nec*, nisi in IV, 357 *Plaga nec ad nostras* et ter *nec opinanti* III, 959 V, 1320 VI, 408, in V, 777 autem *neque opinantis*. contra in tertio et quarto pede is liber e quo nostri ducti sunt tam mire variat, ut ne quaeri quidem possit utrum poëta quibus condicionibus praetulerit. qua propter in hac re per totum poëma codices antiquos secutus sum, quorum neuter ullo in loco ab altero dissentit, nisi quod in libro I, 23 *neque amabile* est in oblongo, in quadrato et schedis *nec amabile*.

856. MULTIMODI QUAM SINT. Unus Wakefieldi codex, scilicet ex emendatione docti Itali, MULTIMODIS, recte: nam *multimodus* adiectivum lingua Latina non agnoscit, quamquam *totmoda* Catullum scripsisse multi crediderunt 115, 4. ita in IV, 1155 *multimodis — Esse in deliciis*. sed quae proxime secuntur, *facile hoc adcredere possis, Semina saepe in eodem, ut nunc sunt, ordine posta*, neque plenam sententiam efficiunt neque orationem: nam et *nostri corporis* semina intellegenda sunt, et credibile est hoc, ea saepe in eodem ordine posita *olim fuisse*. ea vero omnibus litteris scripta sunt eo versu qui octo aliis interiectis sequitur,

865. HAEC EADEM, QUIBUS E NUNC NOS SUMUS, ANTE FUISSE: hunc igitur ad superiora revocandum esse apparet. quis autem hoc mihi, ut primus dicerem, a tot tractatoribus relictum esse credat?

861. MISEREST FORTE AEGREQUE FUTURUMST. Ne hoc quidem quomodo procurandum esset quisquam priorum vidit. scribendum est *misere* SI *forte*.

863. ID QUONIAM MOX EXIMIT, ESSEQUE PROHIBE ILLUM. Oblongus *mox*, quadratus *mos:* corrector quadrati et Antonius MORS. Turnebus *esseque prohibet*. scribendum

Digitized by Google

est PROBET, quem admodum in libro I, 977 membranae omnes habent *prpbeat;* quibus *praebere* et *debere* sunt simillima. *proiciet* tribus syllabis dixisse videtur Seneca hoc versu, *Et inter acies proiciet raptam duas* in Phoenissis 426 . Plautus, qui *reicio* semper dixit per diphthongon , nihilo minus primam longam constanter retinet in *ejci dejci projci* : neque huius esse credo *coicitis* per diphthongon, in Mercatore V, 2, 91, sed *conicitis*, quem admodum dixit in Asinaria IV, 2, 5 *obicias*, quamvis alias maluerit *conjce objcitur* (Merc. II, 3, 5) *injce adjceret* (Poen. V, 4, 1) *dissicit*. variat in uno eodemque Medeae versu 527 Seneca , *His ądice Colchos , adjce Aeeten ducem* . Lucilii quidem versiculos , qui leguntur apud Nonium p. 296, 24 , in hunc modum disponi malo , *ego animam Prójciam , ut me amore expediam?* quam ut in fine septenarii sit *ego animam próiciam :* verba ipsa quomodo constituenda sint dubium esse non potest, cum libri habeant *ego enim an per eiciam ut me amare expediam;* quamvis Nonius his praescripsisse feratur *Expedire , utile esse*, quasi legisset *ut mi amare expediat*.

867. NEQUE HILUM DIFFERRE ANNULLO ANULLO FUERIT IAM TEMPORE NATUS . Quadratus *anullo anullo*. oblongus prima manu *tempora* . huius corrector delevit *annullo*, idemque fecerunt eo non prudentiores Wakefieldus et Forbiger ; quorum alter scripsit *a nullo*, quod sententiam nullam facit, alter *an ullo* nec Latine nec iusto syllabarum modulo . cum Marullo plerique *an nullo*, quod nihilo melius est : dicit enim contrarium eius quod requiritur . *anne ullo fuerit* quam recte dicatur ignoro: scribendum puto ANTE ULLO *fuerit iam tempore natus* , ut supra 852 *ante Qui fuimus*. porro poëta hic sine dubitandi particula dixit *nihil differt iam natus fuerit*, et similiter in IV, 1259 *magni refert Crassaque conveniant liquidis et liquida crassis*.

871. UT AUT PUTES CORPORE POSTO. Antonius Marii filius , item Marullus et Avantius, *putrescat:* Pius (nam Forbiger se editionem Pii non habere sciens falsum dicit) PUTESCAT . horum neutrum ab hoc loco alienum est. in libro Lucretii V, 307 *putrescere saxa* et 832 *Namque aliud putrescit et aevo debile languet*, de iis rebus in quas malus odor non cadit, sed mador et per eum corruptio . minus recte , nisi fallor , *putescere semina* in Varronis rerum rusticarum libro

Digitized by Google

I, 34, 1. nam *putria* dicuntur resoluta, plerumque per umorem, *u* correpto ut in *putei* vocabulo, quod huic adiectivo adfine est. contra *putidus putere putescere u* producto ad odorem pertinent, quem, cum foedus est, non nulli *putorem* dixerunt. at apud Lucretium ter iisdem fere verbis repetitis II, 872 929 VI, 1101 *putor* legitur ita de terra, ut putredo intellegi debeat, non fetor sive *putidus odor*, quomodo interpretatur Varro de lingua Latina V p. 42. his locis Naugerius fecit *putrorem*, quod Forcellinus Arnobio adscribit, qui dixerit libro V p. 166 *ne putrore corpus dissolveretur ullo;* ubi in Parisino codice videtur esse *putore*, itemque in II p. 46 *tellus uliginis alicuius conversa putore tamquam vermes animaverit*. itaque difficile est de his vocabulis aliquid certi pronuntiare, neque mihi Madvicus videtur rem absolvisse ad Ciceronem de finibus p. 683.

873. NOSINCERUM. Quadratus *nos sincerum:* eiusdem corrector et Itali NON *sincerum*.

877. NECRADICITIUS. Brixiensis editio cum Italis RADICITUS.

880. VOLUCRES IACERENT. Impressi cum Italis LACERENT. mox oblongus *se dividit illim*, quadratus *se vidit illum*. ante vocalem maior pars poëtarum dixerunt *illinc:* sed Plautus in Poenulo V, 2, 98 *Subreptus sum illim: hic me Antidamas hospes tuus Emit;* et in Captivis III, 4, 125 *Ite istim atque ecferte lora;* item Terentius in Hecyra III, 1, 17 *Vix me illim abstraxi*, ubi Bembinus verum subindicat, qui habet *illi;* Cicero paulo saepius ante vocales, ut puto, quam consonantes. in Aeneïdos libro VI, 389 de distinctione ne P. Wagnerum quidem satis recte iudicare miror. id quod unice verum est, *Fare age, quid venias, iam istinc, et comprime gressum*, imitando probarunt Statius in Thebaidos III, 347 *iam illinc a postibus aulae Vociferans*, et Dantes divine in Purgatorio 9, 85 *Ditel costinci*. in Tusculanis Tullii, libro III, 26, item de oratore III, 165, inepte non nulli fecerunt *illico istim* in versibus Ennii; quibus rectius inseremus *stetis*, hoc modo. *Nolite, hospites, ad me adire. ilico istic, Ne contagio mea bonis umbrave obsit, Stetis. tanta vis sceleris in corpore haeret*.

886. CUI POSSIT VIBUS SIBI SE LUGERE PEREMPTUM, STANSQUE IACENTEM LACERARI URIVE DOLORE. Quadratus *dolorem*. haec Wakefieldus omnium primus recte

Digitized by Google

scripta edidit. Qui Itali et Marullus et Avantius, secundum eosdem Italos Avantius *iacentem* se, Lambinus dolere.

890. torreresecere flammis. Itali et Brixiensis editio torrescere.

893. superne obrutum. Marullus obtritum. scholiastes Statii ad Thebaidos III, 98 *ut Lucretius, Iusta hominis sepultura nihil prodest*.

894. Amiam non domus accipiet. Ita oblongus. quadratus *Vimiam:* nam eum habere *Nam iam* mendacium est. olim impressi *Atnuam* vel *Atviam*, unde Marullus *At iam*. aptissimum est Iam *iam*, quod habet Antonius Marii.

897. facti florentibus esse. Corrector quadrati et idem Antonius factis.

902. Quo bene si bideant. Olim impressi, item Antonius et Marullus, Quod *bene*.

906. At nos horrifico cinem factum te prope busto. Nonius p. 93, 33 *Cinefactum, in cinerem dissolutum. figuratio ut tepefactum et labefactum. Lucretius lib.* III *Ad nos horritico* cinefactum *te prope cobus*. pessime interpretatur Nonius, huius modi verborum rationis ignarus: nam *cinefactus* non est is qui cinis factus est, quem Latine licebat dicere *cinificatum* vel rustico vocabulo *cinu' factum* (nam *hoc cinus* habent glossaria Labbaei et Siculus Flaccus de condicionibus agrorum p. 140, 17, item alii mensores p. 308, 3 5), sed *prope cinefactus* est qui iam prope cineris colorem et adspectum nanctus est; ex quo apparet versu proximo membranas recte habere *Insatiabiliter deflevimus*, libros impressos inepte *deflebimus*. scilicet haec verba ante omnia ab aliis segreganda sunt, cum quibus nihil commune habent, ut *bene facere*, *fabre facere*, *magni* vel *lucri* vel *conpendi* vel *sumpti facere*, *ludos facere*, *vale facere*, quo Afri usi sunt pro *vale dicere*. nam ea de quibus agimus a verbis neutris descendunt, ut *tume facere*, *rube facere*, *putre facere*, *excande facere*, *pallefactus* (apud Diomeden p. 334), cetera. ergo *cinefactus* est a *cinendo* vel *cinescendo*, quod non minus recte dici potuit quam *cinerescere*, quo Tertullianum usum esse in lexica relatum est: simile enim est quod Horatius dixit *ciniflones*. memorabile est autem non omnia a verbis secundae declinationis formari, sed *vace fieri* et *labe fieri* a *vacare* et *labare*, *treme facere* a *tremere*, *expergefactum* vero ne ab *expergere* quidem, sed ab

Digitized by Google

expergi, et *domefactam tellurem* apud Petronium 99 a *domari*, ut *perterre facere* a *terreri*, *condoce facere* a *doceri*, *commone facere* a *moneri*, *allicefactus* ab *alliceri* sive *allici*, id est a passivis, non a neutris. sed *valle feci* Varronis apud Nonium p. 217, 24 magis convenit cum *vallessit*, *perierit* (nam vitiose apud Paulum diaconum p. 161 scriptum est *vallescit*), quam cum *evallaro*, quod Nonius rettulit p. 102, 1: et diversa secutus est Varro, cum dixit *ferve facito* et tamen in versu *Fervere piratis vastarique omnia circum*. porro ad explicandum *vace fit* quod Wagnerus in tomo v Vergilii p. xxv ex Vaticanis schedis tamquam antiquum enotat, *Hoste vacere domos* pro *vacare*, mihi fide non dignius videtur quam *cum evacuerit*, quod pro *evacuaverit* scriptum legi in epistula priore ad Corinthios xv, 24. sed quoniam mihi ad has grammaticas quaestiones excurrendum fuit, non inutile duco de horum verborum accentu indicare, non posse ea magis barbare proferri quam siquis *cálefis* dicat aut *caléfis* aut *caléfacis*, quod nostri homines regulam satis ancipitem caeco impetu perdite sequentes facere solent. hoc modo qui veros vocabulorum sonos pervertunt, Priscianum aut contemnunt aut ignorant de his verbis curiose praecipientem p. 803. *Si vero facio vel fio integris manentibus*, inquit, *aliud verbum infinitum ante ea componatur, non solum significationes et coniugationes integras eis servamus, sed etiam accentus, ut calefácio calefácis calefácit, tepefácio tepefácis tepefácit: in secunda enim et tertia persona paenultimas acuimus, quamvis sunt breves. similiter calefio calefis calefit, tepefio tepefis tepefit, finales servant accentus in secunda et tertia persona, quos habent in simplicibus*. hunc igitur auctorem qui sequetur, is certe meram et propriam barbariem deponet: sed veteres ita dixisse, *calefis* et *calefit*, non credet qui linguae Latinae vicissitudines consideraverit. itaque cum ad Prisciani aetatem partem tamen veri pervenisse probabile sit, mihi satis certum videtur veteres huius generis verbis bis accinuisse, ut dicerent *cále fis* et *cále fácit*. in participiis tamen hunc duplicem accentum locum habuisse non puto: nam neque usquam legi *mansuëque factum*, *ferve bene factum*, *factum are*, et ea quae distractis vocabulis scribi non possunt, qualia sunt, *inlabefactus*, *labefactare*, *frigefactare*, quo Plautus bis usus est, *calefactare*, item *patefactio*,

Digitized by Google

satis ostendunt veteres sub uno accentu protulisse *labefáctum frigefáctum calefáctum patefáctum*.

908. MEROREM ET PECTORE DEMET. Corrector quadrati et ceteri E *pectore*. versum Aristophanium Varronis, quem Mercerus rectissime ita scriptum edidit, *Demitis acris pectore curas* (vel *luctus*) *cantu castaque poësi*, in Nonii p. 241, 1 et 267, 13, Wakefieldus ad Lucretium III, 65 corrupit, et turpius Olearius, qui ne versum quidem esse vidit, in Varronis saturis p. 185.

910. AD SOMNUM SE RES REDIT. Corrector oblongi SI *res*.

914. FLUCTUS. Itali et Marullus FRUCTUS.

917. QUOD SITIS EXURAT MISEROS ATQUE ARIDA TORRAT. Ita cum olim impressis quadratus et a correctore oblongus: hic prima manu *torret*; ut in archetypo videatur fuisse TORRÊT. vellem tueri *torrat*, si et possem neque tam absurde collocatum esset epitheton. itaque cum nomen substantivum requiratur, scribendum puto *atque arida* TORRES. id vocabulum est in glossario Cyrilli, ἀπόκαυμα, *ustilacio*, *torres*. similia sunt *labes tabes pubes torques saepes moles nubes sedes ambages compages contages rupes*. certum est autem non esse legendum cum Gifanio *torreat*. nam duas vocales breves, quibus consonans adiecta sit, in unam syllabam coalescere posse praeter quam in compositis, qualia ad librum II, 1061 tractavimus, non didici. sunt autem huius modi res observando discendae, non a grammaticis, quorum neglegentia fit ut omnia licita esse videantur. itaque *eodem eaedem* binis syllabis dixit Lucretius, sed *eandem* tribus. in Ovidii metamorphoseon VI, 113 Heinsius secundum duos codices verum esse iudicavit hoc, *Aureus ut Danaën, Asopida luserit igneus*; ubi satis eleganter ceteri *ignis*. neque apud Catullum 64, 178 scribi debet *Idomeneosne petam montis* (nam hi genetivi *o* brevi efferuntur a poëtis Latinis), sed *Idomeneusne* ad exemplum Homerici illius, quod multis placebat in Iliados N, 424, Ἰδομενεῦς δ' οὐ λήγε μένος μέγα. hoc tantum scio, si illarum vocalium prior *i* vel *u* sit, eam posse aliquando consonantis potestatem adipisci. ita *tenvior* duabus syllabis dixit Statius in Thebaidos IV, 697, ita Persius II, 10 *Ebulliat patruus*, et Iuvenalis, ut puto, *qui pulmentaria condiat* VII, 185. Ennius apud Ciceronem de divinatione I, 108 et apud Cha-

Digitized by Google

risium p. 114, item in Hercule 1095 Senecā, *quattuor* littera *u* aut praetermissa aut in consonantem durata. neque tamen ullo modo credibile est Germanicum Caesarem in Arato dixisse *Graecia praecurram potius quam triangula dicam*, quod ei adfingunt codices Prisciani p. 1358: verissimum fuerit *cur divite lingua Graeca parum curem, potiusque triangula dicam*. Sulpicia quoque indignum est quod legitur in satira eius, *Nec trimetro iambo nec qui pede fractus eodem*; quae mihi videtur scripsisse *Nec trimetro, nec qui fractus pede iambus eodem Fortiter irasci didicit duce Clazomenio*. scaenica licentia, per diphthongum, nisi fallor, Lucilius apud Nonium p. 19, 1 *In terra fuit lucifugus*, et p. 26, 5 *Conpernem aut varam fuisse*, idem apud Ciceronem de finibus I, 9 *Maluisti dici* et *Id quod maluisti*. his paulo laudatiora sunt quae in *m* litteram exeunt: neque ea ad hoc genus pertinent, si verum est quod ad librum II, 991 dixi, in his esse syllabam natura longam. itaque *avium* duabus longis syllabis Ennius dixit, *Avium praepetibus*, apud Ciceronem de divinatione I, 108, item Catullus similiter *Camerium mihi pessimae puellae*, et Horatius *Vos lene consilium et datis et dato, Hinc omne principium huc refer exitum*. in his *i* litteram pinguescere perspicuum est. quare in Graecis huius modi nihil admittitur: nam *Pharsaliam coëunt* Catullo imperite non nulli adscripserunt: sed in Latinis *conubium* Lucretius V, 1013 et Catullus 62, 57 dixerunt tribus syllabis, Ovidius *et spissi litoris Antium* metamorphoseon XV, 718, Iuvenalis satira VI, 82 *comitata est Eppia ludium*, Lucilius *Inde Dicaearchium populos Delumque minorem*. hoc in Pauli codicibus p. 122 scriptum est *diciarchicum*: veram genetivi formam confirmabo ad librum V, 85. *Dicarcheos* Silio aut Statio placere potuit, non Lucilio: *Dicaearcheum*, quod Müllerus fecit, Latinum esse nego, neque *deum* monosyllabum, quod ille a se saepissime observatum scribit, extra versus scaenicos quisquam dixit. posuerunt tamen *balteum* et *alveum* per diphthongon disyllaba epitomator Iliados 632 et Statius Thebaidos V, 1, sed soli, neque ita quisquam *Theseum* aut *Orpheum* dixit, in quibus *e* vocalis Graeca cum *u* Latina non coit.

919. VITAMQUE REQUIRET. Recte Naugerius REQUIRIT.

922. NEC DESIDERIUM NOSTRI NOS ADIGIT ULLUM.

Digitized by Google

Marullus *addigit?* Antonius, Avantius, Naugerius, *attigit*, quod Lambinus praesenti tempore accipit. eidem Lambino Gifanius adscribit ADFICIT, quod et hic unice verum est et in versu 853. proxime ante haec oblongus *esse soporem*, quadratus *esse praemo:* mox idem quadratus *tunc illa per artu*, tum *motibus serrant*, deinde *turbae dislectus* et *Consequitur lecto;* omnia vitiose, et omnino librarius, sive ipse sive is quem sequitur, neglegentissimus fuit, ut non debeat nos morari ubicumque oblongus recta et aperta praebet.

935. NAM GRATIS FUIT TIBI VITA ANTE ACTA PRIORQUE. In his nihil reprehendi debet nisi defectus syllabae, quam facillime ita supplebimus, *Nam gratis fuit* HAEC *tibi vita*. olim impressi *Nam gratum fuit;* unde exorsi plerique vanissima protulerunt. sed Marullus idem quod nos in suo codice scriptum invenit (nam ne ab Antonio quidem Marii filio aliud exhibitum est), ex quo fecit *Num gratis fluxit;* melius certe quam Wakefieldus *Nam gratum fuerit*, quod Eichstadius et Forbiger ament licet. Naugerius non inepte *Nam si grata fuit*.

941. VITAQUE IN OFFENSOST, CUR AMPLIUS ADDERE QUAERIS RURSUM QUOD PEREAT MALE ET INGRATUM OCCIDAT OMNE. *In offensost* quadratus et in litura oblongus, in quo videtur prima manu fuisse *in offenst.* recte Lambinus *in* OFFENSUST. tum oblongus et olim impressi *addere queres* et in versu altero *mali et*. hoc vero ipsum *mali et*, cum Wakefieldo elegantius visum esset, arti poëtae adversari M. Hauptius docuit in observationibus criticis p. 17. possum instare vitiosum plane esse et sine exemplo. nam cur credam Senecam in Phoenissis 394 dedisse *Vide ut atra?* cum posset scribere *Viden? atra nubes pulvere abscondit diem*. in Lucilii autem versibus qui sunt apud Nonium p. 260, 28 et 308, 18 (ii versus hoc modo scribendi sunt, *Cum poclo bibo eodem, amplector, labra labellis Ficta eius compono, hoc est cum psolocopumae:* Nonii exemplaria *Fictrices*, Nonius ipse *ficta* a *fingendo* duxit, cum sit a *figendo*), in his *bibo* littera *o* aut correpta aut potius non elisa dicendum est. nullus enim poëtarum praeter veteres scaenicos vocabulorum ïambicorum vocalem extremam cum brevi syllaba copulavit. argumento esse potest hiatus in hoc genere non infrequens, ut *Hyla Hyla; iustosque pati hymenaeos; Maeonia generose domo, ubi*

Digitized by Google

pinguia culta. quin ipse Plautus hoc modo hiare amat. in Aulularia prol. 5 *Patrí avoque iam huius qui nunc hic habet*. in Pseudulo IV, 7, 105 *'Eri imagine obsignatam epistulam hic ante ostium*. in Rudente I, 2, 93 *Si apíd me esurú's, mihi darí operam volo*. IV, 3, 80 *Quémne ego excepi in marí? at ego inspectavi e litore*. in Poenulo I, 3, 23 *Neque quántum aquaist in marí. abiturun es?* II, 49 *Certúm. tum tu igitur die bonó Aphrodisiis*. IV, 2, 81 *Qui éum surripuit huc devexit, meoque eró eum hic vendidit*. in Mercatore IV, 4, 9 *Abí. quid abeam? st, abí. abeamne? abi*. in eadem V, 2, 5 *Dómi erat quod quaeritabam*. in Trinummo II, 4, 159 *Lepide hércle agró ego hoc hunc senem deterrui:* sic Ambrosianus.

943. VITAE FINEM IACIS. *Finis*, quoniam suum quaeque ars loquendi usum habet, non *iacitur*. recte Lambinus FACIS, ne indicio quidem facto emendationis. Sallustius in Iugurtha 10, 3 *quoniam mihi natura finem vitae facit*. Cicero in epistularum ad Atticum libro XVI, 16, 16 *ut nostrae sollicitudinis finem quam primum facere possimus*.

945. QUOD PLACET. Recte omnes praeter veteres membranas *Quod* PLACEAT.

947. CONFECTI LANGUENTE, EADEM TAMEN OMNIA RESTAT. Corrector quadrati et ceteri LANGUENT et RESTANT.

948. SI PERGES. Hic quoque recte Lambinus, sed tacite, *si* PERGAS: nam in versu proximo, qui quadrato abest, ut dixi ad 759, legitur *si numquam sis moriturus*.

950. QUID RESPONDEMUS, SI IUSTAM. Marullus NISI. supra 771 oblongus *si erit consors*.

952. ATQUE OBITUM LAMENTETUR. Idem Marullus *At qui obitum;* non recte: debet enim ante hunc versum is collocari, qui orationis laxat vincula, dum naturae verba interrumpit, *Grandior hic vero si iam seniorque queratur*.

954. AUFER ABHINC LACRIMAS, BARATRE. Βάραθρος, convicium hominis barathro digni a compluribus grammaticis Graecis ex scriptore hodie ignoto relatum, quomodo poëtam Latinum decere possit non video. Marullus *barde:* rectius ii quorum nomina Turnebus in adversariorum XX, 26 reticet, qui volebant BALATRO. hoc idem post illos Nicolaus Heinsius invenit, qui exposuit ad Ovidii amorum III, 3, 1, probante Bentleio ad Horatii sermonum II, 3, 166.

Digitized by Google

neque enim credibilia sunt quae habent ad Horatii sermonum I, 2, 2 Acro et commentator Cruquianus p. 317, *legitur et barathrones, qui bona sua devorando quasi in barathrum mittunt.* sed idem Heinsius *Aufer , abi , hinc lacrimas ;* quod ne cui blandiatur, vitiosum esse paulo post curiosius ostendam. *abhinc* utrum *in posterum* significare posset docti disputarunt, Pacuvium in Armorum iudicio ita posuisse negare non potuerunt, *seque ad ludos iam inde abhinc exerceant,* quae verba sunt apud Charisium p. 175 . ergo eodem modo hic quoque accipiendum est; quod cur Handius improbet in Tursellino I p. 66 non intellego . *abi hinc* alius fortasse poëta scribere potuit, Lucretius certe non potuit, qui vocabula ïambi pedis mensura comprehensa, quale est *abi*, non modo cum brevi , ut dixi paulo ante , 941 , sed ne cum longa quidem syllaba collidit. facillime enim evitari potest quod unum habet huius collisionis exemplum, *equi atque hominis* in IV, 741: nam *suo in* libro IV, 472 aperte vitiosum est, neque mentione digna sunt *vel uti in viridi* et *uti in quadrato* quae leguntur in II, 322 et 780 . communis poëtarum tantum non omnium regula est, ne post vocabulum ïambicum in vocalem desinens syllaba acuta ponatur , nisi cum hiatu , velut *Hyla ómne sonaret; vale inquit Iolla; novo áuctus Hymenaeo; Posthabita coluisse Samo: hic illius arma* . ita *liquere ferae*, *ó quantus in armis* Gratius 528 . ita Catullus 114, 6 *Saltum laudemus , dum domo ípse egeat;* ubi male libri *dum modo* . Seneca et Phaedrus soli vetere ïambeorum licentia carere noluerunt. tragicus in Thyeste 1065 *et aggessi manu Mea ípse flammas*, in Troasin 973 *meae ígnota est*, in Medea 150 *Sile óbsecro*, in Hercule 262 *hoc sinu ímmenso exeat*, ibidem 813 *hac manu, hác* . Phaedrus III, 7, 15 *Veni ergo*, V, 10, 4 *Tace inquit*, in Perottinis 22, 10 *Ave usque :* neque in IV, 22, 8 improbarem *in Ceo insula* , nisi librorum scripturae propius esset *Cia* , de quo dixi supra ad versum 374 . horum similia habet in satiris comico metro scriptis Lucilius , item in versu Sotadeo Varro *equi hinniunt* apud Nonium p. 156, 25 . sed Vergilio in Aeneïdos VII, 464 imperite quidam apud Servium adscripserunt *aquae ámnis* , et imperiti fuere qui geminarunt *ite* in versu Silii X, 599 hoc, *Et gliscunt adversa metu. ite, ocius arma.* idem Vergilius *ago* et producta *o* et ante *et* vel *aut* elisa posuit : versus eclogae I, 13 non recte procedet, nisi vocali

Digitized by Google

correpta efferemus, *Protinus aeger ago: hánc etiam vix, Tityre, duco;* nisi forte scribendum est *ago, et iam hanc vix*. Catullus in carmine 61, 98, ubi in libris est *viden ut faces*, non scripsit *vide út faces Splendidas quatiunt comas*, sed *viden? faces:* nam *ut*, quotiens valeat id quod *quomodo*, acuto accentu efferri testantur Charisius p. 202, Diomedes p. 388, Servius ad Aeneidos I, 667. neque Horatius in epistularum II, 2, 163 dixit *nempe modo ísto*, sed *modo sto*. sic in Aeneïdos VI, 389 Mediceus prima manu *iam stinc*, in M. Tullii Accusationis libro I, 47, 123 Vaticanus *quem ammodum ste*, in eiusdem epistularum XV, 19, 4 Cassius *utrum sta*, ipse in IV, 3, 2 *quid me sta res*, Nonius p. 428, 4 ex Ciceronis de oratore I, 87 *quae sti rhetores*, idemque p. 448, 30 et 536, 33 e Varronis Modio *quam storum*, *iam stoc dicto* p. 476, 20 e Plauti Bacchisin IV, 4, 28, *ingenio si sto* e Caecilio comico p. 127, 16, e Patruo Pomponii p. 474, 25 *Mirum facies, fatue, si stud nimium* (libri *si studium*) *mirabis diu, nimium stuc* ex Adelphis Terentii II, 1, 15 p. 367, 23, in consonante vera *at stuc* ex Andria III, 3, 34 p. 219, 20 et apud Ciceronem pro Tullio cap. 8 *quid vobis, inquid, stic negoti immeo est?* idem hoc Priapeo 69 restituendum puto, ubi est *nisi*, sic, *Smerdaleon certe sti res non munda vocatur*, scilicet Homero, cuius sunt Σμερδαλέ' εὐρώεντα et Σμερδαλέος δ' αὐτῆϊ φάνη κεκακωμένος ἅλμῃ. atque ea pronominis forma non videtur tam rustica fuisse quam putavi cum de ea scriberem ad Ulpiani regularum librum 2, 7 et ad Gaïum p. 128. nam *isto* disyllabon in Horatii versu totum gravari potuisse credibile non est; quamquam Lucilius et Catullus hoc modo minoris ponderis vocabulo usi sunt *atque*, Silius quibusdam praepositionibus. Lucilii est *tute víde atque disýllabon* apud Nonium p. 26, 7, eiusdem *fímo atque sucérdis* apud eundem p. 175, 13, Catulli in *ióco atque víno* 12, 2 et *frater áve atque vále* 101, 10 (quamquam Quintilianus I, 6, 21 suo tempore *have* secunda correpta dici testatur, quod tamen poëtarum usus non confirmat), Silii II, 227 *Inter dumque mánu, inter dúm clamore minisque*, VIII, 75 *mitique mánu intra límina ducit*, X, 309 *misitque víri inter sídera nomen*. praemisi rariora et prope vitiosa: maior pars poëtarum post vocabula ïambica nullis aliis locum concessit nisi quae aut monosyllaba essent et gravia aut hyperdisyllaba post primam syllabam acuta. haec non modo ii quos ultra progressos esse dixi admise-

Digitized by Google

runt, Lucilius, Catullus, Seneca, Silius, sed Cicero, Vergilius, Horatius, Propertius, Ovidius in metamorphoseon libris, Petronius, Lucanus, Valerius Flaccus, Statius, Iuvenalis. sunt qui hoc collisionis genere rarissime utantur; Cicero in Arateis bis, *retro ad* 152, *Magnu' leo et claro* 263, idem de consulatu in II, 67 *modo ac virtute*, in Homericis de divin. II, 63 *viri et duros;* Petronius bis, *cie ac, tubae ac*, 120, 94 124, 270; Sulpicia Caleni semel *domi et* 22; Iuvenalis bis, *pati his epulis* V, 173, *morae impatiens* VI, 327, cum ter hiare maluerit, *Samo, hic* III, 70 *gula? ergo omnia* V, 158, *sua atque* VI, 274. semel in Ciri 94 *meo inficiunt*, semel Germanicus 439 *loco et*. Lucilii in hexametris haec notavi. *bono et* (Cic. ad Att. XIII, 52), *Et virtute tua et claris* (Non. p. 274, 21), *Tempestate sua atque eodem* (Gell. III, 14), *cito atque anquina* (Non. p. 536, 8). in Moreto 95 *Spargit humi atque abicit*. Vergilius in hoc genere *et* saepissime posuit, *manu et creta, diu et, ferae et, fere et, iugo et, veni et, solo et, pati et, nova et, cie et, fame et, draco et*, ut ea tantum enumerem quae sunt in georgicis; multo parcius *atque* elisa vocali, ut *cavae atque obiecta* georg. III, 253 434 Aen. X, 31 XI, 401, neque saepius *aut* georg. III, 466 X, 66 IX, 408, semel *in primis* Aen. I, 303, semel *ad* XII, 739, semel *id* georg. II, 263, semel *hunc* XII, 532; idem plurium syllabarum haec, *invádunt* Aen. III, 240, *involvens* VI, 336, *eloquio* XI, 383, omnia in secunda syllaba acuta. in Sabino idem Vergilius *Tua in palude*. Ovidius quidem in metamorphosesin sola *et* coniunctione ita usus est, et in secunda acutis; Lucanus *et* I, 578 IV, 238 471 V, 733 VI, 709, hyperdisyllabo nullo; praeter *et* monosyllabis, *aut* Horatius Propertius Silius, *atque* eliso et *ac* Silius, Valerius Flaccus, Statius, *ad* Catullus et Silius, *ex* Catullus, *in* Propertius, *deo inque aliis* Valerius Flaccus VIII, 102, *quod Iovi hoc regi* Seneca in Hercule furente 489, *non suo at vacuo* idem in Hippolyto 1268, *humo haud umquam* Silius V, 298, *hic* adverbio Statius Theb. V, 577, *equi ut videre* idem in VI, 486. quae in tertia quartave accentum habent paucissimi cum ïambicis colliserunt, Varius in versu senario *iam fero infandíssima* apud Quintilianum III, 8, 45, Seneca *Diu expetítos* in Thyeste 1022, Silius *noto advertére* I, 288, *loci explorare* VI, 168, *loci aspernatus* VI, 460, *sinu indefensa* VI, 652, *equo adventare* XV, 439, *morae increpitáre* VIII, 265, *freto imposuere* XVII, 255. hoc genus Catullo valde placuit,

Digitized by Google

Tuo imbuisse , e foro otiosum , sua occupati , Novi umbilici , die otiosi : Horatio in carminum III, 21 non ausim adscribere *mero incaluisse* , et Ovidius hiare maluit amorum II, 13, 21, *precibusque meis fave Ilithyia* . sed quod maxime memorabile est, non exigua pars poëtarum ab elisione vocabulorum ïambicorum omnino abstinuerunt: primum quidem quicumque praeter Catullum et Propertium Undenis pedibusque syllabisque scripserunt, Tibullus cum Lygdamo et Sulpicia, Ovidius , Priapeorum poëtae , Martialis , sed multi quoque alii, Ennius in hexametris , Varro extra Sotadeos , Lucretius, Valerius Cato , Gratius , Manilius , Iliados interpres , Columella , Persius . in hendecasyllabo tamen, ut puto , Bibaculus *duplici toga involútus* apud Charisium p. 102 . in Priapeo 64 male contra codicum fidem scribitur *sustinens diu aestátem :* debet esse *Parum est quod , hic ut fiximus semel sedem , Agente terra per caniculam rimas Siticulosam sustinemus aestatem* . ex elegiacorum numero excerpendus est qui composuit ad Messallam carmen , in quo est *rubro Eleis* 32 , item qui scripsit in epistula Helenae 97 *Disce meo exemplo* . sed in Priapeo 84 scribendum est *Vere rosa , pomis autumno* , non *rosa autúmno pomis :* atque in Ovidio amorum II, 19, 20 et in Martiale VII, 20, 20 Heinsius peccavit , cum fecit *time insídias* et *domo íntulit* . quod autem in operum Ovidianorum corruptissimo (tristia dico) legitur distichon ab omni parte absurdum , libro II, 295 , *Venerit in magni templum , tua munera , Martis , Stat Venus Ultori iuncta viro ante fores* (nam neque in templum intrat qui ea quae ante fores sunt videre vult, neque Mars Veneris vir est , sed Vulcanus), id quamquam emendare non poteram , non tamen propterea credebam Ovidium *viro ánte* scribere potuisse , quippe qui in tanto carminum nùmero nihil usquam simile ausus esset: nunc Maur. Hauptius manum poëtae emendatione pulcherrima restituit ita, *Stat Venus Ultori iuncta , vir ante fores* . idem tamen Ovidius locis non paucis *est* cum vocabulis ïambicis collisit; in quo dubitari non potest quin *e* litteram suppresserit , *tuost , meaest , locist , solost , rogost , diust , necist* . atque eadem haec, ex iis poëtis quos cautissime in hoc genere versatos esse dixi , habent Lucretius , Tibullus IV, 4, 7 *malist* et in Priapeo *novist* , Gratius 412 *malost* , Manilius II, 427 491 *parist* et *Iovist* , Priapeum 16 *virost* et 41 *suost* , Persius IV, 17 *bonist* , Martialis III, 97 *meost* , IV, 16

Digitized by Google

domist, VIII, 6 *virost*. ceteri qui hanc elisionem non solam, sed ea quoque quae supra commemoravi admiserunt, ut Vergilius (Aen. III, 629 IV, 691), Horatius, Catullus (*mea est* 87, 4, *notho es* 34, 15), Propertius (in huius libro I, 2, 7 Neapolitanus *tuaest*), Seneca, Phaedrus (I, 27, 8), Lucanus (I, 139 IX, 639 X, 358), Silius (XIII, 439 XV, 151), Valerius Flaccus (III, 555 VIII, 341), utrum vocales coniunxerint an *est* sua truncaverint, hac quidem ratione, nisi accesserint aliae, velut quae dixi ad librum I, 993, ad III, 374, ad IV, 1169, satis certo dici non potest: sed qui *est* post ïambica numquam usi sunt, Cicero, qui scripserunt Diras et Cirin, Germanicus, epitomator Iliados, Columella, Statius, Iuvenalis, horum pars dubitasse videtur an illud *est* sui parte privatum poësi non satis conveniret. ceterum rationem artis in disyllabis ïambicis positae (est autem horum synaloephe synizesi similior quam ecthlipsi) ex parte perspicere poterunt qui versus Italorum cognoverunt; in quibus ut regulas easdem observari ostenderem, aliquot Petrarchae carmina subieci. *Ma me, che così a déntro non discerno. Così in tútto mi spoglia. Con la lingua possente legò il sóle. Così avéss'io i prim'anni. I' son prigion, ma se pietà ancór serba. Or dimmi, se colúi'n páce vi guide. Sará' ancór meco, se'l desir non erra. Così mi vivo, e così avvólge e spiega. Me legò innánzi, e te prima disciolse. Tu vedrá' Itália e l'onorata riva.* nec raro in hoc genere hiatus admittitur aut necessario aut ex poëtarum arbitrio. *Veramente a così álto sospetto. Che farò ór, che son più presso a dio? Pensando pur, che sarò io? che fui? Però al mío parer non gli fu onore. Vedi colà un ángel che s'appresta. O signor mio, quando sarò io liéto?* superest ut hic quoque Plautum elisionem minus suavem interdum hiando evitasse dicam. in Asinaria V, 2, 45 *Díc amabo, an fetet anima túae uxori?* (sic recte Nonius p. 233, 6) *nauteam*. in Amphitruone V, 1, 54 *Nón metuo quin méae uxori latae suppetiae sient*. in Bacchidibus I, 1, 19 *Dúae unum expetitis palumbem*. ibidem III, 1, 14 *Túa infamia fecisti*. in Milite III, 3, 58 *A túa uxore mihi datum*. in Sticho I, 2, 95 *Sí quae forte ex Asia navis héri aut hodie venerit*. in Persa II, 2, 44 *Ubi illa álterast furtifica laeva? dómi. éccam húc nullam attuli*. in eadem IV, 3, 14 *Dí dent quae velis. eho an iam mánu emisti mulierem?* in Poenulo I, 1, 88 *Bóno ingenio me ésse ornatam*. et IV, 2, 51 *Vólucres tibi erunt túae hirquinae*.

Digitized by Google

958. INPERFECTE TIBI. Antonius Marii et Marullus IMPERFECTA.

960. DISCERE RERUM. Oblongus prima manu *dicere*. Itali et impressi DISCEDERE.

962. AEQUO ANIMOQUE AGENDUM MAGNIS CONCEDE: NECESSEST. Itali et impressi AGEDUM. tum Marullus *iam aliis concede*. debuit paulo vehementius dici, et propius ad litteras, DIGNIS *concede*. Horatius *Absumet heres Caecuba dignior*.

964. CEDI ENIM. Itali et impressi CEDIT.

966. NEC QUISQUAM IN BARATRUM NEC TARTARA DEDITUR ATRA. Quadratus *dedit*, eiusdem corrector *decidit*. hoc arrepto Lambinus *Nec quicquam decidit*. Bernaysius p. 547 cum in Leidensibus *quicquam* esse scribit, mihi videtur falli: certe ego in utroque me non *quidquam* sed *quisquam* scriptum legisse annotavi.

978. ATQUE EA NI MIRUM. Ita membranae, ita Antonius Marii, ita apud Priscianum p. 554, ubi et hoc versu utitur et 984, omnes Krehlii codices. at olim impressi *Atque animarum etiam*, errore mirabili, quem auxerunt scribendo *Atqui* Marullus Avantius Naugerius et in Prisciano Putschius. Lambinus id quod verum est restituit: Wakefieldus Eichstadius Forbiger quid optaverint iam sciet qui eos cognorit.

983. QUEM CUIQUE. Sic oblongus, Itali, olim impressi, Marullus. *quemcumque* quadratus, itaque ex suis Lambinus; qui quod ita legi debere dicit fallitur. infra 1086 *Quidve ferat nobis casus*. Lucilius apud Nonium p. 425 *Cui parilem fortuna locum fatumque tulit fors*.

985. NEC QUID SUB MAGNO. *Ne* prima manu oblongus. QUOD Marullus.

987. PROIECTU. Apud Macrobium Sat. VI, 4 *proiectum*.

988. NOVEM DISPERSIS IUGERA MEMBRIS OPTINEAT. *Dispersa* Apsyrti vel Orphei *membra* ad Tityon non pertinent. recte Turnebus in adversariis XXII, 19 DISPESSIS. sic ille, memor Gellii XV, 15, non *dispensis*, quod ei adscribit Lambinus; cuius errorem, ab Havercampo frustra admoniti, fortiter repetierunt et Wakefieldus et Forbiger. habent tamen *dispanse* libri in I, 306, ubi Nonius *candenti*.

992. SED TYTIOS NOBIS HIC ES. Quadratus *Titios*.

Digitized by Google

supra uterque *Tityon*. quadrati corrector et Itali *hic* EST: olim impressi *hic et*.

994. SCINDUNT CURPEDINE CURE. Corrector oblongi *turpedine*, quadrati CUPEDINE, itaque primus post eum Lambinus cum Turnebo in adversariorum x, 8. libro v, 45 *Quantae tum scindunt hominem cuppedinis acres Sollicitum curae*. in versu proximo *quoque* omittit quadratus.

997. TRISTIQUE RECEDIT. Corrector quadrati et ceteri TRISTISQUE. Horatius *pono tristisque recedo*.

999. DURUM LABOREM SUFFERRE. Idem corrector et impressi SUFFERRE LABOREM.

1001. QUOD TAMEN SUMMO IAM VERTICE RUSUM VOLVITUR. Marullus *a summo*, Avantius E *summo*. in v, 1125 *Et tamen e summo*. in IV, 86 *ex summo*. in III, 197 *Cogere ut ab summo*.

1005. QUOD FACIUNT NOBIS ANNORUM TEMPORA, CIRCUM CUM REDEUNT. Nonius quae ante haec proxime posita sunt attulit p. 298, 9 et 424, 6: hic, ubi interpretes tacent, nos non adiuvat. quaero enim quid illud sit *quod faciant nobis* anni tempora: nam certe anni non faciunt, sed cupiditas nostra, ut animus numquam expleatur atque satietur. pascere quidem anni tempora animum, non corpus tantum, facilius concedam, sed non *circum redeuntia:* nam *circum redire* quid sit non intellego. scilicet *quod* coniunctio est, ita, *Quod faciunt nobis annorum tempora* VICTUM, *Cum redeunt, fetusque ferunt variosque lepores, Nec tamen explemur vitai fructibus umquam*. ceterum oblongus hic habet de more *vita fructibus*, sed quadratus *vita eruntibus*. haec autem quae ad Danai filias pertinent omnia 1003 — 1010 Servius in VI Aeneïdos 596 praetermittit, ubi cetera e Lucretio exponit hoc modo. *Sane de his omnibus rebus mire reddit rationem Lucretius, et confirmat in nostra vita esse omnia quae finguntur de inferis. dicit namque* Tityon *amorem esse, hoc est libidinem. — ipse etiam Lucretius dicit per eos, quibus* iam iam casurus imminet *lapis, superstitiosos significari, qui inaniter semper verentur et de diis et caelo et locis superioribus male opinantur. — per eos autem qui* saxum volvunt, *ambitum vult et repulsam significari, quia semel repulsi petitores ambire non desinunt*. scilicet grammaticus ordinem et verba Vergilii sequitur, a quo Danaides non commemorantur. sed idem Servius quae his

Digitized by Google

subicit, *Per* rotam *autem ostendit negotiatores, qui semper tempestatibus turbinibusque volvuntur*, ea a mythographis Maii p. 123[b] et 190[a] ita accepta sunt quasi auctor ea e Lucretio rettulisset, cum is ita illa Vergiliana interpretetur, 616, *radiisque rotarum Districti pendent*. perspexit hoc Iacobus Bernaysius, qui rem exposuit p. 584.

1009. COGERE IN VAS. Corrector quadrati et ceteri CONGERERE.

1010. EXPLERI ULLA RATIONE POTESTUR. Itali et impressi NULLA. Pompeius grammaticus p. 446 sine auctore *magna fieri ratione potestor*.

1011. CERVERUS ET FUNAE IAM VERO, ET LUCIS AEGESTAS, TARTARUS HORRIFEROS ERUCTANS FAUCIBUS AESTUS; QUI NEQUE SUNT USQUAM NEC POSSUNT ESSE PROFECTO. Corrector quadrati et alii *Cerberus et* FURIAE. tum, quia *lucis egestatem* sub terra esse negari non debet, Marullus eximie *et lucis* EGENUS *Tartarus:* hoc enim melius est quam *lucis egestas Tartarea*, cui minus proprie adscribentur fauces et ructus. in Aeneide Medicea v, 751 prima manu *egestes* scriptum est pro *egentes*. sed orationi verbum deest ante pronomen relativum, neque ipsum *Qui* genere masculino positum prioribus convenit. itaque Marullus scripsit *Haec neque sunt*, quod praeter Wakefieldum eiusque imitatores omnibus placuit. poterit tamen leniore cura oratio magis erigi, hoc modo. *Cerberus et furiae iam vero et Tartarus* QUID? *neque sunt usquam nec possunt esse profecto*. ita saepe hic poëta. in IV, 119 *Quid cordis globus aut oculi? quid membra? quid artus? Quantula sunt! quid praeterea primordia quaeque? Nonne vides quam sint subtilia quamque minuta?* in II, 975 *Quid, genus humanum propritim de quibu' factumst?*

1014. PAENARUM. 1015. SCELERISQUE LUELA. *Penae* parum diligenter scripsit librarius Gaïi III, 223, quod ferendum non esse dixi ad eius librum II, 66. paulo post membranae *nec que sit* POENARUM, 1021. LUELLA rectius scribitur quam *luela*, neque peccat in hoc genere oblongus nisi hic et in V, 71 230, ubi in utroque *loquela*, quadratus paulo saepius, III, 954 IV, 546 584 1182 V, 1384 VI, 15 16 1244. habemus autem hic auctores non grammaticos verae rationis ignaros, sed eos libros e quibus orthographia vulgaris optime disci potest, Vergilium Mediceum, institutiones Gai,

Digitized by Google

novum testamentum Fuldense a me editum, digesta Florentina. itaque *l* simplici scribuntur in quibus *e* litteram longa syllaba praecedit, ut *custodela clientela suadela candela sutela cautela tutela corruptela mandatela* (Gaïus II, 104, Priscianus p. 622) *acutela* (Priscianus ibidem). *l* geminatur ubi prima brevis est: eaque a tertia ac simplici forma fecerunt veteres, ut *loquellam querellam sequellam;* ergo *luellam*, quem admodum *fugella* bene scriptum est apud Priscianum p. 601, male *confugela* apud Paulum diaconum p. 31 Lindemanni, item male *obsequela* p. 114, *obsequella* recte in Asinaria Plauti I, 1, 50. a secunda nemo ante Gellium *medellam* (sic recte codex Minucii Felicis, ut testatur Hildebrandus ad Arnobium p. 633, item sic scholia Bobiensia ad Ciceronis orationes p. 251, 8 Orellii), itaque *monellam*, puto, non *monelam*, Tertullianus, *nitellam* κάλλυντρον recte glossarium, quae *nitela* apud Terentianum Maurum 316 et Solinum. non veniunt in hunc censum *turbellae*, quod mihi deminutivum videtur, neque ulla causa est cur *e* producatur. sunt tamen deminutiva quaedam vocali producta, sed ea contracta; qualia sunt, eliso vel *c* vel *n* vel *r* (nam *x* omisso non duplicatur liquida), *paullus*, *villa*, *vervella* (grammaticus Vindobonensis p. 106); *corolla*, *catella*, *pistrilla*, *catillus*, *salillum*, *villum*, *ullus*, *nullus* (ad quorum exemplum formarunt *ellum*), *Messalla*, *Hispallus*; *stilla*, *ralla tunica*, item *Sulla* ut quibusdam placet, *olla* rectius quam *aula* (nisi quod eodem errore vulgo dicebant *Messalam* et *paulum*), hoc est parva *horia* sive *oria*, σκάφη, ab hauriendo. ex eodem deminutivorum numero est *nitella* (ita recte in Martiale V, 37 Schneidewinus) et *ficella*, quo Iuvenalem puto usum esse in satira XIV, 9: nam *Mergere ficedulas* non potuit scribere. *nitedulam* in Sestiana Tullii 72 agnoscunt non modo codices, sed scholia Bobiensia p. 303, 11 16 Or. et Priscianus p. 613. idem vocabulum Horatio in epistularum I, 7, 29 a Bentleio restitutum qui non accipiunt, rationem et genera fabellarum ignorant. Servii neglegentia est, cum Ciceroni adscribit *nitelam* ad georgicon I, 181; Hildebrandi plus quam neglegentia, qui ad Arnobium p. 197 *nitedulam* Latine dici neget, e codice Arnobii in II p. 75 *nitelulam* recipiat, muremque agrestem ita non a pedum nisu sed a nitore dictum opinetur. potuit tamen esse aliqua eius consonantis, quae est ante deminutionem, mutabilitas: nam in

Digitized by Google

glossariis *ficeculam* et *fecetulam* invenio, apud Nonium *ficetulam* et *querquetulam* p. 48, 20 274, 11 91, 4, apud Plautum in Asinaria III, 3, 104 et in Captivis V, 4, 5 *monerulam*. Lucilii apud Nonium versiculi sic legendi sunt, *et circum volitant ficetula, turdi Curati scite:* libri *ficetulae* et *curatis soci*. de *cunela*, quae *cunebula* dicitur in glossariis Labbaei (ea Graecis est κονίλη media syllaba producta), expectabo iudicium doctiorum. ac video Ritschelio ad Trinummum p. CCLXXIX probari *cunilam* media correpta.

1016. DE SAXO IACTUS EORUM. Prorsus egregie Lambinus *iactu'* DEORSUM.

1017. VERBERA, CARNIFICES, ROBUR, PIX, IAMMINA, TAEDE. Quadratus *carnificis*. tum eiusdem corrector *lamina*, itaque Venetus editor et Marullus. hoc rectius scribitur LAMMINA; cui cur breviorem formam, quae est *lamna*, Ph. Wagnerus adversari dicat in orthographia Vergiliana p. 444 non assequor. *lamminae* apud Frontonem p. 240, *lammina* Prudentius Heinsii peri steph. 5, 62, sic vetus Plauti in Asinaria III, 2, 4, codex Arnobii libro VI p. 201, Tacitus Mediceus historiarum I, 79, nec debuit sperni in Ovidii fastorum I, 208.

1019. TORRETQUE FLAGELLIS. Potest aliquis *uri* flagellis, *torreri* non potest. N. Heinsius in adversariis p. 177 *torquetque*. sed hoc quoque nimium: satis est *adhibet stimulos* TERRETQUE *flagellis*.

1031. SUPER IRE LUCUNAS. Ita oblongus: in quadrato ipsa prima manus ex *u* fecit *a*. in VI, 538 uterque *lucunas*. in eodem 552 *lucunas* prima manu oblongus, quadratus *lacunas*. in georgicon III, 365 Mediceus prima manu *lucunae*. hoc quo confirmem praeter exempla in praesentia nihil habeo: sed malui observare et posteris illustrandum relinquere quam, quod adhuc factum est, celare. ceterum libri olim impressi et Marullus habent *superare lacunas;* quo admisso tamen non tollitur molesta ac prorsus intolerabilis orationis abundantia: quare verius esse censeo Lucretium hos versus primo aliter scriptos dedisse, nunc autem ceteris ita ut sunt constitutis hunc versum a correctore, quem saepe neglegentissimum fuisse videbimus, iniuria servatum esse, cum deberet circumscribi.

Digitized by Google

1032. Et contemsit equis insuitans. Corrector quadrati et ceteri insultans.

1033. moribundo corpore fugit. Marullus fudit.

1034. Scipiadas, belli fulmen. Correctores antiquissimi et recentiores universi, item Macrobius Saturn. vi, 1, *Scipiades*. sane hanc recti casus formam Priscianus statuit p. 729; recte quidem: sed ea qui usus sit nullum poëtam novi. et in vocabulo quod Ennium primum invenisse probabile est, iure quaeri potest quamnam ille Graecam formam eligendam putaverit; quamquam eundem hiatu admisso, cuius causam ad librum vi, 743 exponam, *Scipio invicte* scripsisse Cicero testatur in Oratore 152. quod ab eo in prohoemio annalium positum fuisse suspicor, paulo ante hos versus, qui apud Trebellium Pollionem in Claudio non satis emendate scripti extant, *Quam tantam statuam statuet populus Romanus, Quamve columnam, quae te res gestasque loquatur?* Lucilium certe *Scipiadas* casu recto dixisse invenio in his versibus, qui apud Festum leguntur p. 294, 27 tam foede corrupti ut de verbis desperandum sit: sententiam et orationis formam mihi recte eruisse videor. *Corneliu' Publiu' noster Scipiadas, dicta Apulu' dum usque intorquet in ipsum, Oti a deliciis, Luci, effeto atque cinaedo et Sectatori adeo ipse tuo quae rectiu' dicas, Ibat forte domum: sequimur multi atque frequentes*. de *Apulo* in his versibus nihil affirmo: sed in alio Lucilii versu, qui est apud Priscianum p. 902, hoc nomen librarii penitus oblitterare non potuerunt, *Num vetus ille Catoni' lacessisse Apulus iram Consciu' non erat ipse sibi? Apuli* sunt huic pro importunis ac petulantibus, ut Horatio pro simplice *Sabellus*, cum dicit *renuit negitatque Sabellus*. versu proximo Lucretii an Ennii Marius Victorinus utitur p. 2499, ita, *ac* (Parisiensis liber *a*) *famul infimus esset.*

1037. quorum unus homerus Sceptra potius. Apud Nonium p. 481, 27 *Esceptra potitur*. potitus Antonius Marii et Brixiensis editio. quod paulo post sequitur 1041 *Sponte sua leto* Lactantius habet in iii institutionum 18, 6.

1042. Ipse epicurus obiit decurso lumine vitae. Antonius Marii et Marullus *obit*, quod ceteri sine dubitatione acceperunt, ego si falsum esse dixero, non facile inveniam qui mihi credat: adeo grammatici nostri ea quae quivis puer Romanus sciebat neglegunt, nos autem senes

Digitized by Google

ea operose quaerere cogimur quae nobis magistri nostri olim tradere debebant. itaque ante omnia sciendum est haec verba *iit* et *petiit* cum compositis *i* altera extenta proferenda esse. cuius rei firmissimum argumentum est quod et in tabula votiva L. Mummii, in Arvalibus Marini p. 30, legitur *Romam redieit triumphans*, et in lege Thoria *venieit* quinquiens scriptum extat, 58 *quei ager publice non venieit*, 65 67 *quod eius publice non venieit*, 75 *quei Romae publice venieit venieritve*, 91 *publice venieit;* in eadem semel 65 *veniet*, cui similia sunt *adiese adiesent adieset* in s. c. de Bacchanalibus. alterum argumentum ex Ovidio duci potest, qui non modo *subiit abiit* cetera produxit, sed etiam *petiit*, et quidem aliis condicionibus quam quibus eum caesurae aliquid concedere anno 1848 in libello academico subtilius ostendi. *subiit argentea proles* metam. I, 114. *Me petiit: ipsa licet hoc* III, 567. *Interiit: at vos* III, 546. *Elususque abiit: illi sua reddita forma est* VIII, 870. *Non adiit apte, non legit idonea, credo, Tempora, nec petiit horamque animumque vacantem* IX, 610. *in iuvenem rediit, et anilia demit* XIV, 766. *Ut rediit animus* epist. VI, 31 et in arte III, 707 item fast. III, 333 V, 515. *Et petiit herbae* amor. III, 5, 30. *Qua periit aliquis* amor. III, 8, 17. *Et longo periit arida facta situ* tristium libro III, 14, 36. *Ille abiit: eadem crimina Bacchus habet* fastorum III, 474. item Seneca et Phaedrus haec perfecta cum ante vocales ponunt, ultimam aperte producunt. Phaedrus IV, 4, 5 *Rediit ad hostem*, Seneca *Petiit ab ipsis, Abiit arenas, Rediit Achilles*, Herc. fur. 244 321 Tro. 806. itaque hi poëtae quo minus consonante littera insequente haec, ubi ternis syllabis opus est, ut in Agamemnone 944, in Hippolyto 135, similiter extulisse putentur nulla causa est. deinde tertium est argumentum cur plerique ita dixerint, quod nullus poëtarum haec verba corripuit. nam apud Silium XIII, 166 Coloniensis libri auctoritas tantum valere non debuit ut scriberetur *mediam tunc transiit ictu Parmam*, pro *transigit*. neque apud Tibullum in I, 4, 27 probari potest quod plerisque placuit, *transiit aetas Quam cito*, quoniam *Quam cito* in duobus proximis versibus ab initio sententiarum positum recurrit. recte libri omnes *transiet:* ita *exient* Iulius Modestus apud Charisium p. 100: *At si tardus eris* (immo *tardueris*), *errabis: transiet aetas. Quam cito non segnis stat remeatque dies!* quam cito, inquit, dies non stat,

Digitized by Google

hoc est qui modo stare videbatur (Stat. Th. v, 86, Horat. c. III, 28, 5) inclinat ac deficit, et remeat, cum post noctem redit! ac ne in Sulpiciae quidem satira 23 virtus Romana satis apte *exiisse* dicitur in mare Siculum et Carthaginem, sed *Romam* ipsam *virtus agitata domi et socialibus armis In freta Sicaniae et Carthaginis exciit arces*, *Ceteraque imperia et totum simul abstulit orbem*. hoc tamen facile concedo, tam miram prosodiam, cuius rationem non intellegerent, quibusdam non valde placuisse. nam quae quartae declinationis sunt breviantur, ut *ambiit audiit leniit emuniit acciit*, item *quaesiit*, nisi ubi productio excusationem habet, velut ante vocabulum Graecum aut in penthemimeri sequente *et* copulativo, ut in Valerii Flacci VIII, 259 *inpediit Hymenaeos*, in Ovidii metam. XII, 392 *inpediit et inani: siit* in Terentii Adelphis I, 2, 24 agnoscere videtur Diomedes p. 371, *desiit* in versu non inveni, sed dixerunt *desit* Manilius V, 563, Martialis VI, 26 VII, 39 X, 86 90 XI, 25. itaque multi sunt qui *petiit* numquam dixerint, non nulli autem ne *subiit* quidem; pars aut utrumque genus, aut ea tantum quae eundi significationem habent, non nisi ante consonantes, ut Lucretius, Catullus, Tibullus, Gratius, Germanicus, Silius. alii, qui his ante vocales usi sunt, ita semper posuerunt ut possint imperitis videri propter caesuram producta esse: sic *petiit* Vergilius Aen. X, 67, Propertius I, 10, 23, Martialis X, 60, sic cetera Vergilius, Horatius, Persius, Valerius Flaccus, Statius, Martialis, Iuvenalis. neque Plautus aut Terentius ita in versibus collocarunt ut ultimae syllabae quantitas certo intellegi possit, sed hoc modo, *Dum haec loquitur, abiit hora*, in Eunucho II, 3, 50, aut *Satin abiit ille?* in Milite II, 6, 1; nisi quod in Cistellaria IV, 2, 35 versus Bacchiacus optime sic incedit, *Contémplabor. hínc huc iít. hinc nusquam ábiit*. tantum de his perfectorum formis, in quibus *i* duplex est, dixi, ut appareret qua condicione his singuli usi essent. in formis contractis triplex est poëtarum consuetudo: sunt enim qui has tantum modo ante consonantes vel in exitu versuum ponant, Phaedrus, Seneca, Silius, cum plerique eas non nisi ante vocales admittant, comici autem veteres utroque modo. Phaedrus in fine versuum *proximam villam petit, vos quod rapuistis perit, secretum petit*, II, 8, 3 IV, 22, 27 25, 6. sic Seneca Herc. f. 826 Phoen. 210 Hipp. 728 Oed. 803 Tro. 50 348 460

Digitized by Google

493 597 631 Med. 984 994 Herc. 1062 1089 1421 1616 1681 1760 1911 1977 *petit perit abit adit redit obit*, idemque in mediis versibus *quonam abit tegimen* Herc. fur. 1151, *cum perit nescit* Agam. 113, et similia in Hercule altero 1865 1867. Silius in III, 228 *Saevior it trucibus*, IV, 344 *Ensis obit laudemque*, XI, 78 *numquamne per aures It vestras?* huius modi nihil audent Vergilius, Ovidius, Gratius, Germanicus, Lucanus, Petronius, Statius, Martialis, Iuvenalis. sed dixit *petit Euandri* Vergilius Aen. IX, 9, Ovidius trist. I, 10, 25 *Dardaniamque petit auctoris*, fastorum I, 109 *Flamma petit altum*, metam. V, 460 *latebramque petit aptumque colori*, Lucanus *Tecta petit aut* V, 522 et similia IX, 32 X, 64. porro Ovidius in VIII, 349 *Longius it, auctor*, et Vergilius Aen. IX, 418 *Dum trepidant, it hasta Tago*, cui versui Wagnerus Creticum intulit contra exemplarium veterum auctoritatem, Germanicus 128 *cuius abit usus*, Lucanus ante vocales *adit* IX, 347, *abit* VII, 75 VIII, 321 (*Nomen abit, aut unde redi*), *perit hoc* (sic recte Heinsius) VIII, 86 422 IX, 129, *obit* IX, 190, Petronius 128 *redit animus*, Statius ante vocales *subit obit coit perit init* Silv. I, 6, 93 IV, 3, 130 V, 1, 258 Theb. II, 474 III, 209 544 VIII, 332 X, 150 323 XI, 124 Ach. I, 458, Martialis *abit Helene* I, 62, Iuvenalis *redit abit obit perit* III, 174 VI, 128 295 559 X, 118. cum prima longa est, solet fere *transiit* et *exiit* scribi, sed falso, cum Creticus pes fiat pro dactylo vel anapaesto: dixit Vergilius *Exit ad caelum* georg. II, 81, *Exit oppositasque* Aen. II, 497, *Aerea quem oblicum rota transit aut gravis ictu* V, 274, *Transit intextum* (*Transiet* Mediceus) X, 785, *Transit et parmam* 817, Gratius 139 *Exit inque ipsa*, Statius *Transit hasta duos* Theb. XII, 750, denique Martialis II, 64 *transit et Nestoris aetas*. iam vero Lucretius (tandem enim ad hunc veniendum est) cum dixerit *Ater init oculos* et *prima perit alioque* IV, 314 771, credibile non est eum dixisse *obit decurso*, nisi hunc unum ex omnibus licentiam comicorum imitatum esse existimamus. nam Terentius sane et ante vocales his formis usus est et ante consonantes litteras. in Hecyra III, 2, 12 *Hem istóc verbo animus mihi redit et cura ex corde excessit*. in Phormione IV, 4, 25 *Intro it in aedis ater alienus canis*. in Eunucho III, 5, 45 *It, lávit, rediit, deinde eam*. V, 2, 53 *Nutrícem adcersitum it, quae illam aluit parvolam*. item in versus fine *abit* in Adelphis V, 2, 7, *adeo res redit* in Phormione I, 2, 5. in Plauto nobis otium facit

Digitized by Google

Alfredi Fleckeisenii diligentia, qui in exercitationibus Plautinis Gottingae anno 1842 editis omnes horum perfectorum formas magno cum studio contulit. itaque ex eius libelli p. 8 et 29 quae huc pertinent peti possunt; nisi quod mihi Plautus paulo saepius quam viro doctissimo placuit *it* ante vocalem posuisse videtur. in Pseudulo II, 4, 40 *Qui á patre advenit Carysto, nec dum exit ex aedibus*. in Poenulo I, 1, 75 *Sed Adélphasium eccam exit atque Anterastylis*. in eadem III, 3, 70 *Bonám dedistis mihi operam. it ad me lucrum*. in Casina III, 5, 54 *Quid úxor mea? eám* (hoc addidi) *non adít atque adémit?* in Milite II, 2, 96 *Nón domist, it* (libri *abiit*) *ambulatum, dormit, ornatur, lavat*. in Curculione IV, 2, 3 *Nemo ít infitias. at tamen meliusculum est monere*. sed in Lucretii versu iam, nisi fallor, apertum est *obit decurso* ferri non posse. hunc igitur scripsisse censeo *Ipse Epicurus* IIT. sic idem *contagibus ibant* VI, 1242, *hominem paulatim cernimus ire* III, 526, *vis nulla refrenet Res neque ab exitio possit reprehendere euntis* VI, 569. nam siquis *obit* retinere volet, scribendum erit *Ipse Epicurus obit excurso lumine vitae*. ita Terentius in Adelphis V, 4, 6 *Prope iam excurso spatio*, quod Bentleius sine causa reicit: nam et simillimum huic est quod Paulus ex Festo libro I p. 23 refert, *ad exitam aetatem*, et apud Vitruvium in X, 9, 3 hoc, *quantum diurni itineris miliariorum numero in reda possit exiri*, nec Prisciani ratio habenda est, qui in scholicis auctorum exemplis adferendis magna utitur erroris quoque constantia; ubi secum dissentit, doctiores sequitur. ceterum interpretes *vitae lumen* quomodo *decurratur excurraturve* non recte explicant, scilicet obliti se in libro II, 79 legisse *Et quasi cursores vitai lampada tradunt*.

1044. RESTINCXIT, STELLAS EXORTUS UT AERIUS SOL. Quadratus *Restinxit*, apud Lactantium inst. III, 17, 23 *Extinxit*. idem Lactantius AETHERIUS *sol*, quomodo semper Lucretius, Maro, Ovidius. *haerius* prima manu oblongus.

1050. NEC REPERIRE POTEST IBI QUOD SIT SAEPE MALI. Oblongus *repperire*: ita idem in I, 488 III, 317, 986. sic saepe libri antiquissimi: sed aliter poëtae veteres. in Phormione Terentii I, 4, 1 scribendum est *Nullu's, Geta, nisi aliquod iam consilium celere reperies*, non *repperis*, non *repereris*. in eadem II, 1, 5 *atqui reperiam* Phaedriae verba sunt, non

Digitized by Google

atqui reperi iam Getae. in Rudente Plauti IV, 3, 87 *Mane, iam reperiam quo pacto nec fur nec socius sies;* ubi libri habent *repperi rem*. tum Itali recte POTES et TIBI et QUID, sed ordine perperam mutato, *potes quid sit tibi*.

1052. ATQUE ANIMO INCERTO FLUITANS ERRORE VAGARIS. Haec ut sunt horrida Wakefieldo placent. Lambinus ANIMI.

1061. ESSE DOMI PER QUEM PERTAESUMST SUBITOQUE. Quadratus *pertesum sit*, quasi ad complendam versus mensuram. PER praeter veteres membranas omittunt omnes. addit in fine Antonius Marii *reventat*, quod Latinum non est: Marullus optime REVERTIT. sic in V, 1153 *Atque unde exortast, ad eum plerumque revertit*.

1063. AD VILLAM PRAECIPITER. Quadratus *praecepiter*. Itali et impressi PRAECIPITANTER.

1064. INSTAS. Corrector quadrati et ceteri INSTANS. mox quadratus non habet illa, *atque oblivia querit Aut etiam properans urbem petit*.

1068. AT QUEM SCILICET, UT FIT, EFFUGERE HAUT POTIS EST, INGRATIUS HAERET ET ODIT. Lambinus recte INGRATIS. sed subest alterum vitium ab interpretibus neglectum. his enim opposita sunt quae praecesserunt, a Seneca de tranquillitate animi II p. 346 minus curiose ita relata, *Hoc se quisque modo semper fugit*. sequitur *at quem scilicet Effugere haut potis est*, hoc est se ipsum. in hoc locum non habet *ut fit*, quod interiectum est: nam sese homo aut semper effugere potest aut numquam, quoniam hoc totum figurate dicitur. ergo scribendum est *Hoc se quisque modo fugit*, scilicet loco commutando: *at* QUOM *scilicet, ut fit, Effugere haut potis est*, cum in loco manere cogitur, *ingratis haeret et odit*. iam haec quoque aperta sunt, *haeret et odit*, quae Marullus et Wakefieldus miris modis vexarunt.

1073. AETERNI TEMPORIS QUONIAM. Oblongus *Aeternitatem corporis quoniam*, litteris *ta* et *cor* subnotatis. Marullus TEMPORIS AETERNI. ita recte scriptum supra versu 973.

1075. QUAE RESTAT CUMQUE MANENDO. Wakefieldus se haec intellegere ait, *aetas sit manendo*, Eichstadius interpretatur *manendum sit aetate*. hos miror supra in versu 391 non probare quod habent libri, *est in nobis multa ciendo*

Digitized by Google

semina. multum differt ab his Lucilianum *habendo*, quod Philargyrius ad georgicon III, 159 dicit esse *id quod habetur*; non satis recte, cum haec sint verba Lucilii, *Non numquam dabit ipsa aetas quod prosit habendo:* sic enim debet esse, ut in Lucretii I, 312 *subter tenuatur habendo:* libri *quod possit*. recte Lambinus MANENDA, nisi quod haec male coniunxit, *in quo sit mortalibus omnis aetas manenda*. hoc multo peius Orellius *in quo sit omnis aetas manendum*. scilicet hoc ei tam Latinum videtur quam quod in V, 44 libri habent, *pericula sunt insinuandum*.

1078. CERTE EQUIDEM FINIS. Lambinus CERTA QUIDEM *finis*.

1084. VITA SEMPER HIENTIS. Quadratus *vitae*. Itali et impressi VITAI, deinde HIANTIS.

1085. FORTUNA. Itali FORTUNAM.

1088. NEC DELIBERARE VALEMUS. Marullus DELIBARE. Avantius *delibrare*, hoc est decorticare, quod probant Havercampus, Wakefieldus, Eichstadius. 'iure', inquit Forbiger; hoc est iure probandi quidquid valde ineptum est. Lambinum hic non rectius iudicasse miror: sed obfuit illi quod probavit *delibare* Gifanius.

1089. QUO MINUS ESSE DIU POSSUMUS FORTE PEREMPTI. POSSIMUS corrector quadrati cum Italis et impressis. tum Itali *morte*, Marullus et Avantius *sorte*, non recte: nam *forte* convenit irridenti. versu proximo quadratus *ducere saecla*.

1093. LUMINE QUI FINEM VITA FECIT. Hic quoque, ut supra, quadratus *vitae*. VITAI Plotius grammaticus scriptum legit, quamvis Putschius p. 2629 ediderit *vitae*. *Pentaschematisti dactylici*, inquit (notabimus autem eum non dicere hexametros), *fiunt modis quinque. si primus sit dactylus, ceteri quattuor spondei, ut Lucretius libro tertio Limine qui finem vitai fecit; et ille Vergilii* (scilicet si duas vocales elidimus), *Nereïdum matri et Neptuno Aegeo*.

IV, 1. AVIA PIERIDUM. De huius libri prohoemio disputavi ad I, 922; quo loco eos scriptores dixi qui horum versuum partem numero libri sive primi sive quarti apposito attulerint. qui numerum non addunt, libro quarto potius usi sunt, certe ii qui ipsum primum versum referunt, ut Quintilianus in institutionum VIII, 6, 45 et qui de disciplinis

Digitized by Google

scripsit ea quae cum Censorini libro confusa sunt p. 93, 12. item haec imitatur, non ea quae in primo his praemittuntur, Nemesianus in cynegeticis 8 ita, *ducitque per avia, qua sola numquam Trita rotis. iuvat aurato procedere curru Et parere deo. virides en ire per herbas Imperat. intacto premimus vestigia musco*. Horatium quoque ad initium libri potius respexisse putaverim, cum illa verba quae sunt *iuvat integros accedere fontis* in id carmen, quo primo *fidibus novis Lesbioque plectro* Alcaeum exprimere ausus est, sic transtulit, *o quae fontibus integris Gaudes*, I, 26.

7. Religionum animum nodis. Lactantius institutionum I, 16 *libet tamen prosequi cetera et redarguere plenius inveteratam persuasionem, ut tandem* homines *suorum pudeat ac paeniteat errorum. magnum hoc opus et homine dignum: Religionum* animos *nodis exsolvere pergo, ut ait Lucretius*. idem in IV, 28, 13 *qui ait religionum se nodos solvere*. Pius ad librum primum 'Modulatius *animos* leges'. hunc in libro primo Lambinus secutus est, in utroque Creechius; quem Eichstadius imitatur, Wakefieldum recte monentem non curans: at Forbiger, nequid intemptatum maneret, in primo *animum*, in quarto *animos*.

8. tam lucida pando Carmina. Hoc Wakefieldus et Forbiger probant, Lambinus sciebat Latinum non esse. in primo membranae pango.

11. Nam veluti pueris absinthia. *Ac veluti* Quintilianus III, 1, 4, item Nonius p. 413, 16 et Hieronymus tomo II p. 1024 editionis Veronensis; fortasse errore memoriae, quoniam illae particulae fere coniungi solent. oblongus *apsinthia* et versu 16 *Apsinthii*. *absenti* quadratus in II, 400. quadratus in VI, 1217 *apsiliebat*.

13. Contingunt mellis dulci. Hieronymus *Contingunt dulci mellis*. Quintilianus *Inspirant* (ita Ambrosianus, alii *Aspirant*) *mellis dulci*, quod Latine dici posse non credo. Hauptio Quintilianus videtur scripsisse *Aspergunt* vel *Inspergunt*.

14. Et puerorum. Corrector quadrati Ut. ita in I, 939.

16. Absinthii laticem, deceptaque non capiatur. Hoc versu utitur Marius Plotius p. 2630. Donatus

Digitized by Google

ad Terentii Eunuchum III, 3, 9 de dolo bono, *quo a medentibus falli aegros, non tamen decipi, Lucretius poëta testatur*.

17. TALI ATACTO. *Tali* PACTO legendum esse ostendi ad librum I, 942.

21. CARMINE PLERI ORATIONEM. In primo PIERIO *rationem*.

32. DEREPTAE. Oblongus *Direptae*. mox illa, *cum saepe figuras — luce carentum*, confert cum Vergilianis Macrobius libro VI, 1.

36. QUAE NOS HORRIFICE LANGUENTIS SAEPE SOPORE EXCIERUNT. *Horrifico* antiquus corrector quadrati. *Excierunt* video defendi posse, sed malo *Exciunt*, quod est simplicius. ceterum *cio* verbi formas puras non nisi rarissime in versu positas inveni, easque quantitate syllabae differente. in Curculione Plauti II, 3, 16 *ergo eos si offendero, Ex uno quoque eórum exciam crépitum ego polentárium*. in eiusdem Asinaria IV, 2, 15 *Tu ergó fac ut illi túrbas lites cóncias*. in futuro tempore in Amphitr. I, 2, 14 *Nam Amphitruo actutum uxori turbas conciet*, Seneca in Thyeste 982 *Sed accientur. poculum infuso pete*. quonam accentu *suffiunt* dicendum sit nescio, nisi quod Priscianus *suffiri* infinitivi simplex *fieri* esse scribit p. 905.

40. CUM CORPUS SIMUL ATQUE ANIMI NATURA PEREMPTA IN SUA DISCESSUM DEDERINT PRIMORDIA QUAEQUE. Quadratus *anima* et a correctore *animam*. priorem versum adfert Festus p. 217, 9, cui vellem adiunxisset alterum. in quo Eichstadius et Forbiger ex inepta Gifanii emendatione *discessum dederunt*. sed *quaeque* ibi ita interpretantur quasi *utraque* natura indicetur, et *discessum* ita *dari* volunt ut *ruinas, insidias, impetum, obiectum parmai*. quorum cum neutrum recte habere videatur, alterum fortasse ita aut defendi potest ut in libro III, 333 similiter esse dicamus *quaeque* pro *utra*, aut evitari ut corpus et animum in *sua quaeque* primordia discedere intellegamus; de quo dicendi genere Madvicus disputavit ad Ciceronis de finibus librum V, 46, neque eo Lucretium non usum esse observavi ad librum II, 371: sed *discessus* non aliter *dari* potest quam quomodo *fugam dari* Vergilius dixit, id est concedi, Aeneïdos VII, 24, *Neptunus ventis inplevit vela secundis Atque fugam dedit et praeter vada fervida vexit*, (vide Munckerum ad fabulam

Digitized by Google

...S apply
...rrowing book
sign a registration

1 119) et Tibullus de ominibus 1, 3, 13 *Cuncta dabant re-*
idemque Vergilius *cursum dari* vel naviganti vel equo,
III, 337 X, 870. ad quod exemplum Lucretio reddendum
In sua discessum dederint primordia QUOIQUE, scilicet
alis animae et corporis partibus.

42. EFFUGIAS. Marullus *effigies*, in hoc errore sibi cons-
s, Lambinus EFFIGIAS. versu 105 ex *Effigiae* deletum *a*
in oblongo, additum *s* in quadrato, utrumque a correctoribus. versu 85 uterque *effigias*.

43. MITTIERAB REBUS, SUMMO DE CORTICE EORUM. Recte Lambinus CORPORE, ex codice Vaticano, inquit, ut cuinam homini docto et acuto hoc debeatur ignoremus. sed idem Lambinus male cum Italis et Marullo *earum*. RERUM scribendum esse apparet e versu 64, *Ab rebus mitti, summo de corpore rerum*. sic infra 130 *Quae cumque ab rebus rerum simulacra recedunt*. 163 *Sic ab rebus item — rerum simulacra ferantur*. 695 *Ex alto primum quia vix emittitur ex re*.

45—48. SED QUONIAM DOCUI, CUNCTARUM EXORDIA RERUM QUALIA SINT ET QUAM VARIIS DISTANTIA FORMIS SPONTE SUA VOLITENT ALTERNO PERCITA MOTU, QUOQUE MODO POSSIT RES EX HIS QUAEQUE CREARI. Haec Marullus ad eum locum quem sibi postulant traiecit, hoc est ante versum 26. sed his versibus exponitur argumentum libri secundi, nec solet Lucretius ita ad res iam peractas redire. quare dubitandum non est quin haec ille lector philosophus, cuius novimus intemperantiam, ex libro tertio 31—34 in hunc transtulerit. id quoque manifestum est, eum qui huic libro prohoemium praefixit ceterorum dissimillimum, hos versus ante 26 scriptos non habuisse, quippe qui Lucretii verba quae erant in libro primo 950, *dum perspicis qua constet compta figura*, in quarto servare noluerit, sed fecerit *dum percipis Naturam rerum ac persentis utilitatem*, scilicet ne illis uno versu interiecto statim succederet eodem vocabulo iterato *compta vigeret;* non facturus, ut puto, si quinque versuum discrimen intervenisset. ceterum Forbiger hos versus ante me in suspicionem vocavit, sed nulla de causa: 'loco alienissimo inserti' inquit 'iam adfuerunt'.

51. QUI QUASI MEMBRANE VEL CORTEX NOMINITANDAST. Quadratus *Quas si membrane*, priore *s* prima manu supra scripto: tum idem *nomina dandast*. apud No-

Digitized by Google

nium p. 199, 33 *Quae quasi membrana*. recte Antonius Marii et Brixiensis editio QUAE *quasi membranae*. sed Marullus hic eximia laude dignus est, qui acumine non vulgari verum ordinem versuum intellexerit; quod ei in hac summa rerum perturbatione, cum 29 et 30 iidem essent atque 49 et 50, 31 autem et 32 maximam haberent in sententia cum 51 et proximis similitudinem, neque 44 suo loco legeretur, tam feliciter cedere, nisi animum valde attendisset, non potuit.

53. CUIUS CUMQUE CIUET. Brixiensis editio CLUET, Veronensis *eluet*. harum neutram hic a Marullo inspectam esse patet, qui fecit *queat:* Antonius Florentinus *tui et*. *cluet* omnibus litteris plane exaratum homines doctissimos parum advertit in epigrammate Ardeatium, quod refert Plinius in naturalis historiae XXXV, 10, 37, *scriptum antiquis litteris Latinis* (scilicet sexto a condita urbe Roma saeculo), ita, nisi fallor, scribendum. *Dignis digna loces. picturis condecoravit Reginae Iunoni' supremi coniugi' templum Plautiu' Marcu', cluet qui Asia lata esse oriundas; Quem nunc et post semper ob artem hanc Ardea laudat*. nihil in his mutavi nisi *loces*, ubi erat *loco*, et *qui* pronomen, ut orationem et versum fulcirem, addidi.

54. MITTUNTUR IN REBUS APERTIS. Antonius et impressi MITTUNT.

62. AUCTAS. Quadratus *auctos*. oblongi scripturam confirmat Nonius p. 231, 15 et 458, 15, item Philargyrius ad georgicon III, 444.

63. DEBE IMAGO. In quadrato prima manus fecit *t* supra addito DEBET, in oblongo corrector.

66. HISCENDIS NULLA POTESTAS. Ita quadratus: oblongus HISCENDIST, sed *st* in litura a correctore, qui idem erasit *h*. infra 103 *hiscendist* uterque, *h* eraso a correctore oblongi.

68. ORDINE EORUM. Marullus EODEM. alterum tueri desipientis est. in proximis oblongus *et forma*, olim impressi *et formae*, Isaacus Vossius *et formai:* in quadrato post *et*, ante *forma*, supra adscriptum est *cum*, et quidem vel prima vel antiquissima manu.

70. QUANTO MINUS INDUPEDIRI PAUCA QUEUNT ET SUNT PRIMA FRONTE LOCATA. Ita oblongus et Veronensis editio: Brixiensis *prima in*, Antonius *prima sub*. quadratus habet *in* ante *prima* additum antiquissima, si non prima

Digitized by Google

manu : neque aliter Marullus, quem omnes secuntur. sed non solet tam neglegenter membra orationis coniungere Lucretius, qui haud dubie scripsisse censendus est *et* QUAE *sunt prima fronte locata*. neque enim praepositione opus est. in I, 978 *finique locet se*. item 1022 *Ordine se suo quaeque locarunt*. in IV, 204 *iam prima fronte parata*.

72. NAM CERTE IACERE ACIERGIRI MULTA VIDEMUS. Oblongus *iacecere aciergiri*. in quadrato antiquissima manus post *iacere a* adscripsit *c.in*, ex *ci* fecit *u*, *ri* subduxit; quo efficitur *iacere ac invergi*. hoc ipsum Gronovius, cum emendatoris manum non prorsus adsequeretur, coniectura inventum posuit in observationibus p. 259; quo nihil infelicius aut tam egregio viro minus dignum excogitari potuit. quanto melius Itali et Marullus *iacere ac iaculari!* sed verum est *iacere ac* LARGIRI *multa videmus*.

75. RUSSAQUE VELA. Sic quadratus: oblongus *rusaque*. Heinsius in Prudentii peri steph. X, 908 *russo* dedit, itaque vetera exemplaria Martialis XIV, 176, codices Catulli 39, 19 *rusam*, *russata* in Orellii inscriptionibus 2593—2599. *russum* dicendum esse, non *russeum*, Charisius docet p. 55.

77. TREMENTIA FLUCTUS. Ita quadratus, *fluctus*; quod Havercampus non potuit legere: oblongus vocem omittit. recte Turnebus FLUTANT. ita III, 189 *tantillo momine flutat*. quid enim causae sit cur *flutare* reiciatur, *nutare* ab omnibus probetur? Varro *flutent* an *flutentur* dixerit incertum putatur, quia nemo adhuc vetera Macrobii exemplaria excussit, qui Varronis verba exhibuit in II Saturnalium 11.

78. ET OMNEM SCAENAL SPECIEM PATRUM MATRUMQUE DEORUM INFICIUNT. Corrector oblongi *Scaenalem*: quadratus *Scaenali speciem* (non *specimen*: Havercampus, ut solet, fallit) subducta *m* littera, quasi delenda, omnia manu prima aut certe antiqua. vere Lambinus SCAENAI, sive *Scenai*: nam in huius modi rebus qui constantiam postulant, inepte curiosi sunt, obliti vix quemquam esse qui ex diversis alterutrum certo consilio sequatur ac non potius eo quod ei vel in os vel sub calamum veniat utatur. an Ciceronem uno certo temporis momento *pulcros Cetegos triumpos Cartaginem* dicere desiisse existimabimus? itaque Lucretius in hoc vocabulo usum alias, alias rationem sequi potuit. nam *scaena* cur argenteae potissimum aetati adscribatur non video, cum

Digitized by Google

et a Prisciano agnoscatur solum p. 561 et in tabula Heracleensi sit et in cenotaphio Pisano, neque suo tempore, quamquam Accius dissenserit, aliter quemquam dicere testetur Varro de lingua Latina VII p. 372, si eius verba recte emendavi in hunc modum. *Obscenum dictum a scena*. E, *ut Graeci aut Accius scribit scaenam*. sic Florentinus liber, nisi quod habet *ea ut*, et *scribit scaena*, idque correctum, ut Lagomarsino visum est, *serena*. ad quem Matii versum Varro haec scripsit, *Obsceni interpres funestique ominis* (Florentinus *omīs*, id est *omnes*) *auctor*, eum miror a doctis alio referri quam ad Homericum Μάντι κακῶν. postea Florentinus *Quare turpe ideo obserroum, quod nisi in scaenam palam dici non dedet*. id est *Quare turpe ideo obscenum, quod nisi ob scaenam palam dici non debet:* nam *ob scaenam* hic scribi res exigit, quamquam vulgo actor *in scaena* pronuntiare dicitur, sed *qui hoc idem subtilius vult dicere* (Varronis ipsius verba sunt in corpore Putschii p. 2264), *non in scaena sed pro scaena dicit*, a quo non differt *ob scaenam*. sed redeundum est ad Lucretii versum, qui cum interpretibus nihil negotii fecerit, mihi a furioso profectus videtur, *Scaenai speciem, patrum matrumque deorum;* nec profecto sanior, si cum Italis et Marullo, quos omnes secuntur, hypermetrum faciamus, *patrum matrumque deorumque:* nam etsi deorum signa in scaena sunt, nulla tamen sunt *patrum matrumque*. turpis est in hoc loco interpretum levitas, qui primum per se non viderint *decorem* scribendum esse ubi est *deorum*, deinde Lucretium haec eadem prope per singula verba repetisse non animadverterint hoc ipso libro 982, *et consessum cernere eundem Scenaique simul varios splendere decores*. quibus consideratis non potest obscurum esse hic scribi debere *Scaenai speciem* PULCRAM VARIUMQUE DECOREM.

81. ET QUANTO CIRCUM MAGE SUNT INCLAUSTRA THEATRI MOENIA. Oblongus et Itali *inclaustra*, quadratus *inclusa;* unde apparet in archetypo non puram et inlibatam fuisse scripturam, sed prima manu vitiosam, mox a correctoribus temptatam. neque, si Accius in Alphesiboea dixit *Sei* (*Sed* exemplaria Nonii p. 73,27) *angustitatem inclusam et saxis squalidam*, eodem iure *moenia inclusa* dici possunt. rei convenientissimum est ANGUSTA: nam spatium angustis moenibus inclusum facilius in se *corripit* et colligit lucem,

Digitized by Google

ne dispergatur. Vitruvius de theatro v, 3 *Sol enim cum implet eius rotunditatem, aër, conclusus curvatura neque habens potestatem vagandi, versando confervescit.*

90. ODOR, FUMUS, VAPOR, ATQUE ALIA RES CONSIMILES, IDEO DIFFUSAE REBUS ABUNDANT, EX ALTO QUIA DUM VENIUNT, EXTRINSECUS ORTAE SCINDUNTUR PER ITER FLEXUM. Corrector quadrati, Itali, Brixiensis editor, *atque* ALIAE *res*. tum Lambinus ad *diffusae* recte addidit *e:* mihi aptius videtur seiunctis vocabulis scribi *diffusa e*. porro Lambinus et Gifanius furtim sic, *Ex alto quia dum veniunt intrinsecus ortae*, quod simillimum est versui in libro VI, 1141, *Nam penitus veniens Aegypti finibus ortus;* pari in utroque nec ferenda in simplici sententia orationis abundantia. *ex alto* et *extrinsecus* sibi invicem opposita esse solus Wakefieldus (nam eius asseclas nihil moror) non vidit: huic enim *extrinsecus* valet id quod *foras*. ergo, quia de interpunctione dubitari non potest, *ortae* vitiosum est. periit hic vocabulum vere Lucretianum, quod recurrit infra versu 329, *extrinsecu'* TORTE *Scinduntur per iter flexum*, id est oblique.

94. QUA CONTENDANT EXIRE COORTA. Impressi male *contendunt*. oblongus prima manu *exiere*, quod potest esse *exeire*. quadratus *coorte:* sed id quod oblongus et Itali habent concinit cum *diffusa* in versu 91.

98. POSTREMO SPECULIS — QUAE CUMQUE APPARENT. Ita versu 331 *Pluribus haec speculis videantur in aedibus esse. Usque adeo speculo in speculum translucet imago*. Ovidius in artis amatoriae III, 681 *Praecipue si cultus erit speculoque placebit, Posse suo tangi credet amore deas*. Martialis II, 66 *Hoc facinus Lalage speculo quod viderat*. Horatius utrum in carminum IV, 10 cum praepositione *quotiens te in speculo videris alterum* an *te speculo* sine praepositione scripserit cum non satis constet, Orellius alterum probat, 'ne elidatur *te'* inquit, idem in libro III, 29 non offendens ad illud *Virtute me involvo*, neque in epodo quinto ubi est *Quid ut noverca me intueris*. poterat scire in quarto carminum libro vocales longas non elidi, neque aut in carmine tertio *tui est* ferendum esse aut in nono *Voltu et per*, quorum reliquit alterum, alterum correxit.

100. QUANDOQUIDEM SIMILI SPECIE SUNT PRAE-

Digitized by Google

DITA RERUM, EX IMAGINIBUS MISSIS CONSISTERE EORUM. Marullus *Esse et*, Avantius *Esse in*, uterque sine sensu. rei convenit ut simulacra dicantur EXCITA, id est iacta. in fine versus *earum* Marullus: debet esse RERUM, ut versu 43.

102. 103. NAM CUR ILLA CADANT MAGIS AB REBUSQUE RECEDANT NAM QUAE TENVIA SUNT HISCENDIST NULLA POTESTAS. Haec suo loco posita legimus supra 65: hic prorsus absurda sunt; ut ridiculus sit Forbiger, qui dicat ea *in suspicionem aliquam occurrere*.

104. SUNT IGITUR TENUES FORMARUM DISSIMILESQUE EFFIGIAE. Lambinus *consimilesque*, prudentior Wakefieldo, qui alterum explicare conatur. sed uterque videre debebat haec non de simulacris in universum dici, sed de speculorum imaginibus. scribendum ergo *Sunt igitur tenues formarum* ILLIS *similesque Effigiae*.

116. PRIMUM ANIMALIA SUNT IAM PARTIM TANTULA, EORUM TERTIA PARS NULLA POSSIT RATIONE VIDERI. Itali et Marullus *eorum ut*, Lambinus *nulla ut possit*, Naugerius *ut horum*. satis est unam litterulam mutare, CORUM. vidit hoc Hugo Purmannus in Lucretianarum quaestionum specimine p. 27, nisi quod scripsit *quorum*. sed ita oblongus *co* V, 692 et *condam* VI, 109, quadratus *co* II, 549 IV, 522 VI, 1263, idem *cam* III, 100 et *alico* III, 223, schedae *corum* I, 135 467, *co* VI, 796. in Ciceronis de natura deorum libro I, 111, ubi est *earundem*, scribi debet *carundam*, *Non arbitror te, Vellei, similem esse Epicureorum reliquorum, quos pudeat carundam Epicuri vocum*. in eiusdem epistularum libro IX, 6, 5, ubi est *vacationem habent eandem publici muneris*, recte docti *quandam*; de quo dubitarunt qui nescierunt hoc scribi *candam*.

118. HARUM INTESTINUM QUODVIS QUALE ESSE PUTANDUMST? Apud Nonium p. 209, 18 HORUM. quadratus *quo quis quale* (prima manu factum *valet*) *esse putandum*, non male omisso *est*, ut ad librum I, 111 docui, quod tamen Nonius quoque exhibet.

126. QUORUM UNUM QUIDVIS LEVITER SI FORTE DUOBUS. Hic Havercampus, quod mireris, ceteris aliquanto plus vidit, cum hic aliquid deesse suspicatus est: sed quod idem uno versu addito rem putavit confici posse, id a solito eius stupore alienum non est. perierunt autem versus Lu-

Digitized by Google

cretii xxv et capituli titulus. ac primum quidem hoc fuit, *Quorum unum quidvis leviter si forte duobus Attingas digitis*, in eam sententiam quam Homerus in infinitum auxit de unguento Iunonis dicens Τοῦ καὶ κινυμένοιο Διὸς κατὰ χαλκοβατὲς δῶ Ἔμπης ἐς γαῖάν τε καὶ οὐρανὸν ἵκετ' ἀυτμή. horum igitur elementa subtilissima esse dicebat, et omnino τὰ εἴδωλα ταῖς λεπτότησιν ἀνυπερβλήτοις κεχρῆσθαι, ut est apud Laërtium x,47. videtur tamen his adiecisse *esse item maiora* simulacra, scilicet e multis atque innumeris inter se coniunctis effecta, ut fulgorem ignis aetherii, quo inter tonitruum sonitus omnia occupentur et contineantur, QUI FULMINE CLARO OMNIA PER SONITUS ARCET, TERRAM, MARE, CAELUM. postremum erat hoc, cum tanta sit simulacrorum subtilitas, fieri non posse ut singula sensibus nostris percipiantur, quippe *cassa sensu*, quod est in versu 128. haec ita fere a poëta exposita fuisse certis indiciis sine ulla dubitatione cognoscamus licet. prima huius libri pagina in codice eo ex quo nostri descripti sunt indicem capitulorum tenuit, quem codex oblongus in versus xxvi dispositum exhibet: nam haec quae subiecturus sum singula singuli versus sunt,

7 De celeritate tactu videri
11 De turbis de umbra hominis
15 De auditis corpoream esse vocem
24 De ambulando De somno.

in aversa pagina fuit primum titulus, *Sibi iucundissimum esse*, cetera, quae quasi primum huius libri versum exhibet oblongus, quadratus minio scripta uncialibus litteris; deinde versus xxv primi. in scheda secunda versus lii, a 26 usque ad 76, cum titulo ante 29. in priore schedae tertiae pagina versus poëtae xxv,77—101, titulus ante 98; in aversa item xxv cum titulo, 102—126. potuit igitur hic, ubi sensus imperfectus est, aliquid periisse; non nimis multa tamen, quia poëta se rem *paucis* docere dicit 115; ergo non tres paginae, sed una: nam duas deesse non posse concedet qui ea perceperit quae dicam ad versum 144. neque ea pagina xxvi carminibus constitit, sed fuit in ea praeter carmina titulus, quem indices libro praepositi exhibent, cum intus inter versus non compareat, *Esse item maiora*. eos autem versus quos huic paginae supra attribui, Probus et Servius rettulerunt. Probi verba sunt haec in commentario ad eclogam vi Ver-

Digitized by Google

gilii 31, p. 20,20. *Plane trinam esse mundi originem et Lucretius confitetur dicens* (v, 92) *Principio maria ac terras caelumque tuere; Quorum naturam triplicem, tria corpora, Memmi, Tres species tam dissimiles, tria talia texta. et alio loco Omnia per sonitus arcet, terram, mare, caelum.* eadem Iacobus Bernaysius Servium ad Aeneïdos I,30 Ennio adscribere observavit. *Arcebat*, inquit, *prohibebat. significat autem et continet. Ennius Qui fulmine claro Omnia per sonitus arcet.* sed et in Lucretianis Servius plerumque peccat, et potest Lucretius ab Ennio haec sumpsisse, ut libri III versum 1025 et 1035, item IV 409 et VI 195.

129. SED NE FORTE PUTES. In his XIV versibus, 129—142, Lambinus operam eximiam praestitit: hic enim primus eos foedissime confusos in verum ordinem restituit, quem Forbiger, cui omnia bona sordent, nulla Lambini mentione facta *vulgarem rationem* dicit. sed insuper observandum est novem alios versiculos, qui notati sunt numeris 168—175 et 179, eos ipsos cum his quattuordecim coniungendos esse. agitur enim utrobique res eadem, scilicet CYCTÁCEIC quas Epicurus dicebat, et quidem non tam earum *originis celeritas* quam potius *tenuitas:* nam quibus verbis earum descriptio finitur 174, *Quorum* (nimborum) quantula *pars sit imago dicere nemost Qui possit, neque eam rationem reddere dictis*, In quem quaeque locum *diverso momine tendat*, ea accurate respondent his quae praecesserunt, 110 *quam* tenui *natura constet imago*, et *rerum simulacra* vagari Multa modis multis, *nulla vi*, *cassaque sensu*. nec tamen fieri potest ut hi XXIII versus ante 143 ponantur, *Nunc* ea *quam facili et celeri ratione genantur:* is enim ad *simulacra* pertinet, quorum significatio facta erat versu 127, cum e contrario in his de CYCTÁCECI fuisset *imago* 174, neque ibi de his agitur, sed de altero εἰδώλων genere, quae dicuntur ἀπόρροιαι. itaque manifestum est Lucretium, cum alterum genus a se praetermissum esse intellegeret (et utrumque infra enumerat in hoc libro 736 737), haec in chartas ita coniecisse ut ea nullo certo loco reponeret, correctorem autem poëmatis ne id quidem curasse ut partes dispersae coniungerentur.

132. IN HOC CAELO, QUI DICITUR AER. His utitur Servius ad georgicon I,51, ad Aen. I,58 V, 18 IX,20 X,899, item Probus ad ecl. VI,31 p. 16, 16. at Isidorus orig. XIII, 4,3

Digitized by Google

Lucretius Caelum quod dicitur aër, contra consuetudinem huius poëtae, de qua egi ad librum III, 94.

142. ET CUIUSQUE MODI FORMARUM VERTERE IN HORAS. Oblongus *cuiusce*. eiusdem corrector ORAS; rectissime. *orae* enim et hic et in versu 166 sunt extremitates, quae rerum superficiem ac speciem efficiunt. ita Ennius et Vergilius *ingentes belli oras* dixerunt summa belli discrimina. neque aliter Varro de lingua Latina libro VIII p. 392 *De huiusce multiplici natura discriminum*, hoc est discriminum e multiplici declinationum natura prodeuntium, *orae sunt hae*, scilicet extrema et summa, in quae omnia inter se diversissima exeunt, *cur et quo et quem admodum in loquendo declinata sunt verba*. nos ad eum modum figurate dicimus *eine sache bei den zipfeln fassen*, idem Varro de re rustica I, 6, 2 5 6 et 20, 5 *tria formae fastigia* pro tribus generibus definitis. ad nostratium illud proxime Caecilius Statius apud Festum p. 182, 22 *Oram reperire nullam, quam expediam, queo;* quae docti male temptarunt, cum Ennius quoque et Vergilius belli oras *evolvi* dixerint.

133. FACILE. Librarius quadrati primum scripserat *facere*, mox errore animadverso ipse correxit. hoc si aut tacuisset aut ita ut est rettulisset Havercampus (dixit autem '*facere* Z. sed superscrib. *facile*'), Wakefieldum eiusque pedisequos in gravem errorem non induxisset.

143. QUAM FACILI ET CELERI RATIONE GERANTUR. Oblongus *quam facile*, quadratus *quae facili*. tum Lambinus GENANTUR, ut sanae mentis hominem decuit, quidquid Wakefieldus et Forbiger blaterant: hic enim poëta docet quam facile et celeriter *gignantur*, mox 176 quam celeri motu *ferantur*.

144. LAPSAQUE CEDANT. Post haec verba deest primum *Percipe* vel *Expediam*, tum paucula a quibus illud *enim* quod subicitur pendeat. neque tamen ullum hic in codice archetypo defectus indicium fuisse existimandum est, quamvis a versu 127 usque ad 298 sint versus tantum modo CLXXII et tituli tres, cum septem paginae versibus constent CLXXXII: septem autem paginae esse debent, quia proximos versus LII 299—347 in unius eiusdemque schedae paginis scriptos fuisse suo loco ad versum 323 declarabo. nam in pagina aversa schedae huius libri quartae fuerunt versus poëtae

Digitized by Google

XXV 127—151 cum titulo; in scheda quinta LI 152—202 et titulus in fine prioris paginae; in sextae priore facie XXVI, 203—228: sed in altera pagina septem versus postremi repetiti fuerunt 222—228 (ii enim in quadrato codice post 228 iterum scripti sunt), qui coniuncti cum proximis 229—247 efficiunt XXVI: scheda septima tenuit versus LI, 248—298, et titulum unum ante 269.

150. OPPOSITA FUERUNT. Itali OPPOSTA.

152. NAM NEQUE, UTI VESTEM, POSSUNT TRANSIRE, NEQUE AUTEM SCINDI. Sic veteres et Itali, *neque autem:* impressi omnes *neque ante*, cum intellectum non esset in proximis *quam* pronomen esse, non coniunctionem. sed *possunt* ferri non debet: poëta enim nondum de *simulacris* loquitur, sed de eo quod *summum* de rebus abundat et iacitur. ergo scribendum est POTIS EST, non *possit*, quod tacite suffecit Creechius.

159. SIMULACRA GERUNTUR. Hic quoque necessario legendum GENUNTUR, cum Lambino.

166. SPECULUM QUO CUMQUE OBVERTIMUS ORIS, RES SIBI RESPONDENT. *Oris* in oblongo omissum. idem *Res ibi:* quadratus *sibi respondent*, quod mihi unice verum videtur. nam *res* verae *sibi* respondent e speculo vel in speculo: at conspicienti non ipsae *res* sed rerum imagines *ibi* in speculo respondent. porro *quo cumque* I. F. Gronovius in observationum libro III, 19 p. 609 cur ferre nolit et scribat *qua cumque*, me non intellegere fateor: videor enim mihi recte dicturus esse *si speculum huc* (id est in *hanc* partem, velut in dextram meam et paulo post in sinistram) *verto ob superficiem rei, hic* (id est modo in dextra, post in sinistra) *species illi similis respondet*.

170. REARIS. In libro VI, 251 *reamur*. nihil interest: sed vix credo poëtam hanc inaequalitatem relicturum fuisse, si carmen suum ipse edidisset.

175. NEQUE EAM RATIONE REDDERE DICTIS. Itali et impressi *eam* RATIONEM. sed quam, quaeso, rationem? eamne iterum, quam modo dixit neminem scire posse, id est quantula nimborum pars imago sit? non magni acuminis res erat, sed supra levitatem editorum Lucretii, et hic damnum esse intellegere et ex proxima vicinia auxilium arcessere. nam quartus ab hoc versus ubi sic scriptus legitur,

Digitized by Google

179. In quem quaeque locum diverso numine tendit, nec sensum facit nec ceterae orationi innexus est, quae in *simulacris* vertitur, cum hic *imaginem* loquatur. at omnia plana fient, ut nullo interprete indigeant, si haec coniunxerimus, *Quorum quantula pars sit imago dicere nemost Qui possit, neque eam rationem reddere dictis, In quem quaeque locum diverso* momine tendat. nam coniunctivo opus esse patet, et *momine* scribendum esse Marullus vidit.

178. ut brevis hora feratur. Idem Marullus vere et Latine *hora* teratur.

182. aetheriis. Quadratus *aetherii:* sed idem *aetheriis* versu 911.

190. Et quasi protelo stimulatur fulgere fulgur. Impressi *stimulatur fulgure fulgur;* quod uti non improbo, ita alterum elegantius esse duco, quo suaviter variatur orationis forma: nam si scribimus *fulgure*, hic versus a superiore nihil differt.

203. Perque volare mare ac terras caelumque rigare. Habemus hic illas tres mundi partes quas facere Lucretius solet, *mare*, *terras*, *caelum*. quid igitur is versus qui hunc praecedit efficit, quo corpuscula dicuntur *Per totum caeli spatium diffundere sese?* foedum vitium nec ferendum delebimus scribendo circumque *rigare*, id est undique. ceterum non satis memorabile est quadratum habere *defundere sese*, et oblongum prima manu, si litteras erasas recte perspexi, *diffunderes esse*.

195. Quod super est, ubi tam volucri levitate ferantur. Hunc versum cum loco alieno positum Marullus recte vidisset, nescio quo errore traiecit post ea quae modo tractavimus, *caelumque rigare*, ita scriptum, *Quod superest, ubi tam volucri haec levitate feruntur*. Lambinus errorem auxit scribendo *Quod superast*. Marullus videtur id voluisse quod verum est. *Quid quae sunt igitur iam prima fronte parata? Cum iaciuntur et emissum res nulla moratur*, Quod super est, *ubi tam volucri levitate ferantur*, Quone *vides citius debere et longius ire?* solet ita poëta *quod super est* in apodosi ponere, ut in II, 39 491 V, 64 VI, 1000; cui par est *ergo* post *quoniam* in I, 526 et V, 260, *ergo* post *cum* apud Vitruvium VIII, 3, 26. ita *quod super est* Propertius IV, 21, 21 *Deinde per Ionium vectus cum fessa Lechaeo Sedarit placida*

Digitized by Google

vela phaselus aqua, *Quod super est*, *sufferre pedes properate laborem*. *ubi ferantur* autem coniunctivum in membro ab interrogatione pendente locum habere quis neget? et simillimi sunt ii coniunctivi quos habemus in libri III versu 507 et in VI 855. postremo *Quone citius eunt* rectissime dictum est, ut nihil opus sit *Nonne* scribere cum correctore quadrati et Marullo; quod in oblongo solo, ante quam is corrigeretur, fuit *Quo neque*. Quintilianus in I, 10, 3 *aut quo melius vel defendet reum vel reget consilia qui citharae sonos nominibus et spatiis distinxerit?* hoc dicendi genus Propertium decere existimabam in disticho ad imitationem orationis Lucretii composito, I, 2, 9, ubi *quo melius* scripsi, cum libri habeant *quos*, *Aspice quo summittit* (potius *summittat*) *humus formosa colores Et veniant hederae sponte sua melius;* quod Hertzbergius se intellegere negavit. at ego vicissim viri doctissimi sententiam miror, qui Propertii verba ita interpretetur ut *hederam* et *arbutum* inter *colores*, id est inter flores coloratos, numerasse videatur: dicit enim 'Aspice colores quos terra submittit: iam videbis ut sponte sua melius veniant.'

210. QUAM CELERI MOTUM. Correctores antiquissimi MOTU.

211. SUB DIU SPLENDOR AQUA. Corrector quadrati *sub divo* et *aquai*. *sub diu* scribitur apud Plautum, qui eo semel usus est, in versu mutilato Mostellariae III, 2, 78, in Vitruvii libro V, 9, 5 et 6, item VI, 3, 9 VII, 1, 5, in Plinio Chiffletiano semper (hoc Dalecampum testari Siligius refert ad librum XXXV p. XXVIII), apud Paulum epitomatorem Festi p. 54. Asconius qui falso dicitur ad librum in Verrem I, 51 *sed ita declinatur*, *hoc dium*, *huius dii* etc. Festus p. 185, 27 *Dialis*, *quia universi mundi sacerdos*, *qui appellatur dium*. sed *dio* sive *divo* et *diu*, sicut *freto* et *fretu*, dicuntur a duobus rectis, quae sunt *dius* et *divum*. utrumque rectum a Varrone indicatum puto de lingua Latina libro V p. 72, ubi sic Florentinus codex. *Hoc idem magis ostendit antiquius Iovis nomen: nam olim Diovis et Dispiter dictus*, *id est dies pater*. *a quo dei dicti qui inde*, *et* dies *et* divum. *unde sub divo dius Fidius: itaque inde eius perforatum tectum*, *ut ea videatur divum*, *id est caelum*. scribendum aio *et dius et divum*, eaque ita intellegenda ut dixi: nam neque in *dius* adiectivo notio apparet diei sive caeli, neque dius Fidius simpliciter *dius* dici potest. sine *u*

Digitized by Google

consonante versus Horatii labat, *Vitamque sub divo et trepidis agat:* nam in versu *dio et* vel *diu et* vitiosum esse vidimus ad librum III, 374. in Afranii senario (est enim inter plures apud Nonium p. 207, 33) miror esse *Soleatus intempesta noctu sub divo*, magis miror doctos facere *sub dio*, quod ab altero non differt: sed quid Afranium posuisse dicam non habeo, nisi forte *sub nive*. perturbatum Phaedri Perottini versum 31, 11 non curo, qui ita scriptus editur, *Non sum in campo par tibi, sed sum sub dio. subdiale*, quoniam *subdival* quoque esse fertur, producte dicendum existimo, quamvis in flamine *Diali* tam brevis sit syllaba quam in *consulibus dialibus*, qui sunt in ioco, atque in *novendiali* pulvere. *dius* adiectivum semper producitur. itaque *fulgur dium*, de quo nuperrime dixit Theodorus Mommsenius in annalibus societatis Lipsiensis 1849 p. 292, quamquam diurnum est, tamen etiam *divom* scribitur, scilicet Iovium, neque eadem quantitate sunt adverbia, ut *dius* (quo Titinium usum esse Charisius refert p. 185), *interdius*, *nudius* tribreve. *perdius* his adnumerandum puto: adiective *perdia* quam recte quove accentu Appuleius dixerit, ignoro. *prodius* Varronis (apud Nonium p. 47) differt: nam *accedit prodius* est *illuc prodcedit amplius*. denique *deus Fidius* (in Varronis de lingua Latina v p. 58 Florentinus *apud aedem de i de fidi*) cum *dius Fidius* dicitur, *i* producte effertur, in Asinaria Plauti I, 1, 8 *Per dium Fidium quaeris*. scio quidem non nullos eorum qui Ciceronis de oratore libros ediderunt in II, 274 versus quosdam mimicos tam perverse distinxisse, ut *medius fidius* pro anapaesto et dactylo esset: sed editores Ciceronis plerique sibi metra ignorare turpe non putant, qui in I de officiis 18, 60, ut hoc uno exemplo utar, ex optimo septenario, qui est huius modi, *Vós enim iuvenes ánimum geritis múliebrem, illa virgó viri*, heroicos pingui pede palimbacchio distinctos, ita, *Illa virago viri*, sua arte effingere non erubescant. isti versiculi mimici sic distinguendi sunt, *quid est tibi ista mulier? úxor. Similis me dius Fidius:* dicuntur autem a M. Tullio *subabsurdi*, quia similitudo oris, quae in sorore locum habet, ridicule in uxore agnoscitur.

212. CAELO STELLANTE SERENA SIDERA RESPONDENT IN AQUA RADIANTIA MUNDI. Durum dicendi genus neque Lucretianum, *sidera in aqua respondent mundi*, omisso *sideribus* dativo: nam *sidera mundi* ut coniungamus

Digitized by Google

nec verborum ordo patitur nec rei ratio, quam exposui ad versum 166. poëta dignum est *Sidera respondent in aqua radiantia* MUNDO.

216. MIRA FATEARE. In libro sexto, ubi hi versus recurrunt, 922 MITTI aut certe *miti*.

218. PERPETUOQUE FLUANT. In sexto FLUUNT. versum proximum Nonius e *libro quarto* profert p. 247, 11, sine libri numero p. 310, 33.

220. EXESOR MEORORUM. In sexto MOERORUM.

223. DILUTAQUE CONTRA. Haec una cum versu proximo *ex* IV *Lucretii* Gellius proposuit in libro I, 21. Servius ad georgicon II, 247 *Amaror. amaritudo. et est sermo Lucretii.*

228. 229. PERPETUO QUONIAM SENTIMUS, ET OMNIA SEMPER CERNERE ODORARI LICET ET SENTIRE SONARE. Horum versuum prior et ad rem demonstrandam sufficit et verissimam praestat sententiam: perpetuo enim sensibus utimur, neque quicquam est quod aliquo tempore non sentiatur. sed versus alter omnia pervertit. nam cum verum sit omnia semper sentiri, falsissimum est *omnia semper* licere cernere odorari et sentire sonare, quasi omnes res omnibus sensibus percipi possint. deinde cum in superioribus sensus singulos commemorasset, visum, auditum, olfactum, tactum, gustum, cuius iudicii est, ubi omnia complectenda sunt, gustum omittere! quam puerile autem, postquam *sentire* de tactu dictum est (in hunc sensum enim *sentimus* iam coartari debet), de auditu iterum eodem vocabulo uti, *sentire sonare!* hoc cum durum loquendi genus Marullo videretur (duritiae causam exponam mox ad versum 244), scripsit *et sentire sonorem*, Lambinus autem, ne bis idem verbum esset, *exaudire sonorem*. sed quoniam neque his multum proficimus et in libro sexto 933 omnia ad litteram eadem sunt, rectius dicemus hunc versum ab eo interpolatore adiectum esse, quem iam aliquotiens artem poëtae non adsecutum vidimus.

235. COMMOVET ET IN TENEBRIS. In utroque codice erasum ET.

237. QUIA PROPTER. In oblongo factum QUA *propter*.

240. DEDITA. Marullus DIDITA.

244. IMAGO EFFICIT UT VIDEAMUS ET INTERNOSCERE CURAT. Infinitivo Lucretius saepe utitur pro casu

Digitized by Google

recto substantivi. in IV, 765 *Praeterea meminisse iacet languetque sopore*. 836 *Nec fuit ante videre oculorum lumina natum, Nec dictis orare prius quam lingua creatast*. 843 *At contra conferre manu certamina pugnae Et lacerare artus foedareque membra cruore Ante fuit multo*. ubi secuntur similia. in V, 979 *Non erat ut fieri posset mirarier umquam, Nec diffidere*. 1118 *Divitiae grandes homini sunt vivere parce*. in III, 67 *Turpis enim ferme contemptus et acris egestas — videntur — quasi iam leti portas cunctarier ante*. in V, 1297 *Et prius est armatum in equi conscendere costas, Et moderarier hunc frenis, dextraque vigere, Quam biiugo curru belli temptare pericla: Et biiugos prius est quam bis coniungere binos Et quam falciferos armatum escendere currus*. sed infinitivus ubi pro accusativo est, alium accusativum sibi adiunctum habet: neque hic poëta ita dixit ut Ennius *Aut occasus ubi tempusve audere repressit*, apud Festum p. 178, 17, sed potius hoc modo. in V, 1186 *Ergo perfugium sibi habebant* omnia *divis Tradere et illorum nutu facere* omnia *flecti*. in III, 239 *Nil horum quoniam recipit* quem *posse creare*. in VI, 69 *longeque remittis* Dis indigna *putare*. et 711 *item in multis* hoc *rebus dicere habemus*. huius accusativi defectum in causa esse puto, cur hic versus mihi durissime compositus esse videatur: multo enim facilius ferrem haec, *imago spatia internoscere curat*. cur autem dicam Lucretium hic oratione tam inculta usum esse, cum in promptu esset scribere *Efficit ut videamus et internoscere* COGIT? nihil profecto aliud hic locum habet, nec attinet dicere quotiens ita hic poëta *cogendi* verbum posuerit.

246. EXTEMPLO PROTUDIT AGITQUE AERA. Ita oblongus: quadratus *prodit*. versu 280 oblongus item *protudit*, quadratus *protrudit agitque Aëra*. recte iudicant qui probant PROTRUDIT. nam *protrudere* est sensim promovere, *fort schieben*. ita corporis moles quomodo, cum imus, paulatim *protrudatur* poëta docet in hoc libro infra 879—891. ita Sisyphus *trudit* saxum III, 1000. ita ventus *trudit* res *ante* I, 292, idemque *trudit* navem IV, 902 VI, 1032. *procudere* autem non potest in propellendi significationem deflecti: nam *cudere* est batuere vel tundere, quem admodum interpretatur Donatus ad Eunuchum II, 3, 90.

249. QUASI PERTEGET. Ita hic Leidenses: mox 252 oblongus PERTERGET, quadratus *perteget:* versu 277 *perteget*

Digitized by Google

uterque, corrector oblongi *pertinget*. verum ordinem versuum Marullus monstravit et hic et paulo post, 261.

253. REVOTA VIDETUR. Ita quadratus: eius corrector REMOTA. hoc ipsum oblongus habet, sed tres primas litteras manu Saxonica in litura.

261. NON PRIMAM QUAMQUE. Recte Gifanius (sed de *vetere codice* ipse viderit) PRIVAM. hoc enim agitur, *singula* 258.

262. SED MAGIS UNORSUM. Pius 'Sunt qui scribunt *unversum* pro universum.' idem Pacuvianum *unose* attulit ex Nonio p. 183, 20. haec Wakefieldus *unvorsum* et *unvorse* scribenda iudicavit; qui debebat addere in senatus consulto de Bacchanalibus facto re vera ita scriptum esse *homines plous* v *oinvorsei*. ex quo intellegi potest quam inepte propter versum *i* vocalis extrita esse statuatur, cum in *undecim* et in *unde octoginta* nemo umquam eam litteram scriptam viderit, et *unanimitas* atque *unoculus* antiquissimos auctores habeant, item *unanimus* satis antiquos. quamquam non nego Plautum semper *univorsus* quattuor syllabis dixisse, neque Claudium *Unimanum* ignoro, neque *unigenam* Catulli. nihilo minus cum duobus saeculi ab urbe condita septimi scriptoribus *unorsum* et *unorse*, vel quod idem est *unose*, tribui videam, malo eos ita dixisse credere, *o* producto ut in *prorsum deorsum seorsum*, quam formas illis fortasse duriores visas inferre. ceterum corrector quadrati iam adscripsit *vel unvorsum:* Marullus *introrsum*, Avantius *invorsum*, Lambinus *unversum*.

267. IPSA DURITIEM. Quadratus *Duriciem* et 294 *Planiciem*. eius corrector et ceteri IPSAM.

270. PENITUS REMOTA VIDETUR. Quadratus *remmota*. sed versu 288 utrumque exemplar SEMOTA, quomodo recte hic quoque scripsit Marullus. idque eo magis faciendum est, quod versus ab hoc vicensimus huc retrahi debet,

290. ILLIS QUE REDDUNT SPECULORUM EX AEQUORE VISUM; qui illic sententiam ita pervertit, ut Wakefieldus, qui eum solus interpretari aggressus est, nihil nisi quod insanienti conveniret efficere potuerit. 'Quâ re etiam atque etiam minime est par illis mirarier (ea), quae reddunt visum ex aequore speculorum binis aëribus: i. e. Illi igitur, qui phaenomenon imaginis in speculo per medium duplicis aëris explicant, minime mirari debent rationes nostras, quae simili

Digitized by Google

prorsus argumento subnituntur. Videtur autem praestringere Pythagoreos, quasi scilicet hanc Epicureorum solutionem sannis exceperint, quamvis ipsi parem visûs retro conversionem finxerint.' haec ideo ex vastis illis commentariis excerpenda duxi, ut lectores viderent quam recto consilio pleraque Wakefieldi deliramenta ne verbo quidem commemoravissem.

271. QUOD GENUS ILLA, FORIS QUE VERE TRANSPICIUNTUR. 277. POST EXTRARIA LUX OCULOS PERTEGET ET AER ALTER, ET ILLA, FORIS QUE VERE TRANSPICIUNTUR. Hi versus, qui interpretibus facillimi videntur, una considerandi sunt. primum in his *vere* non modo supervacaneum est, sed caret sensu. deinde neque *quod genus illa* ita intellegi potest ut addamus *ultra speculum videntur* aut *penitus semota speculi aequore videntur*, qualia mente addenda docui ad librum II, 194: neque illa quae foris transpiciuntur, sed lux et aër, *pertergent* oculos (sic enim scribendum esse dixi ad versum 249), illa autem ipsa quae foris sunt transpiciuntur. quae cum ita sint, certissima res est in neutro membro *transpiciuntur* a relativo suspensum esse debere: itaque ubi *quae vere* legitur, in utroque versu debet esse *quae sunt*. formemus ergo lenissime sic, *illa, foris quae* SUNT, BENE *transpiciuntur*. nam *vere* factum est ex *vene*, quod habent libri in III, 1071 IV, 572 1129 V, 82.

275. CITRA POSTES TUM CERNITUR. Sic plane oblongus: quadratus *citra post aestum*. Antonius Marii et Brixiensis editio *cum cernitur*, Veronensis *qum cernitur*.

283. SED UBI INSPECULUM QUOQUE SENSIMUS IPSUM. Marullus *ubi* SPECULUM. eodem modo in Mercatore Plauti III, 2, 4 scriptum est *Decurso inspatio breve quod vitae reliqüomst*. Charisius p. 181 e Plauto *insta ilico*. apud Ciceronem in Tusc. II, 36 *Militia instudio est*. in apocalypsi Iohannis XX, 14 *est instagnum*. apud Agennium Urbicum de controversiis agrorum p. 61, 12 *ut Instoici decernunt*. *Cicero inscripsit* pro *scripsit* in scholiis Bobiensibus in Plancianam p. 268, 22 Or. apud Charisium p. 85 *ex Hissibullinis libris*. in Ciceronis de finibus libro III, 36 *maxime tamen Hisstoicis, qui nihil aliud in bonorum numero nisi honestum esse voluerunt*. *in hiscarifo*, quod est in gromaticis p. 244, 4 et 8, commemoravi ad Gaïum I, 190, ubi scriptum est *magis hispeciosa, et isscevas* ad Ulpianum II, 7.

Digitized by Google

in Amphitruone Plauti I, 1,249 *nunc hicsto*, ubi vetus paulo rectius *Nónne ego nunc isto ante áedis nostras?* in Aeneïde Medicea *Quid istruis* prima manu in XII, 796. apud Nonium p. 137, 33 *Quód si ut decuit istáres mecum*, p. 468, 21 *idem Isticho*, 486, 23 *istuc Istasime*, 522, 25 *adistas*. in contrariam partem in Nonii libro numquam peccatum est; quo valde firmatur auctoritas pronominis decurtati de quo dixi ad librum III, 954 p. 197. sed eo modo eadem Bobiensia scholia in orationem pro Sylla p. 368, 21 *ad strumentum fidei*, in Varronis de lingua Latina libro VII p. 351 *qui scribitur* pro *inscribitur*, in Arnobii libro V, p. 174 *atque striculi pusionis*, id est *hystriculi*. ita vulgo *stera* pro *hystera*. in Iuvenalis VII, 231 Pithoeanus *Ut legat storias*. in Columellae libro XI, 1, 5 et 15, item in XII, 2, 6 et 3, 5 *Schomachus* sive *Scomachus* pro *Ischomacho*. multo minus frequentatur *e* ante *s* impurum. *espatium* in corpore gromaticorum p. 402, 2. apud Nonium p. 169, 8 *escrapte*, *estetid* 367, 2917, *esceptra* 481, 27, *Essenona* 99, 31. *quod Exerses* in Varronis de lingua Latina VII p. 307. *exerampelinas* in schol. Iuvenalis VI, 519. *expectare* pro *spectare* frequentissimum, rarius *spergisceretur*, quod habet Nonius p. 473, 3, et *scaria* p. 108, 28. *scruciatibus* pro *ex cruciatibus* in Arnobii II p. 77.

284. CONTINUO A NOBIS IN EUM QUE FERTUR IMAGO PERVENIT. Wakefieldus, Latinitatis auctor mirificus, veteres *in eum* dixisse, cum neutrum genus significandum esset, suspicatur, idque Forbigero, homini minime suspicaci, non improbabile videtur. nihilo minus hoc egregio artificio infra in libro VI, 1064 uti obliviscuntur. ni mirum multis post Lucretium saeculis hoc pronomen faciebat *aliquibus dubietatem*, ut dicit Palaemon grammaticus p. 1378, *praecipue in accusativo casu*, et Augustinus p. 1995 Putschii curiose docet non esse dicendum *per eum iter*. Lambinus *in id haec*. adeone difficile fuit ITERUM scribere? hoc sententiae convenit, et *pervenire* absolute positum ad librum VI, 324 illustrabimus.

288. DISTARE AV SPECULO. Corrector oblongi et quadratus *a speculo*. sed praestat sequi manum primam oblongi: videnda sunt quae observo ad VI, 105 925.

323. SERVET ET LISAM. In quadrato correctum *et* ELISAM, neque aliter Antonius Marii et Veronensis editio. sed unus ex correctoribus quadrati in hoc loco ingeniosissime

Digitized by Google

ordinem versuum perturbatum, quem numeris adscriptis ostendi, ad ipsam veritatem revocavit. hoc ut ita esse intellegeretur, eius verba secundum singulas litteras ipsasque distinctiones descripta proposui. Atque ea continuo. Que sequuntur! praepostere scripta sunt. Continuetur ergo. Seruet et elisam in (deletum) sequenti pagina. et consequenter usque ibi. Ac resilire ab rebus. tertia pagina. Post haec redeatur huc. Splendida porro. et continue usque ibi. A tenebris. (ita corrector quadrati hoc antiquior 312: prima manu ..*t tenebris*.) ac consequenter usque ibi. Que sita sunt. Inde saltetur illuc. Quod contra iacere. (ita quadratus, *iacere*.) Ac demum continuetur;' hunc ante Lambinum nemo secutus est: Marullus enim hunc fecerat versuum ordinem, 298 323—325 299—322 348—352 326—341 353—363 342—347 364, Avantius autem prorsus absurde 298 323—325 299—322 326—347 348. at Lambinus in codice Bertiniano, quem ipse non viderat, sed habebat a Turnebo excerptum, eos sex versus qui notantur 342—347 eo loco legi refert quo ipse eos excudendos curaverit, hoc est inter 341 et 299, cetera tacite ad mentem correctoris disposuit. ceteri editores Lucretii, quasi res factu facillima fuisset, neque Lambinum neque alium tam eximiae restitutionis auctorem ulla laude dignum existimarunt. erroris origo lectoribus nostris non potest obscura esse: apparet enim, si titulos carminibus addas, versus XXVI, qui priores esse debebant, post alios item XXVI collocatos esse; quod fieri non potuit nisi per schedam codicis archetypi a ceteris solutam et inversam, quae fuit octava huius libri, codicis totius LXVIII.

324. FIET UT, ANTE OCULUS FUERIT QUI DEXTER, UT IDEM. Qui priora recte distinxerit, non dubitabit quin scribendum sit *Fiet* ITA. corrector quadrati inepte *ante oculos;* quo temere arrepto Wakefieldus fecit *Fiet, et ante oculos fuerit qui dexter, ut idem*. Marullus item male *hic idem*.

327. QUINQUE ETIAM SEX UT FIERI SIMULACRA SUERINT. Nullius iudicii est hic *quinque sex* ita capere ut apud Horatium *sex septem milia*. et peius Wakefieldus *simulacra quinque, etiam sex*. scribendum est *Quinque etiam* AUT *sex*, ut versu 577 *Sex etiam aut septem*. Marullus *sexve*.

328. LATEBIT. Marullus LATEBUNT.

334. INDE RETRO RURSUM REDIT ET CONVERTIT

Digitized by Google

EODEM. *Retro rursum* oblongus, *retrorsum* quadratus et corrector oblongi. in fine scribendum CONVERTITUR *eodem*, ut in versu 295 *convertitur* et 341 *convertier:* cur enim hic semel aliter dixerit?

341. FLEXEA FIGURA. Quadratus *Flex:* corrector oblongi FLEXA.

342. PORRO PARITER. Quadratus *pariter porro*. mox oblongus 345 *nequeant*.

304. QUI CUMQUE EST TACER ARDURIT. Correctores veteres ACER ADURIT.

309. SEMINA MAULT FLUUNT. Quadratus *mavult:* eius corrector MULTA, itaque Antonius Marii et Marullus.

313. PROPRIOR. Itali et Brixiensis editio PROPIOR.

317. AERIS ULLIUS. Itali et impressi ILLIUS.

321. CONTINUO RERUM SIMULACRA SECUNTUR. Antonius Marii et Marullus *simulacra adaperta*, Avantius *rerum quaedam*. scribendum sine dubio AERA *continuo*.

351. OBSIDIT QUIA OCULORUM. Egregie corrector quadrati *Obsedit*QUE VIAS: sed rectius Itali et Marullus *Obsiditque*.

351. NE SIMULACRA POSSINT ULLARUM RERUM CONTECTA MOVERI. Marullus CONIECTA. sed praeterea recte Bentleius MOVERE, scilicet oculos, et lacessere ut videant.

355. ANGULUS OPTUTUS. Quadratus *obtutus:* eius corrector et ceteri OBTUSUS.

357. PLAGAS, NEC AD NOSTRAS ATES DERIABITUR ICTUS. Corrector quadrati et ceteri PLAGA et ACIES: PERLABITUR primus Gifanius.

361. FIT QUASI UT AD TURNUM SAXORUM STRUCTA TUANTUR. Itali et Brixiensis editio *ad* TORNUM. *torno* est in Mediceo Vergilii georg. II, 449. sed *tuantur* non habet quo referatur: debet esse TUAMUR.

368. ESSE POTEST ALI NISI. Ita prima manu oblongus *ali nisi*, a correctore ALIUD *nisi:* quadratus *aliui ni*. Servius ad Aen. IV, 654 *umbra*, *quam Lucretius sic definivit*, *spoliatus lumine aër*. scilicet e versu 377; ne quem fallant Eichstadii somnia, quae exponit in praefatione p. LXXVII.

378. SIBI ADLUIT UMBRAS. Impressi ABLUIT.

382. UMBRA QUAEQUE FUIT HIC EADEM NUNC TRANS-

Digitized by Google

EAT ILLUC. Quadratus non habet *nunc :* Marullus male *num* . Itali *Umbra*QUE QUAE et *eadem nunc*.

393. REVISUNT. Oblongus *revisent*, *u* super scripto : *revisant* quadratus.

395. MANERE ET LUNA VIDETUR. Quadratus *maneret et lumine videtur* . *videtur* interpretum levitas patienter tolerat : debet esse VIDENTUR, cum sequatur *ea quae ferri res indicat ipsa*.

397. EXSTANTISQUE PROCUL MEDIO DE GURGITE MONTIS. Nominativi pendentes Wakefieldo et Forbigero placent, scilicet grammaticae imperitis. Marullus suae fabricae versum, eumque et immodulatum et sensu cassum, infersit. simpliciter scribendum est *Exstant* USQUE *procul*.

406. QUOS UBI TUM SUPRA. Marullus *ibi tum*, quod non est Lucretiani usus. Naugerius TIBI.

409. VIX ETIAM CURSUS QUINGENTOS SAEPE VERUTI. Festus p. 375, 27 *Veruta pila dicuntur, quod* . . (*veluti verua* Paulus) *habeant praefixa* . *Ennius li*. X . . . *cursus quingentos saepe veruti*.

414. AT CONIECTUS AQUE. Verissime Lambinus CONLECTUS *aquae* . recte Frontinum auctorem ferunt lexica, qui dixit in libro primo de controversiis agrorum p. 23, 8 *si collectus pluvialis aquae transversum secans finem in alterius fundum influit*. adde libri III versum 198, ubi est *lapidum coniectus*, qui debet esse *conlectus* . fit enim *coniectus oculorum*, *bracchi*, *animae*, *elementorum* sive *materiae*, *teli*, cum eae res in locum aliquem coniciuntur. itaque recte dixit Sallustius in historiarum libro III *solita a fugitivis convicia et in castra coniectus lapidum*.

417. CAELI PATET ALIUS HIATUS. In quadrato factum ALTUS a correctore. sic Itali et impressi.

418. 419. NUBILA DESPICERE ET CAELUM VIDEARE VIDERE, CORPORA MIRANDE SUB TERRAS ABDITA CAELO. Oblongus habet *ut* ante *videare*, quod in codice archetypo superscriptum fuisse puto, ut certe prior horum versuum intellegi posset. hoc *ut* de Marulli coniectura (nam Antonius Marii et primae editiones non habent) receperunt omnes, cetera variis modis temptarunt alius alio infelicius. Marullus ipse *Nubila despicere et caelum* (hoc scilicet *praebet* coniectus aquae), *ut videare videre Corpora mirando sub terris*

Digitized by Google

addita caelo. Lambinus *caelum ut videare videre et Corpora mirandi sub terras abdita caeli*. cetera his peiora praetermitto. *mirande* adverbium, quod in quadrato scriptum est *mirandae*, ut *mendosae* 503, *supernae* 173, et in utroque 949 prima manu *altae*, (mox 462 *mirande* in utroque), non est verae et antiquae Latinitatis: et mirabiliter peccat Nonius, cum Claudio Quadrigario adscribit *hinnibunde pro hinnienter* p. 122, 13, qui dixerat *equae hinnibundae*. quamquam scio *horrende* in lexica relatum esse ex libro Sapientiae VI, 6 XVII, 3, quo eodem utuntur Priscianus p. 1041 et Sergius p. 1851, ita, *Horrendum clamat pro horrende;* cui simillimum est quod Servius in georgicon III, 28 *magnumque fluentem* exponit *magne*, idemque ad Aen. I, 251 *Infandum*, inquit, *pro infande posuit*. nec minores hic turbas faciunt *Corpora*, sive ad nubila et caelum referimus sive ad sidera. quod siquis cetera considerabit, inveniet ea mutato versuum ordine tam apte inter se cohaerere ut vix possint aliter a poëta scripta existimari, *sub terras abdita* CAELI *Nubila despicere et caelum videare videre*. iam vero ad complendam sententiam ex *Corpora mirande* nemo dubitare potest quin faciendum sit UT PROPE MIRACLO. unum tamen corrigendum restat: nam *despicere* cum accusandi casu non coniungitur nisi in significatione contemptus: neque ulla in Caesaris verbis ambiguitas est, cum scripsit de bello Gallico comm. VII, 20 *quod et paucitatem eorum ex loco superiore cognoscere et virtutem despicere potuerint, qui dimicare non ausi turpiter se in castra receperint*. itaque DISPICERE scribendum est, ut recte codices in libro II, 26 *quin omnia dispiciantur, Sub pedibus quae cumque* infra *per inane geruntur*. sic Manilius II, 837 de occidentali cardine *Occasumque tenens submersum dispicit orbem*, non *despicit:* versu 849 *imumque sub orbem Descendit*. scio quidem in lexicis adferri haec verba Columellae I, 6, 23, *Area, si competit, ita constituenda est ut vel a domino vel certe a procuratore despici possit:* sed ibi quoque legendum est *dispici*, quod recte scriptum extat libro IV, 24, 19. neque in Aeneïdos I, 224 ferendum est *aethere summo Despiciens mare velivolum* et cetera, sed probandum *Dispiciens*, quod in arbitrio ponit Servius. utor arbitrio in georgicon II, 186 et Nonii auctoritatem rescindo, qui exhibet p. 288 *Qualem saepe cava montis convalle solemus Despicere*. *dispicere* scribendum est in Ovidii metam. II, 178 III, 44 VII, 223

Digitized by Google

fast. IV, 569 . *dispiciuntur* autem quae per partes videntur a *dispiciente*, hoc est non confuse sed singula videntes.

421. DISPEXIMUS. Impressi DESPEXIMUS.

423. FULMEN. Corrector oblongi FLUMEN. tum quadratus *contundere*.

429. FASTIGIA COGNI. Quadratus *festigia*. corrector oblongi CONI. quadratus mox 431 *doni*, ubi oblongus *coni*.

436. AMARIS IGNARIS IN PORTU CLAUDA VIDENTUR NAVIGIA APLUSTRIS FACTAS OBNITIER UNDAS. Quadratus *aplustris*. eiusdem corrector et ceteri AT *maris*. Itali et Marullus *aplustris* FRACTIS, egregie et rei convenienter: Wakefieldus absurde *fractas undas*. porro Itali et Marullus non satis eleganter *obnitier undis*, cum posset melius scribi UNDAE.

440. QUAE DEMERSA LIQUORE OBEUNT. Non poterit dici quid obeant, nisi LIQUOREM. ergo ita scribendum est.

446. LONGE ALIAM IN PARTEM AQUE RATIONE FERUNTUR. Quadratus *atque ratione*. syllaba geminata scribendum est AC VERA *ratione*. Marullus sine sensu *quam quo ratione feruntur*, et Wakefieldus multo peius *ac quâ, ratione, feruntur*.

448. FIT UT VIDEANTUR. Marullus UTI. versu 450 et 452 utuntur Porphyrion ad Horatii sermonum II, 1, 25 et commentator Cruquianus p. 408[a], ubi est *flagrantia*.

453. CUM SUA VIDET VINXIT. Quadratus *iunxit*. huius corrector et ceteri *cum* SUAVI DEVINXIT.

456. NOSTRA VIDEATUR. Marullus VIDEMUR. Antonius *moveri* —— *videntur*, olim impressi *movere* —— *videntur*. horum quod pessimum est Wakefieldo placuit: cur ferri non possit perspicuum erit perpendenti ea quae dicam ad librum VI, 1190.

460. SEVERA SILENTIA MONTIS. Corrector quadrati et Antonius NOCTIS.

462. CETERA DE GENERE HOC MIRANDE MULTA VIDEMUS. Non bene Itali et Marullus *mirando*. scribendum est MIRACLI, ut versu 419.

468. ANIMUS QUAS AB SE PROTINUS ADDIT. Quadratus *abdit*, quod absurde interpretatur Wakefieldus, *repellit, reiicit, ab se dubia, ut certa teneat*. recte *addit* tuetur Creechius,

Digitized by Google

ΠΡΟΣΔΟΞΆΖΕΙ Epicuro, cui haec dicitur Ἡ ΦΑΝΤΑΣΤΙΚΗ ἐΠΙΒΟΛΗ ΤΗΣ ΔΙΑΝΟΊΑΣ.

470. QUONIAM NIHIL SCIRE FATETUR. Quadratus *quoniam*. oblongus *quo:* Antonius Marii *quo nihil se*, olim editi *quo se nihil*. hoc *quo se*, quia sensu caret neque certum auctorem habet, Eichstadio et Forbigero placuit. *quoniam* recte probat Gronovius in observationum II, 7 p. 259.

471. MITUAM CONTENDERE CAUSAM. Optime Marullus MITTAM.

472. QUI CAPITE IPSE SUO IN STATUIT VESTIGIA SESE. Quadratus *esse:* sed factum *sese*, non 'iuxta veteri manu', ut dicit I. F. Gronovius in observationum III, 19 p. 603, sed eadem. Havercampus peccat, et multo magis Wakefieldus: hunc Forbiger sequitur. Gronovius recte interpretatur, 'qui sibi non constat, qui se ipse evertit, qui cernuat et se ipse capite *suo in vestigia* statuit'. sed qui sistit capite, *suo* sistit videlicet, neque id dicere necesse est: at si *ipse* SUA *in statuit vestigia sese*, hoc est in ea quae suis pedibus fecit vestigia, non aliena, tum pronomen apte additur, ut continuo sentiat lector. accedit durissima in his iunctura verborum, *in statuit vestigia*, cum multo lenius sit *sua in statuit vestigia*. denique siquis se id quod aptum et verum sit sentire posse negat (video enim adhuc quosdam in Horatii epistularum I, 17, 43 haec ineptissima probare, *Coram rege* suo *de paupertate tacentes*), hortandus est ut artis legem ediscat quam exposui ad librum III, 954.

475. VICISSEM. Itali et impressi VICISSIM.

479. NOTITIEM VERI, NEQUE SENSU POSSE REFELLI. *Notitiam* quadratus. *neque* SENSUS Marullus rectissime.

485. QUI NISI SUNT VERI. Quadratus *sunt*, oblongus *son*.

486. AN POTERIT OCULOS. *Poterit* Brixiensis quoque editio. Veronensis *poterint*. Antonius Marii et Marullus POTERUNT. de *poterim poterint erint* dixi ad Gaïum I, 146 n. 15. *poterint* in fastis Ovidii, libro VI, 366, aliquot exemplaria, item in Vitruvii libro VI, 8, 8.

490. IDEOQUE NECESSE EST ET QUOD MOLLE SIT ET GELIDUM FERVENSVE VIDERI, ET SEORSUM VARIOS RERUM SENTIRE COLORES ET QUAE CUMQUE COLORI-

Digitized by Google

BUS SINT CONIUNCTA NECESSEST. Quadratus *Et quod mollessit gelidum :* oblongus *coloribus sinc coniuncta* . in re aperta (clarum est enim hic id dici quod ex Epicuri canone habet Laërtius Diogenes x, 32 οὐ γὰρ τῶν αὐτῶν εἰσὶ κριτικαὶ αἱ ἀνομοιογενεῖς αἰσθήσεις) unus Bentleius vidit ad primum membrum deesse SEORSUM, idque eo loco ponendum esse quo legitur *videri* . sed eundem miror non intellexisse illud alterum *necessest* perquam inepte ex superioribus repetitum esse; in cuius locum substituendum est VIDERE, non *videri*, quia praecessit *sentire* . *colores* autem *rerum* hic superficies dicuntur, *coloribus coniuncta* hic ut in libro II, 743 colore obducta et visibilia.

494. SEORSUS ODORES NASCANTUR, SORSUM SONITUS. *Nascantur* sine causa a *necesse est*, quod sequitur, suspensum est. Veronensis editio et Marullus NASCUNTUR. ceterum oblongus paulo ante habet *Seorsum item*, quadratus hic *seorsum sonitus*.

496. NON POSSUNT. Itali POSSINT. mox quadratus *Nec porro potest ipsi*.

498. AEQUE FIDES. Italí AEQUA.

500. NON POTERIS. Itali et impressi POTERIT.

501. IUSTIM QUADRATAM. *Iniustim* quadratus. IUXTIM QUADRATA Italí.

502. RATIONI EGENTIM. Quadratus *rationes egenitim*. RATIONIS corrector oblongi. Itali et impressi EGENTEM.

511. CASSA. Oblongus *casa*, quadratus ante quam raderetur *cassam* . eum versum qui hunc praecedit a Leidensibus abesse Havercampus scribit. adest: in utroque legitur *contraria que sint* . in superiore 509 oblongus *que sint*, quadratus *quae sint*.

514. NORMAQUE SIBI FALLAX. Corrector quadrati et Italí SI.

516. OBSTIPA NECESSE EST. Ita quadratus: oblongus *obstipa necessu est*, apud Festum p. 193, 30 Müll. *obstita necesse est*.

517. PARVA. Marullus PRAVA.

526. CORPOREA QUOQUE ENIM CONSTARE FATENDUMST. Italí et impressi *Corpoream quoque enim vocem* . immo CORPOREAM VOCEM *quoque enim*.

528. PRAETEREA RADIT. Sic oblongus et Gellius x, 26:

Digitized by Google

apud Nonium p. 453, 7 *Praeterea pavit*, quadratus *Propterea radit*, Veronensis editio *Praeter radit*, Itali et Brixiensis *Praeter radit enim*, Marullus *Praeter enim radit*. *Propterea* probant Wakefieldus et Forbiger, qui sibi turpe non putant ignorare quae Gronovius scripsit in observationum III, 19 p. 606.

532. SCILICET EXPLETIS QUOQUE IANUA RADITUR ORIS. Ita quadratus: oblongus *reditur*, Italici *redditur*. hic idem Gronovius 'Putarunt *expletas oras* dici: sed quid est *expletis oris ianuam radi?* immo vacuum et spiramentum ipsum expletur, orae autem raduntur.' itaque probat desperationis plenum Marulli auxilium, qui scripsit toto versu adiecto *Scilicet expletis quoque ianua redditur oris Rauca viis, et iter laedit qua vox it in auras*. satis erat una littera sublata rem eandem efficere hoc modo, *Scilicet* EXPLETI *quoque ianua raditur oris*. os autem *expletum* est aut totum plenum voce eiusque primordiis, aut si grammaticos sequimur, exinanitum. eadem ambiguitas est in VI, 1203, *Corruptus sanguis expletis naribus ibat*. Donatus ad Terentii Hecyram V, 1, 29 *Explere pro exinanire Terentianum est*. ex Capro Servius ad Aen. VI, 545 et Nonius p. 298, 11 *Explere, minuere*. Serenus Samonicus tamen ad Lucretium respiciens *plenum* voce *iter radi* dixit, 260 *Aegrescunt tenerae fauces —— Vel rabidus clamor fracto cum forte sonore Plenum radit iter:* certe *Planum*, quod ibi vulgo legitur, non intellego.

552. ET ITEM LEVO LETIORE CREATUR. Marullus LEVORE. sed Lambinus primus et LEVOR legendum vidit et hos versus suo loco posuit, de utroque, ut dicit, a librorum parte admonitus; qui quales fuerint ignoramus. Wakefieldus re non perpensa veterem versuum ordinem restituit.

543. GRAVITER SUB MURMURA MUGIT. Quadratus *sumurmura*. Brixiensis editio et Marullus *sub* MURMURE.

544. ET REVORAT RAUCUM RETRO CITA BARBARA BOMBUM. Itali et Brixiensis editio *revocat*, Veronensis *reversa:* sed corrector quadrati *vel reboat*, quod unum habet aliquam probabilitatis speciem, nisi quod *tuba* non magis videtur *reboare* posse quam *cithara* in libro II, 28. tuba autem *barbara* recte dicitur, scilicet κώδων Τυρρηνική, ut in altero membro sunt *Heliconis* cycni. porro *cieri* quomodo tuba possit nemo dixerit, nedum *retro*. Isaacus Vossius ad Catullum p. 228 *Berecyntia barbara*, quam dicit esse *tibiam*

Digitized by Google

Berecyntiam. hoc non minus ineptum est (tuba enim repente fit tibia) quam quod Catullus LXIII, 9 *tympanum* fertur appellasse *tubam Cybebes*, qui scripsit (neque enim dubito) *Typanum tuom, Cybebe, tua, mater, initia*. iam vero si quaeremus quid *cieri* et *citum reboare* possit, inveniemus haec de *locis* commode dici et ab omnibus poëtis dicta esse. ita ipse Lucretius *Nec citharae reboant laqueata auratáque tecta*, et *Ergo replentur loca vocibus — sonituque cientur*. itaque manifestum est eum hic scripsisse *Et* REBOAT *raucum* REGIO *cita barbara bombum*. neque *barbara regio* minus proprie dicitur quam *tuba*.

545. ET VALIDIS NECTI TORTIS EX HELICONIS. Quadratus et a correctore oblongus *nete tortis*, olim impressi *nece tortis*. Antonius Marii *Et validi surgunt nece tortis ex Heliconis*, Marullus *Et gelida cycni nece torti ex antro Heliconis*, Avantius *Vallibus et cygni nece detorti ex Heliconis*, 'codices emendati' Iohannis Bapt. Pii *Vallibus et cycni detorti ex Heliconis*, Lambinus *Vallibus et cycni gelidis orti ex Heliconis*, Gifanius *Vallibus et cycni nece torti ex Heliconis*, Faber *Vallibus et gelidis cycni córti ex Heliconis*, Vossius *Et validis cycni torrentibus ex Heliconis*, Havercampus *Vallibus et cycni melicis forte ex Heliconis*, Wakefieldus *Et valli cycnis nece tortis ex Heliconis* (scilicet *primordia cycnis*), Forbiger omissa Gifanii mentione ('nos' inquit 'Eichst. sequuti') propter diphthongos scilicet, *Vallibus et cycnei, nece tortei, ex Heliconis*. in his nihil boni inest nisi *cycni* et *vallibus*, quae ad rem necessario pertinent. his igitur susceptis verba corrupta ita refingemus, *Et vallibus cycni tortis ex Heliconis*. quae vocabulis traiectis (nullum enim in hoc poëmate traiectione frequentius vitium) ita in versum formabimus, *Et* CYCNI *tortis* CONVALLIBUS *ex Heliconis*. nam *tortas convalles*, id est curvas et tortuosas, cur omnes repudiaverint non video. certe dixit ita de flumine Ovidius libro ex Ponto IV, 10, 48 *et crebro vortice tortus Halys*, et de *torta* Apuliae *ora* Lucanus V, 378 *Ausoniam qua torquens frugifer oram — Apulus Hadriacas exit Garganus in undas*. *convallis* autem Lucretius scripsit in V, 1375, *valles* nusquam, idemque Manilius secutus est; contra Catullus Horatius Tibullus Ovidius Gratius Martialis *valles* tantum, non *convalles*; Vergilius, Lucanus, Valerius Flaccus, Iuvenalis utrumque; neutrum Plautus Terentius Propertius,

Digitized by Google

mire Caesar de bello Gallico v, 32 *et cum se maior pars agminis in magnam convallem demisisset, ex utraque parte eius vallis subito se ostenderunt*.

548. FORAS MITTIMUS. Corrector oblongi EMITTIMUS.

549. NERVORUM DEDALA. Lambinus dedit primus VERBORUM.

553. UNDE ILLA PROFECTA PERVENIAT VOX QUEQUE. Hoc ne Latinum quidem est. recte ex emendatione Bentleii Wakefieldus *unde* UNA *profecta quaeque*. sed versu 560 recte libri veteres *sentire neque illam Internoscere*, ubi Lambinus *audire neque hilum*.

561. QUE SIT. Ita oblongus et Nonius p. 173, 16: quadratus *que fit*.

567. OBSIGNANS FORMAM VERBIS. Immo VERBI, quia praecesserat *verbum*, *Praeterea verbum saepe unum*, ubi miro errore *Praeterea peditum* Antonius Florentinus et olim impressi, quod Marullus fecit *edictum*.

568. NON AURIS INCIDIT IPSAS. Recte, ut puto, Lambinus *accidit:* hoc enim cum accusativo non modo Plautus sed Lucretius ipse, ut videtur, iunxit in v, 608 *segetes stipulasque videmus Accidere ex una scintilla incendia passim*, quamvis alibi cum praepositione dixerit II, 1024 *nova res molitur ad auris Accidere*. at *incidere* accusativum vix admittit: nam N. Heinsius erravit, cum adscripsit Ovidio metam. VII, 524 et Vergilio Aen. IX, 721. de Livio tamen ac Tacito dubitatur: Apuleium ita praepositione omissa dixisse constat, vide Drakenborchium ad Livii librum II, 30, 13. Paulus in l. 34 pr. D. de o. et a. XLIV, 7 *Qui servum alienum iniuriose verberat, ex uno facto incidit et Aquiliam et actionem iniuriarum*. neque aliter sane Lucretius *mare quae inpendent*, de quo dicam ad librum VI, 489. Gratius 244 *Rusum opus incubuit*. scholiastes Statii ad Theb. VIII, 1 *Vetus elocutio est per dativum casum, incidit umbris pallentibus*. *Claudius 'Herius recedens vesperi Numantinis incidit'*. *ac* (immo *at*) *Terentius per accusativum protulit* (Phorm. I, 3, 23), *'ergo in eum incidit* (immo *ego — incidi locum*)', *tamquam in rem periculosam*. apud Servium ad Aen. XI, 699 Claudii Quadrigarii verba hodie non leguntur, neque ea inter *fragmenta historicorum* quae dicuntur relata invenio.

Digitized by Google

570. PARS SOLIDIS ADLISA LOPIS REIECTA SONOREM REDDIT. Recte corrector quadrati et Marullus LOCIS *reiecta*, ut paulo post 578 *collibus verba repulsantes:* eo modo *replentur loca vocibus* 607; nequis forte coniungat *solidis locis*, quod debebat esse *solidis solis*. *loca* enim sunt *naturae locorum*, quas breviter dicit *naturas* Cicero de natura deorum II, 144, *quod his naturis relatus amplificatur sonus*. Wakefieldus Eichstadius Forbiger *lapis reiecta*, quod ridicule interpretantur *quasi lapis reiectus*.

576. ET MAGNAS DISPERSOS VOCE CIEMUS. Quadratus *magnus dispersus*. eius corrector MAGNA *dispersos*. sic Itali et impressi.

577. LOCA VIDERE ODORE VOCIS. Itali et impressi VIDI REDDERE *voces*.

578. ITA COLLES COLLIBUS IPSI VERBA REPULSANTES ITERABANT DICTA REFERRI. In his neque *verba dicta* ferri possunt, neque *iterabant referri*. *ĭpsĭs* Veronensis editio, Marullus, ceteri ante Wakefieldum: sed Marullus *referre*, Bentleius *iterabant icta referre*, non recte. nam neque *iterare* infinitivum sibi adiungi patitur, quantum scio; quamquam orationem obliquam subiunxit Attius, *itera in quibu' partibus —— et quo captu' modo, fortunane an forte repertus*, apud Nonium p. 425, et Propertius (neque enim mutavi sententiam) *Cui procul Alcides iterat responsa det*, I, 20, 49: neque *icta collibus verba* Latine dici is poëta quem Bentleius auctorem dedit persuadet. est enim is scriptor elegiae in mortem Drusi, quam scio Hauptium meum saeculo XV natam esse suspicari: neque mihi eius versus 220, qui est huius modi, *At vox adversis collibus icta redit*, antiquitatis colorem ostendere videtur, cui conveniunt potius *colles voce icti* et *clamore montes icti*, qui sunt in libro II, 328. nunc de his Hauptius ipse dixit in programmate eleganter scripto, quod editum est pridie K. Novembr. 1849, p. 26. neque ego *saxa icta* quae sint in Ovidii tristium II, 16 intellego, sed puto poëtam scripsisse *Tecta memor refero rursus ad icta pedem*, quomodo dixit in V, 4, 34 *Nec vellent ictae limen adire domus*. nihilo minus vitii sedem Bentleius tum recte perspexit (postea ad Horatii sermonum librum I, 3, 7 probavit Marullianum): scribendum est enim DOCTA *referri*. ita apud Horatium *amnis Doctus iter*

Digitized by Google

melius, itemque *amnis Multa mole docendus aprico parcere prato*.

581. FINITIMI FINGUNT ET FAUNES. Quadratus *Finitime*. Itali et impressi FAUNOS. cantum hunc silvarum ingeniose Attius in pastoris persona tribuit vocali illi in Minyarum nave tigno, in Ciceronis de natura deorum II, 89, *Silvani melo Consimilem ad auris cantum, et auditum, refert*.

582. LUDOQUE LOCANTI. Corrector oblongi IOCANTI. mox quadratus *Chordarumque sonus*, ut 576 *dispersus*, 465 *opinatos*, 459 *campus*.

587. PINEA SEMIFERI CAPITIS ULLAMINA QUASSANS. Quadratus *semifieri*. Brixiensis editio *volamina*, Itali et editio Veronensis et Marullus VELAMINA, ut in I, 930 *Unde prius nulli velarint tempora musae*. Vossius et Heinsius cur littera addita *vallamina* maluerint ignoro: Wakefieldi rationes ineptae sunt.

590. PETERE DE GENERE HOC. Brixiensis editio, non Veronensis, *Praeterea genere hoc*. Itali et Marullus CETERA, satis bene, itaque prorsus in V, 845 *Cetera de genere hoc monstra ac portenta creabat*.

594. HUMANUM GENUS EST AVIDUM NIMIS AURICULARUM. Hoc Wakefieldo elegantissimum videtur, mihi inproprium et ambiguum. maluit aliter dicere Plautus in Sticho I, 2, 45 *Numquis hic alienust nostris dictis auceps auribus?* optime Bentleius *avidum nimi'* MIRACLORUM.

598. CONLOQUIUM CLAUSIS FORIBUS QUOQUE SAEPE VIDEMUS. Haec quoque, quae ceteris sordent, uni Wakefieldo pulchra sunt. una littera addenda est, ita, *Conloquium clausis foribus quoque saepe* UBI *demus*. Propertius V, 10, 32 *Colloquiumque sua fretus ab urbe dedit*.

600. SIMULACRA RENUNTANT. Quadratus *rerūtant*. Itali RENUTANT.

602. QUALIA SUNT VITREI, SPECIES QUA TRAVOLAT OMNIS. Quadratus *vitre* (*i* super *e*) *speciis* (*e* super altero *i*) *qua transvolat omnis*. ut hic *vitrei* genetivo, ita plurali in I, 230 *ingenuei* et in III, 97 *oculei*, neque saepius nostri codices hunc antiquum scribendi morem integrum conservarunt. de genetivo notum est quid Lucilius et Nigidius praeceperint; quare Schneidewinus apud Martialem XI, 90 in Lucilii ipsius versu non debuit scribere *Luceilei*. horum

Digitized by Google

sententiam, ne eam arbitrio grammatico tribuamus, senatus consultum quod est de Bacchanalibus mire confirmat, in quo recti casus hi sunt, *quei*, *foideratei*, *oinvorsei*, *virei*, obliqui autem *Latini*, *urbani*, *sacri*, sed maior testium pars non consentit. in lege Thoria *populi Romanei* et *populei Romanei*, *quodve agri locei publicei*, *eius agrei locei*, *ceivis Romanei*, *in colonei numero*, *in eo numero agrei*, *vinei oleive*, *modum agri locei*. in Servilia *parentisve suei*, *regis populeive ceivisve suei nomine*, *quoius regis populeive nomine*, *tribuendei causa*, *populei fiet*. in lege pagi Herculanei *magistrei pagei*. in lege de Termensis *leiberi amicei socieique populei Romani sunto*. in lege Rubria *praefectusve eius municipei*, *damnei infectei* et *damni infectei*. in aere Heracleensi *operisve publice faciumdei causa*, *stercoris ex portandei caussa*, *habitandei utendei caussa*, *in demortuei damnateive locum*, *furtei* et *iudicio mandatei condemnatus*, *depucnandei caussa auctoratus*. atque de dandi vocandique casu aliter Lucilium ac vulgo putatur praecepisse versiculi eius ostendunt, qui sunt huius modi. *Hoc illi factum est uni*, *tenue hoc facies i*. *Mendaci furique*. *addes e*, *cum dato Furei' Iusseris*. sic enim haec scribenda sunt: nam *cum dare furei Iusseris*, quod est apud Quintilianum, intellegi non potest, *dato* autem Plautus corripuit in Bacchisin I, 1, 51 *Dato qui bene sit*. sed in dativis quoque sive ablativis, si s. c. de Bacchanalibus factum excipimus, in quo est *in coventionid*, instrumenta publica videmus valde variare. epitaphium L. Corneli Cn. f. Cn. n. Scipionis *Quoiei vita defecit*, *non honos*, *honore (-em)*, *Is hic situs*, *quei nunquam victus est virtutei*. *Annos gnatus* XX *is leto est mandatus*, *Ne quairatis honore quei minus sit mactus*. lex Thoria *quoieique*, sed *quoi*, 17 *ab eorum quei*, 62 68 *ei heredeive eius*, 98 *eique operei*. in Servilia *eiei* p. 15 18 72 80 93 97, *ei* 36 57 89, 14 *quoiei*, 91 *alterei*, 72 *iudicei*, 72 90 *maiorei parti*. in lege pagi Herculanei *Iovei compagei*. in lege Cornelia de XX quaestoribus II, 34 *praeconei*. in tabulae Bantinae tergo *hoice leegei*. in Heracleensi 25 27 *in partei*, 49 *redemtorei — heredeive eius*, 64 *urbei Romae*, 98 *aleive quoi*. in lege Rubria I, 45 *captionei*, II, 28 *omnei*, 30 *iei*, quod scriptum est *ii* in tabula Heracleensi 43. *iei* ex Terentio apud Nonium p. 278, 23. e Varrone Charisius p. 97 *annalei*. in Catulli codicibus unum pluralis exemplum intemeratum remansit 61, 213 *bonei coniuges*, vocativi item unum 23, 1

Digitized by Google

Furei, contra Lucilii regulam autem dativi duo, *Herculei* 55, 13, *mei* 77, 3 (ita *mei misero* in Novii versu apud Nonium p. 336, 13, *meique* in Ciceronis ad Atticum epistularum XII, 13, 2, *mei auctor es* XIII, 40, 2; quamquam haud scio an pronomina personalia Lucilius exceperit: certe *sibei* in s. c. de Bacchanalibus legitur, nec Nigidius discrepat, qui scripsisse videtur *meï* genetivo, *miei* dativo), genetivi apud Catullum complura, 28, 5 *Romulei Remique*, 61, 206 *pulveris Africei*, 63, 91 *domina Dindymei*, 64, 278 *e vertice Pelei*, 65, 14 *fata gemens Itylei*. quamquam haec ex uno antiquissimo codice, qui ante finem saeculi quarti decimi in alios transcriptus non fuerit, derivata esse doctis aegre persuadeo: certe vel C. F. Hermannus nuper versum quendam Catulli 64, 109 ita tractavit ut editionem meam numquam vidisse videatur. in Lucretii versu Marullus scripsit *species quae transvolat omnis*, neque quisquam post eum *qua*, quod libri exhibent, restituit. mihi nihil obstare videtur quo minus *illac travolare* dicatur species. ita in VI, 349 *foraminibus liquidus quia transvolat ignis*, ubi male libri *transviat*.

603. PARTIS IN CUNCTA. Corrector quadrati, Antonius, Brixiensis, CUNCTAS.

604. GIGNUNTUR, UBINA DISSILUIT SEMEL. Quadratus *Dissuluit*. huius corrector *ubi* UNA, quod idem post eum Lambino placuit. minus bene Marullus *ubi iam*. Itali et olim impressi *ubi nam*. ne hoc quidem Wakefieldo nimis insanum visum est, quamvis constructionem pervertat, neque ante Catullum Vergilium Horatium *nam* coniunctionem quisquam alibi quam in ipso sententiae initio posuerit. nam de Plauti versu qui est in Milite IV, 9, 2 Handio in Tursellini tomo IV p. 3 codicum scripturae adhaerenti credere per metrum non licet: potest scribi *Ego iam iam conveniam illunc, ubi ubi est gentium*. de Dirarum autem scriptore, cuius est 115 *Dulci namque tumet*, Merkelio et Hauptio assentior, qui eum Vergilio parem aetate faciunt, alter ad Ibin p. 364, alter in observationibus criticis p. 47. praeterea observandum est Tibullo hoc probatum non fuisse, in cuius libro II, 4, 12 in excerptis Parisiensibus est *Omnia nunc*, non *Omnia nam*. Lygdamus vero in hoc ut in aliis a Tibullo differt: dixit enim 4, 43 *casto nam rite poëtae*.

Digitized by Google

607. Ergo replentur loca vocibus, abdita retro Omnia quae circum fuerunt. *Fuerunt* quia caret sensu, Marullus scripsit *fuerint*, quod est fere *erunt* vel *sunt*, vel potius *esse possunt*. sed hoc *quae fuerint* mihi iners et molestum videtur. melius est ut de *vocibus* haec accipiantur, *abdita retro Omnia quae circum* feriunt.

609. vis derectis. Impressi viis. sed imperiti est scribere *directis*, Wakefieldo solo dignum *de rectis*. *derige derigit derexere derexerat derectaeque* Mediceus Vergilii codex sexiens, nec saepius idem *dirige dirigite dirigere direxit direxti*.

610. cernere nemo Saepe supra potis est, at voces accipere extra. Marullus nullo sensu *Se supra*, neque sufficit *Saepta supra* Wakefieldi. poëta alibi *per saepta* dixit, semel *inter saepta:* hic videtur scripsisse Saepem intra, quia sequebatur *extra* et male sonabat *Saepta intra*.

612. dum transit clausa. Versum in fine mutilum supplere facile possumus ex libro I, 354, ubi est *Inter saepta meant voces et clausa* domorum *Transvolitant*. pessime Itali *clausa* (Marullus *claustra*) *viarum*.

615. Hoc qui sentimus sucum, lingua atque palatum Plusculum habent in se rationis plus opere. Hoc falsissimum est et aperte repugnat versui 522, quamvis probet Wakefieldus cum familia sua. laudandus ergo Marullus, qui scripsit Nec *quis sentimus*. nam *nec plusculum* est nec minimo plus. Varro de re rustica II, 7, 10 *Cum conceperunt equae, videndum ne laborent plusculum*. nihil tamen causae est cur *quis* potius scribatur quam *qui:* neque in fine Marullus debuit scribere *plus operai*, sed *plus* operaeve. Antonius Marii *plus operae quid*, olim impressi *plus opereque*, Lambinus *plusque operai*.

619. Siquis forte manu premere ac siccare coepit. Quadratus *praemere ac sicare*. Antonius Marii et Marullus *ac siccare recepit:* Avantius multo melius *exsiccareque coepit*, et potuit propius ad litteras *adsiccareque*, vocabulo a Columella frequentato. Wakefieldo tamen 'tutius' videtur *coëpit* scribere quam aliquid temptare; 'quamvis' inquit 'non adhuc in exemplum quidpiam, rem propius, uti valde vellemus, attingens, inciderimus.' mihi exemplum huius perfecti praesto est, sed, ut mihi videtur, fallax.

Digitized by Google

Claudius Sacerdos in libro primo p. 44, ubi de synecdoche agit, haec habet, *Per id quod dicitur illud quod sequitur. Rex ambas ultra fossam retinere coëpit: subauditur enim manus.* in hoc versu, quem Ennii esse puto, Vindobonenses recte fecerunt *ambas*, cum in codice esset *amus:* sed *retinere* mihi obscurum est, quod vix potuit aliud esse quam *protendere:* hoc autem admisso evanescit trisyllabon. Plautina quaedam huius trisyllabi exempla Ritschelius ad Trinummum p. LXXVI vana specie fallere statuit. idem tamen quod hanc formam rationem habere negat, mihi non persuadet: nam ab *apiendo* ut fit *copula*, ita *coïpere coëpisse coëptum*, e quibus *coepisse* non minus recte quam cetera contrahi potuit eo modo quem in *coemisse* notavimus libro II, 1061. ab eo autem quod est *aptare* Afri fecerunt *coaptare*, non veteres.

622. MANANTES CORPORA SUCI. Marullus MANANTIS. paulo ante *rare* oblongus, *raro* quadratus.

624. UMIDAI LINGUA CIRCUM SUDANTIA TEMPLA. Itali UMIDA LINGUAI. sed hoc satis est: *umida* linguae templa eadem *sudantia* in uno eodemque orationis membro nimis moleste dicuntur. longe aptius haec ad suci corpuscula referemus, *Umida linguai circum* SIDENTIA *templa*. Arnobius in II, p. 46 *radiorum et lucis intentione videamus, an rerum* imagines *advolent et nostris in pupulis* sidant; *utrum sapor in rebus sit an palati contagionibus fiat*. infra 1092 de cibo et umore *Quae quoniam certas possunt obsidere partis*. Lucilius apud Nonium p. 458, 8 *Quod si nulla potest mulier tam corpore duro Esse, tamen tenero maneat quin* (libri *que*) *sucu' lacerto Et manans uber* (libri *manus uberi*) *lactanti in sumine sidat*.

631. DIDERE POSSES. Itali POSSIS.

632. ET STOMACHI UMIDUM SERVARE TENOREM. Marullus *humectum*, satis bene, nisi melius esset UMIDULUM.

633. NUNC ALIIS ALIUS QUI SIT CIBUS UT VIDEAMUS, EXPEDIAM. Primum hic aut *Expediam* super est, aut *ut videamus*, et molestis ambagibus vix explicatur oratio. deinde verendum est ne haec nimis breviter enuntiata sint, *qui aliis alius cibus sit:* certe in VI, 773, ubi nos ad hunc locum remittit, multo plenius dixit *Et magis esse aliis alias animantibus aptas Res ad vitai rationem ostendimus ante*. manifestum est utrique vitio unam eandemque medicinam adhibendam esse: nec mihi videtur quicquam inveniri posse, quod

Digitized by Google

Lucretio dignum sit neque a veri similitudine alienum, nisi hoc, *Nunc aliis alius qui sit cibus* UNICUS APTUS *Expediam*.

636. TANTAQUE HIS REBUS DISTANTIA DIFFERITASQUE EST. Rectissime apud Nonium p. 95, 30 non modo IN *his rebus* scriptum est, sed etiam in fine omissum EST: ita enim melior fit compositio. est autem ad hunc versum e superiore iterandum *sit*, quod latet in *possit*.

637. UT QUOD ALIIS CIBUS EST ALIIS FRUAT ACRE VENENUM. Quadratus *Ut quod alius cybus est aliis fiat*. in oblongo recte factum FUAT. Marullus *Ut qui aliis cibus est*, multo certe peritius quam ceteri, qui aut *alis* scripserunt aut *aliis* disyllabon esse posse existimarunt. scribendum est ALI, quod habent membranae in VI, 1227, *Nam quod ali dederat*. in tabula Heracleensi 98 *aleive quoi mag. rogando sub rogandove*. Priscianus p. 1014 *Aliter quoque, ab eo quod est hic alis, huius alis, huic ali, pro alius alius alii*. in aliorum poëtarum versibus trisyllabum solum invenio, quo tamen ipso utuntur pauci. Naevius apud Paulum libro I ex Festo, in *adnictat, Alii adnutat, alii adnictat, alium amat, alium tenet;* quibus quae Isidorus addit orig. I, 25, ea non tangere tutius est. Terentius in Hecyra II, 2, 28 *Aliud fortasse alii viti est*. III, 5, 59 *ut alii, si huic non est, siet*. Horatius bis *Nunc mihi nunc alii:* idem *Tu, mihi qui imperitas, alii servis miser*. Ovidius *alii rediture* epistula V, 59. *alii* Manilius III, 80, Lucanus VIII, 642 IX, 1053. Plautus in Milite IV, 8, 47 *Et ita si sententia esset, tibi servire malui Multo quam alii libertus esse. habeto animum bonum*. quamquam haec utrum ita ut scripsi legenda sint non satis constare puto: nam vetus Camerarii habet *libertatis*, quod ita accipiendum est ut dicat se militi servire maluisse quam alios Libertati deae.

638. EST ITAQUE UT SERPENS, HOMINIS QUE TACTA SALIVIS DISPERIT. Wakefieldo iudice his nihil facilius est, *Est itaque, ut (ubi, vel quando) serpens, quae tacta est salivis hominis, disperit*. nobis, qui deorum sermonem ne si Forbiger quidem ὑποφήτης fiat intellegimus, aut *itaque* aut *ut* supervacaneum esse, utrumque autem coniunctum orationem videtur perturbare; pro quibus si scribemus *Est* ALIQUAE *ut serpens*, nihil supererit in quo haereamus. *aliquae*, inquam, non *aliqua*, ex usu Lucretii. supra 263 codices *tamquam alique res Verberet*. Festus p. 254, 28 *Quispiam quin significet*

Digitized by Google

aliquis, et quaepiam aliquae, — dubium non est. Marullus dedit *Est utique ut serpens*, id est (nam Lambinus non cepit) Ut extat utique serpentis species. sed ego *utique* particulam ut a nullo poëtarum in versu positam repperi (nam in Caecilii versu qui est apud Festum p. 339, 32 recte Bentleius ad Adelphos IV, 2, 52 *usque:* in libro XI Silii 163 *utique* est correctoris imperiti figmentum: in Lucretii II, 569 pro *itaque*, quod est veterum, Antonius Marii et Marullus *utique*), ita vereor ne media syllaba producta dicenda sit, quem admodum idem Bentleius mihi in Terentii Hecyra II, 1, 2 et in Phormione V, 6, 34 *utin* correptum recte videtur improbasse, quamquam Reizius toleravit in Rudente IV, 4, 19. *utique* autem antiquissimi non dixerunt, ne Caesar quidem, nedum Cato, cui tribuit librarius Festi p. 305, 14; Varro in rerum rusticarum libris aliquotiens, II, 4, 3 21 10, 11 III, 7, 6 12, 7, Vitruvius, si satis attendi, bis V, 10, 1 4, Cornelius Nepos semel, Sallustius in Iugurtha 3, 1. atque id vocabulum, nisi fallor, quo tempore primum in sermonem vulgarem venit, hoc est Ciceronis aetate, qui eo, quantum scio, praeter quam in epistulis et de divinatione II, 120 non utitur, non sine ioco quodam dicebatur, cum significaret haec mirabiliter contracta, *et ita quidem uti oportet:* derivatum est enim ex formulis sollemnibus instrumentorum publicorum, quales sunt *quae utique* vel *quibus utique*, *atque utique*, *was* oder *wem und wasmassen*, *als und wasmassen*. ita legimus in Heracleensi tabula I, 14 *eademque omnia quae uteique in tabulas retulerit, ita in tabulam in album referunda (curato);* item I, 72 *neve eorum quod* (immo *quid*) *saeptum clausumve habeto, quo minus eis loceis porticibusque populus utatur pateantve, nisi quibus uteique legibus plebeive scitis senatusve consultis concessum permissumve est;* et in lege Thoria 71 72 *neive — propiore die exigito atque uteique in hac lege scriptum est. — quod pequniae ob eam rem propiore die exactum erit atque uteique in hac lege scriptum est. — quo ea pequnia — aliter exsigatur atque uteique in hac lege scriptum est*. hoc ipsum *atque utique* in Milite Plauti IV, 3, 37 sententia admittit, numeri recusant; ubi cum libri habeant *Numquid videtur demutare aut utique Dixi esse vobis dudum hunc moechum militem?* scribendum existimo *Numquid videtur demutare alio atque uti Dixi?* ut ibidem est IV, 7, 8 *Oratio alio mihi demutandast mea*. sed plane similem originem

Digitized by Google

habet *ubique*, non antiquius illo vocabulum, quod ante Vergilium et Livium non sine pronomine relativo posuerunt, ut *omnes mortales qui ubique sunt*, quasi dicas *wer und wo sie sind;* ut Sallustius in Catilina 37, 5 *qui ubique probro atque petulantia magis praestabant, — ii Romam confluxerunt*, idemque in interrogatione ibidem 21, 1 *quid, ubique, opis aut spei haberent*, quomodo M. Tullius de divinatione II, 94 *qui ventus, qui imber, quae tempestas ubique sit*. ceterum ineptissime agunt qui haec vocabula nova, hoc est quorum aetas litteras nobis servatas non superat, eodem loco habent cum antiquissimis, qualia sunt *usque undique plerumque uterque*.

641. ET COCTURNICIBUS. In oblongo a correctore factum COTURNICIBUS: quadratus *et quod turnicibus*. recte scribitur apud Plautum, eadem primae syllabae quantitate, in Asinaria III, 3, 76 *Dic me igitur tuum passerculum, gallinam, coturnicem*, et in Captivis V, 4, 6 *Aút anites aut coturnices dantur, quicum lusitent*. Caper grammaticus p. 2248 *Cuturnices, non cocturnices*.

642. ID QUIBUS UT FIAT REBUS. Lambinus, nihil memorans, sed recte, UT *quibus* ID *fiat rebus cognoscere possis*.

648. PROINDE ET SEMINIBUS CONSTANT VARIANTQUE FIGURA. Ita libri. sed *et* ad sententiam nihil addit et Lucretii consuetudini repugnat. nulla demonstratione opus est ut intellegatur scribendum esse *Proinde* EX *seminibus constant* VARIANTE *figura:* nam eo prorsus modo eadem res dicitur libro II, 722, *ita quamque necessest Dissimili constare figura principiorum; ita*, non *ita et*, neque *constant principiis et figura dissimilia sunt*, quod absurdum foret, sed *Dissimili principiorum figura* sive *seminibus figura variante*.

655. RATIO UT. Ita oblongus et Antonius Florentinus: quadratus et olim impressi non habent *ut*.

659. LEVISSIMA CORPORE. Itali CORPORA.

660. CAUDAS. Corrector quadrati et ceteri CAULAS.

662. ASPER ANIMORUM. Itali et Brixiensis editio ASPERA NIMIRUM.

671. 672. UTRAQUE ENIM SUNT IN MELLIS COMMIXTA SAPORE; ID QUOD IAM SUPERA TIBI SAEPE OSTENDIMUS ANTE. Ad haec Lambinus confidenter adscribit ID QUOD IAM SUPERA) *lib.* 2. hunc ita mentientem secuntur Gifanius et Pareus. Wakefieldus inepte interpreta-

Digitized by Google

tur, sed verissime concedit de *melle* poëtam nihil eius modi dixisse. ceteri tacent, Pius, Nardius, Faber, Creechius, Havercampus: solus Forbiger, difficultatem fraude celans, hunc versum paululum mutatum iam adfuisse dicit I, 430. sed velim scire quaenam illa sint quae *utraque* poëta in melle commixta dicat: nam *et amara et dulcia* unde sumat Lambinus non video. praecesserant enim haec, 668—670, ea corpuscula quae sani hominis sensui convenerint aegroto non convenire, sed cetera asperiora ei magis apta esse. haec igitur utraque si mellis natura commixta in se continebit, aegroto pariter ac sano conveniet, ideoque tota res, praeter quam quod nec vera est neque prius a poëta exposita, huc non pertinebit. iam vero de melle et lacte dixerat in II, 402 horum elementa, quae sensus iucunde tangant, levia et rotunda esse minusque hamata; deinde in III, 193 mellis materiam magis quam aquae inter se cohaerere, *quia non tam levibus extet Corporibus neque tam suptilibus atque rutundis*. ex his apparet mel ex levibus asperioribusque elementis compositum sensus magis minusve suaviter afficere pro texturarum varietate. itaque hoc poëta in exemplum rei paulo ante traditae recte uti potuit; ut manifestum sit hos versus post 662 collocandos esse; qui cum ibi casu praetermissi essent, repositi sunt in fine capituli.

668. Fit prius ad sensum. His addiderunt *ut* Antonius Marii et Marullus; quod Wakefieldus respuit, Forbiger ne commemoravit quidem: adeo hi infantem poëtam malunt quam more hominum loquentem. sed sententiae aptius inter se iunguntur, si Ut scribimus eo loco ubi libri habent *Fit*.

677. alius et magis est. Quadratus *alius est magis et*. Brixiensis editor omisit et, itaque Antonius Marii.

680. Volturique. Marullus Vulturiique. in Heracleensi tabula 80 *scribae librarei*, in decreto Pisano I, 56 *sive qui ali magistratus erunt*. sed haec vitiosa sunt, neque poëtae his utuntur. quaerendum est quo iure *Gabi* Propertius dixerit V, 1, 34: praeter hunc enim qui casu recto usus sit nullum novi, neque constare adhuc puto quomodo *Crustumeri* dicere potuerit Vergilius in VII, 631. in Manilii I, 787 Bentleius recte, nisi fallor, improbavit *Certantesque Deci votis*. neque credendum Eutychio, cum dicit p. 2147 Terentium in Eunucho per apocopam posuisse *lani*. illud certissimum est,

Digitized by Google

neque Propertium in III, 24, 51 scripsisse *Ii tibi nos erimus*, neque Ovidium in metamorphoseon VIII, 726 *Cura deum pii sunt*, quod ei homines imperiti adscribunt, cum in bonis exemplaribus recte legatur *Cura deum di sint*, id est Sint nobis deorum loco quos ipsi dei sua cura dignati sunt, *et qui coluere colantur*.

681. UNGULA QUO TULERIT GRESSUM PROMISSA CANUM VIS DUCIT. Sic uterque codex. PERMISSA Iohannes Fredericus Gronovius, qui id optime tuetur in observationum II, 13 p. 317. pro altero pugnat Heinsius in adversariis p. 374 ad Silium III, 534: sed animata et agentia non videntur *promitti* aut *se promittere*. praeterea huic sententiae *quo tetulit gressum* convenit, non *quo* cumque *tulerit*; quare rectius scribemus *quo tulerit gressum* DICIT.

696. REDOLORE VIDENTUR. Corrector oblongi REDOLERE.

698. ESSE CREATAM. Itali CREATUM.

706—721. NEC TAMEN HOC SOLIS. Hic idem observare licet quod versu 129 vidimus. nam hi versus neque apto loco positi sunt, neque possunt in suum, hoc est post 686, traici. cuius rei quae causa sit iam satis patere existimo.

710. QUM ETIAM GALLUM NOCTEM EXPLONDENTIBUS ALIS. Quadratus *Qur etiam* et *explendentibus*. corrector oblongi QUIN *etiam* et EXPLAUDENTIBUS. *displudantur* lectum est apud Varronem de re rustica II, 5, 8, *displordantur* cap. 9, 4.

712. RAPIDI —— LEONES. Recte RABIDI Wakefieldus. 'cui assentiri non possum,' inquit Forbiger. debebat scire *leones rapidos* Latine dici non posse: nam vix credibile est etiam nunc magistros esse qui ut olim pueros doceant *rapidum* et *trepidum* non esse celerem et commotum, sed rapacem et tremibundum.

719. PENETRANTIBUS ILUS. Corrector quadrati et codices impressi ILLIS.

721. NE POSSINT EX UILLA. Correctores veteres *ex* ULLA. quadratus *non possint*.

727. BRATTEAQUE AURI. Quadratus *bratieaque*. in Aeneidos VI, 209 Mediceus et Romanus *brattea*, quos Wagnerus non curavit, neque aliter exemplaria Martialis VIII, 33,

Digitized by Google

6 IX, 61, 4, item in Prudentii peri stephanon hymno X, 1025 *brattealis*, in XII, 49 *bratteolas*, Bambergense Plinii XXXIII §. 51 XXXVII, 105 106 *brattias brattea bratteis*, in Iuvenalis satira XIII, 152 Pithoeanum *bratteolam*. grammaticus Eichenfeldii p. 444 *brattea, non brattia*. *bratteum* in corpore Putschii p. 2301. itaque videndum est ne barbaram consuetudinem sequantur qui scribunt *bractea*, ut *mactea blacta Actius Actis auctumnus arctus farctus mulcta*, quae ante quadringentos vel quingentos annos nata sunt. quamquam non ignoro in alteram quoque partem peccari. oblongus in VI, 88 *quo patto* et in II, 202 *cunta*, quadratus in IV, 88 *suttili*, idem in V, 622 *santa*. nec nimis rara sunt talia in saeculi sexti libris, cuius modi sunt *vettigal sudditus cintus autor amiddola:* sed in primis memorabile est in epistula Pauli ad Corinthios prima XV, 54 omnia exemplaria Latina vetera habere *absorta est mors*, nullum *absorpta*.

730. PENETRANT PERARA. Marullus PER RARA.

733. CERBEREASQUE CANUM FACIES. Quadratus *canum eacies*. Marullus cur *fauces* scripserit nescio. ceterum hic Lucretio placuit *simulacraque eorum Quorum morte obita*, at in I, 135 *audireque coram Morte obita quorum;* ut appareat eum haec paria ac simplicissima, *eorum quorum*, non improbasse, noluisse autem quae dissimilia essent, sed non satis, coniungere, *coram quorum*.

735. OMNIGENUS. Olim impressi *Omnigenum*. Marullus OMNE GENUS.

736. QUE FLUNT. Quadratus et corrector oblongi *fluunt*. Marullus FIUNT.

740. NULLA FUIT QUONIAM TALIS NATURA ANIMA. Impressi *animai* sine sensu. recte Lambinus ANIMALIS.

741. VERUM UBI EQUI ATQUE HOMINES CASU CONVENIT IMAGO. Corrector quadrati et ceteri HOMINIS. sed alterum in hoc versu vitium esse dixi ad librum III, 942; quod corrigemus aptissime ita, *Verum ubi equi* CASU *atque hominis convenit imago*.

743. ET TENUA TEXTA. Corrector oblongi TENVIA.

752. NUNC IGITUR DOCUI QUONIAM ME FORTE LEONUM CERNERE PER SIMULACRA. Lambinus recte dedit QUONIAM DOCUI, ut in III, 203 *Nunc igitur quoniamst animi natura reperta*. tum Marullus *leones*, quod Wakefieldus cogi-

Digitized by Google

tando addendum censet. nos neutrum sequemur, sed scribemus quod unice ad rem facit, *forte* LEONEM.

754. MENTEM SIMILI RATIONE MOVERI PER SIMULACRA LEONUM, CETERA, QUE VIDET AEQUE, NEC MINUS, OCULI ATQUE. Ita haec Forbiger distinxit, mente mota, ut suspicor, per leonum simulacra. versum autem suo loco incisum non esse idem ne animadvertit quidem, mirificus magister, Qui solus legit ac facit poëtas, qui ad librum I, 54 sibi 'breviter commemorandum' duxit 'in Lucretio, ut omnino plurimos versus male compositos, sic etiam permultos inveniri, nec tertio, nec quarto pede legitimam caesuram referentes,' ad hoc exemplis usus huius modi, *Reddunda in ratione | vocare | et semina rerum, Quid nequeat finita | potestas denique cuique*, cum posset paulo maiore cum specie aut libri II versum 1059 adferre aut ea de quibus dicam ad VI, 1067. saniore iudicio Marullus scripsit ET *cetera*, quod Lambinus et Wakefieldus, omnia perverse interpretati, reiecerunt. non libet eorum commenta excutere, cum ne dubitandum quidem sit quin haec ita concipienda sint. *Scire licet mentem simili ratione moveri, Per simulacra* LEONEM *et cetera quae videt aeque Nec minus* ATQUE OCULI. nam verba postrema hoc ordine scribenda esse Itali iam viderunt.

760. UT VIDEAMUR CERNERE EUM QUE REDDITA VITA IAM MORS ET TERRA POTITAST. Itali et Marullus *eum* QUEM. iidem male *vitai*. Havercampum et Wakefieldum cum suis non puduit ex *reddibo* Plautino, quod media brevi est, portentum verbi fingere, unde fieret *reddita* media producta. Gronovius ad Senecae Oedipum 271 *Reddita vitai iam sors potita est*, contorte et inproprie. scribendum est *Reddita* PRO *vita iam mors*.

765. PRAETEREA. Quadratus *Propterea*.

766. MORTIS LITIQUE POTITUM. LETIQUE Itali et impressi.

777—817. MULTAQUE IN HIS REBUS QUAERUNTUR. Haec quoque, ut ea quae paulo ante consideravimus 706, Lucretio dignissima sunt, non interpolatore quem fingit Forbiger: sed eadem neque eo consilio scripta sunt, ut ceteris ita ut factum est insererentur, neque ullo alio huius poëmatis loco reponi possunt. nam primum haec coeptam disputationem interrumpunt, ut lector a versu 776 ad 818

Digitized by Google

transire debeat. deinde in his ex parte eadem tractantur quae in prioribus. quis enim ferat ita bis de simulacris dici, quomodo membra moveant et iactent bracchia, ut factum est versu 768 et 788? et cum versu 775 in uno quoque tempore sensibili magna particularum copia adesse dicitur, id ni mirum idem est quod versu 794 exponitur, in uno quoque tempore, in quo re vera multa tempora lateant, in loco quoque simulacra quaeque praesto esse.

795. CONSENTIMUS, ID EST, CUM VOX EMITTITUR UNA. Hunc versum corrumpere ea quibus ingestus est, Lambinus recte vidit. ea sunt haec, *quia tempore in uno Tempora multa latent, ratio quae comperit esse*, in quibus sententia perfecta et absoluta concluditur. quaerendum est ergo, siquid forte in vicinia positum sit, quod hoc versu interiecto adiuvari possit. atquin ipsa haec verba, *cum vox emittitur una*, remittunt nos ad versum 785, ubi est *Omnia sub verbone creat natura paratque?* nam eadem sunt *vox* et *verbum* et *libido* versu 779: *sub verbo* est sub iussu, docte illustratum a Bünemanno ad Lactantii institutionum librum IV, 15, 22. sed in illis ipsis versibus difficillima sunt haec, *Si mare, si terram cordist, si denique caelum;* ubi ad *si cordist* infinitivus supplendus est, qui nusquam legitur: nam neque Creechius sanum interpretem egit, cum haec ita expressit, *si placuit cogitare*, neque Marullus, qui hic solus attendit, bonum artificem, cum scripsit *Si mare, si terra est, si cordi denique caelum*. quid igitur si hunc versum illuc transferimus, et quidem, quia aperte corruptus est, leniter emendatum? *Et simul ac volumus nobis occurrit imago?* QUOD *sentimus, id est? cum vox emittitur una; Si mare, si terram cordist, si denique caelum*. ita enim apparet *esse* addendum esse, cum *id est* praecesserit: *si cordi est esse mare, si terram, si caelum*.

790. MOBILITER CUM ALTERNIS BRACHIA MITTUNT ET REPETUNT OCULIS GESTUM PEDE CONVENIENTI. Horum ea integra non sunt quae ad pedes pertinent: neque enim *repetitur* nisi quod eodem modo factum est, neque *repetitur oculis* quod ante eos iterum agitur, sed quod ipsi iterum contemplantur. ita Silius III, 533 *tanta formidine plana Exterrent repetita oculis*. quare necessario scribendum est *Et* REFERUNT *oculis gestum*. Ovidius in epistula VII, 26 *Aenean animo noxque diesque refert*.

Digitized by Google

798. PRESTO SIN SIMULACRA LOCOS IN QUISQUE PARATA. Oblongus *Presto in simulacra*. recte Antonius Marii et Marullus SINT. sed idem Marullus male, quamvis plaudente Wakefieldo, *locos in quosque:* neque enim id nunc agitur, in quaenam loca eant simulacra. recte Antonius LOCIS *in quisque*.

799—801. TANTA MOBILITASST ET RERUM COPIA TANTA. HOC UBI PRIMA PERIT ALIOQUE EST ALTERA NATA INDE STATU, PRIOR HIC GESTUM MUTASSE VIDETUR. Haec et emendatius scripta et suo loco posita supra legimus 774 771 772; quae hic frustra adscripsit lector, quem iam novimus, ille philosophus. horum versuum duos Lambinus delevit, primum ceteris non aptiorem reliquit.

802. NISI QUE CONTENDIT. Recte Lambinus *nisi* SE *contendit*. in proximis est *Ipse parat sese porro*, item *contendere se atque parare*, denique *quibus est in rebus deditus ipse*. ex quibus perspicuum est non modo hic Lambinum recte sensisse, Wakefieldum autem turpiter labi, qui coniungat *quae cernere contendit*, sed etiam in versu proximo, quem libri bis exhibent, sed quadratus ubi alieno loco legitur adrasum, verba aperte corrupta, quae sunt huius modi,

804. 808. PEREUNT, NISI QUE EX SE IPSE PARAVIT, ita corrigenda esse ut faciamus *nisi* SI QUAE AD *se ipse paravit*. nam non sufficit inventum Lambini, *nisi sic sese ipse paravit;* quod cur Forbigero in codicibus suis invenisse videatur, non quaero, quoniam scio eum hoc ut cetera sine ratione dicere. qui *ex* praepositionem probant, rem non perceperunt. infra 1046 *quo se contendit dira lubido*. *si quae corpuscula* legimus supra 199 (ita enim recte Marullus: postea Lambinum secuti distinxerunt cum summo orationis dispendio *si*, *quae*), neque usquam *qua* posuit Lucretius, ut in VI, 841 dubium non sit quin *si quae* scribere oporteat.

805. SPERATQUE FUTURAM. Optime Marullus FUTURUM.

811. NOCERE POSSIS. Itali et impressi NOSCERE.

815. PRAETEREA QUAM QUIBUS EST. Avantius PRAETER *quam*. *praeterea quam*, quod Bentleius probabat in Terentii Andria IV, 4, 13, Latinum esse negat Handius in Tursellini tomo IV p. 548. certe Latina sunt *postea quam* et *ar-*

Digitized by Google

vorsum ead quam in senatus consulto de Bacchanalibus, sed sine relativo.

818. NOS SUPPEDITETUR. Brixiensis editio NON.

820. IN MANIBUS VIRTUTI FACTUS. In quadrato VIR UTI factum radendo, neque aliter Itali et Marullus. olim editi *vir tun* et *vir tunc*, quos Avantius secutus est.

826. QUOD NE MIREMUR. Huius versus vera sedes quae esset corrector quadrati annotavit. Marullus quoque vidit.

822. ILLUD IN HIS REBUS VITIUM VEHEMENTER INESSE EFFUGERE, ERRORE MULTAREQUE PREMETUENTER. Quadratus *Illud initis rebus vicium*, oblongus *praemetuentur*. Antonius Marii *errore multas que premeditentur*. ERROREM VITAREQUE eximie corrector quadrati et Avantius. *praemetuenter* recte tuetur Gronovius in observationum III, 5 p. 463: sed idem, quod orationi membra sua nondum constant (quis enim cum Wakefieldo dicat *inesse* ab *interest* non differre?), probavit *vehementer inesto*, id est, inquit, hoc tibi inculcatum, hoc infixum sit. sed hoc *inesto tibi effugere* vereor ut Latine dici possit, et Gronovius id Marulli inventum esse ignorabat, qui ipse quid sentiens ita scripserit non possum certo dicere: fecit enim *Effugere errore illorum qui haec praemeditantur*. iam si quaerimus id quod omnium simplicissimum est, ad complendam sententiam nihil accommodatius invenietur quam *oportet*. hoc tamen verum esse non potest, quia Lucretium ab hoc verbo non sine causa abstinuisse demonstravimus ad librum I, 778. nunc *necessest*, quo poëta uti solet, ab *inesse* tam paucis litteris distat, ut vix credibile sit aliud quicquam hic latere. at id versus non patitur. sed patietur, si illud *rebus* in finem versus reiciemus, cum librarios formulae Lucretianae iam nimis adsuetos hic quoque *Illud in his rebus* continuasse non sit mirandum. scribemus igitur *Illud in his vitium vementer* REBU NECESSEST *Effugere*. his simillimum est in II, 581 *Illud in his obsignatum quoque rebus habere Convenit*, neque haec dissimilia, in eodem 216 *Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus*, et 891 *Illud in his igitur rebus meminisse decebit*. sed in hoc loco verba restituisse non sufficit: longe enim hic difficilius est rerum ordinem et tractationis universae rationem perspicere. nam poëta primum simulacris sensus mo-

Digitized by Google

veri docuit, inde 722 ad motus animi explicandos transiit. his 826 absolutis nemo profecto miraretur, si statim ea quae ab animo initium capere docet, gressum, somnum, Venerem, subiceret. nunc vero ante quam ad haec 877 accedatur, alia ex diverso genere interiecta sunt, quae non ad animum sed ad sensus et ad corpus pertinent: nam primum 822—857 sensus non esse utilitatis causa creatos docet, deinde 858—876 animantes ideo sponte cibum quaerere ostendit, quod corpus multis partibus effluentibus debilitatum vires recipere debeat. horum priora quam similia aliis sint cum contextu carminis non aptius coniunctis, ad librum II, 165 significavi: alterum poëtae tum in mentem venisse manifestum est, cum ea scripsisset quibus quomodo cibus animam adficeret exposuit 954—961. utraque ab argumento libri quarti aliena non sunt, sed nec suo loco posita, neque ita scripta ut ulli carminis parti recte inseri possint. itaque haec quoque alio tempore composita sunt, cum poëta ea quae iam perscripta essent non haberet in manibus.

825. PROSPICERE UT POSSIMUS, ET UT PROFERRE VIA PROCEROS PASSUS. Immo *lumina oculorum creata, Prospicere ut* POSSEMUS: ita enim semper Lucretius, ut in proximis *Bracchia tum porro validis ex apta lacertis Esse manusque datas, Ut facere ad vitam possemus quae foret usus,* ubi Marullus soloece *possimus;* et *Nil ideo quoniam natumst in corpore, ut uti Possemus*. sed in hoc de quo agitur versu ut priora praeteritum tempus, ita quae secuntur praesens *possimus* exigunt, *et ut proferre viai Proceros passus, ideo fastigia posse Surarum ac feminum pedibus fundata plicari*. ergo his proprium verbum attribuendum est hoc modo, *et ut proferre* QUEAMUS *Proceros passus;* idque eo magis quod *proceri passus viae* nulli sunt, neque ullus interpretum explicare ausus est, praeter Pium, qui dicit esse *magnos gradus et spacia viae*. versu 877 *Nunc qui fiat uti passus proferre queamus*.

830. DATAS UTRAQUE PARTE MINISTRAS. Marullus *a parte*. verius est *utraque* EX *parte*, ut in V, 511 *Ex utraque polum parti premere aëra*. *ex parte*, non *e*, ut dixi ad librum I, 843. neque saepius quam ter, nisi fallor, hic poëta dixit *a parte*, in IV, 428 *Longa tamen parte ab summa cum tota videtur*, et in V, 685 *Et quod ab alterutra detraxit parte*, item in

Digitized by Google

vi, 1111 *Quattuor a ventis et caeli partibus esse;* quarto ex emendatione nostra in v, 484 *extrema a limini' parte propulsa*.

836. NEC FUIT ANTE VIDERE OCULORUM LUMINA NATA. Corrector quadrati solus, sed optime, NATUM. hoc et suavius est et simplicius et illis quae secuntur 850 similius, *Et sedare sitim prius est quam pocula natum*. Marullus non bene *oculi quam lumina nata*.

843. CONSERRE MANU CERTAMINA PUGNAE. Corrector oblongi CONFERRE. Vergilius similiter *Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum*, idemque *duri certamina belli Contulerant*. mox oblongus *foedereq:* prima manu, *foedare* omisso *que* quadratus.

847. OBIECTUM PARMAT. Itali et impressi PARMAI.

856. POCUL EST. Iidem PROCUL.

861. SED PLURIMA DEBENT EX ANIMALIBUS, QUIA SUNT EXERCITA MOTU, MULTAQUE PER SUDOREM EX ALTO PRESSA FERUNTUR, MULTA PER OS EXHALANTUR, CUM LANGUIDA ANHELANT. Wakefieldus scripsit *haec quia sunt*, non satis concinna oratione, *multa corpora effluunt ex animalibus, quia haec motu exercita sunt et multa effluunt*. rectius Brixiensis editor *et quia:* sed rectissime faciemus *quae quia* et ordinem versuum mutabimus, hoc modo. QUAE *quia sunt exercita motu*, MULTA *per os exhalantur, cum languida anhelant*, MULTAQUE *per sudorem ex alto pressa feruntur*. ceterum Havercampus, ut solet ea quae nullam utilitatem habent adferre, hic ex quadrato notavit *per os exaltantur*, et in versu proximo *His igitur rarescit rebus corpus*, ubi, si legere didicisset, videre poterat librarium ipsum animadverso errore verum ordinem restituisse, *rebus rarescit*.

869. AMOREM OPTURET. Sic prima manu oblongus, a correctore *obduret:* quadratus *optur re*.

876. IELUNA CUPIDO. Quadratus *teluna:* impressi cum Italis IEIUNA.

877. QUI FLAT UTI PASSUS PROFERRE QUEMUS. Corrector quadrati, Itali, Brixiensis editio, *qui* FIAT. quadratus *quiemus:* Itali et impressi QUEAMUS.

878. VAREQUE DATUM SIT MEMBRA MOVERE. Impressi VARIEQUE. versu 1007 quadratus *Ad varae fugiunt volucres* exhibet; quod si scivisset Wakefieldus, probasset ut hic *vare* probavit; 'bene', si Forbigerum audimus. super-

Digitized by Google

est ut in libro II, 95 scribatur *adsiduo varoque exercita motu*, et in V, 228 *At varae crescunt pecudes*.

879. TANTUM HOC ONORIS. Quadratus *honoris:* ONERIS corrector oblongi.

884. REM QUIS QUAM MENS. Brixiensis editio QUISQUAM *quam*.

885. CONSTARE IMAGO. Marullus CONSTAT.

886. EGO ANIMUS. Corrector oblongi ERGO.

889. ET FACILEST FACTUM. In quadrato erasa lineola FACTU, itaque Antonius Marii.

890. CORPUS PERIT. Marullus FERIT.

897. CORPORIS UTAC NAVIS VELIS VENTOQUE FERATUR. Muretus *Corporis* UT *navis*, quod verissimum puto. Cicero in Sestiana 46 *Cum vero in hanc rei publicae navem* et cetera.

899. TANTUIA. Corrector quadrati et ceteri TANTULA.

905. MULTAQUE PER TROCLEAS ET TYMPANA PONDERE MAGNO COMMOVET —— MACHINA. Immo PONDERA MAGNA: nam neque tympana *magno pondere* sunt nec machina, et durissimum est *multa magno pondere*.

907. MODI SOMNUS PER MEMBRA QUIETE INRIGET. Quadratus *ter membra*. correctores veteres et Macrobius Saturn. VI, 1 MODIS. mox QUIETEM Macrobius. *Inriget* oblongus, *Inrigit* quadratus, *Irrigat* apud Macrobium.

909. SUAUTDICIS. Corrector quadrati et ceteri SUAVIDICIS.

915. TUTIMET. Corrector quadrati et Itali TUTEMET, quomodo scriptum est in libro I, 102. video tamen *tutin* probari a Ritschelio in Milite Plauti 290. recte autem Priscianus p. 947 *tete* accusandi vel auferendi casu utraque producta dicendum praecipit. in Hygini fabula 221 *Nosce inquit tete Chilon Lacedaemone cretus*.

928. POSSIT, UT EX IGNI CAECO. Itali fecerunt *et ex*, absurde: id probat Wakefieldus cum suis. debebant potius intellegere POSSET scribendum esse, non *Possit*.

929. SED QUIBUS HAEC REBUS NOVITAS CONFLAT ET UNDE. Perspicuum est CONFIAT scribendum esse. sed impressi *conflatur* et recentiores cum Lambino *confletur*.

933. AERIIS QUONIAM VICINUM TANGITUR AURIS,

Digitized by Google

TUNDIER ATQUE EIUS CREBRO PULSARIER ICTU. *Ictu eius*, scilicet *aëris*. sed praecesserant *aëriae aurae*, neque ulla est Lucretii in hoc genere neglegentia: nam quod est in I, 352, *Crescunt arbusta* ——, *Quod cibus in totas diffunditur*, id vix aliter dici potuit, nec facile sentitur, cum non sit adiectum *in eas*. ergo scribendum hic est *atque* AB IBUS, vel, si hoc mavis, *aque ibus*. *eis* vel *iis* duabus syllabis Lucretius nusquam utitur: *iis* monosyllabon libri aliquotiens exhibent, saepius *his*; *iis* uterque VI, 1212, quadratus III, 34 267 IV, 238 V, 1091 1312; in IV, 1154 oblongus prima manu *iis*, quadratus *is* (ita in Aeneidos IX, 274 Mediceus *Insuper is*, in Ennii versu *Is pernas* apud Festum p. 305, 19 ubi apud Paulum est *His*), in I, 80 quadratus *in hs rebus*. sed *isdem* ne semel quidem membranae; quare non ausim doctis hominibus adsentiri, quibus ita scribere placuit in II, 693 et in V, 349. *ibus* in II, 88 primus recte dedit Havercampus, idemque scribendum est in libro VI, 755. apud Plautum *iis* vel *eis* raro disyllabum est priore brevi, ut in Poenulo I, 1, 39 *Sati' sunt trecenti. quid iis facturu's? tace*. in Rudentis prologo 73 *Sedent eiecti, navis confractast iis*. in Curculione III, 3 *Dives sum, si non reddo eis quibu' debeo*. sed quaerendum puto utrum aliquando *eieis* dixerit. certe in Menaechmis V, 6, 7 Bacchiaci optime procedunt, *Recordetur id, nili qui sunt, quid eieis Preti detur ab suis eris*. in Captivis II, 2, 30 legendum puto *Tum igitur ei, quom in eieis tanta gratiast ut praedicas*, ubi vetus codex habet *in aleis*. ibidem III, 4, 23, ubi Pareus in vetere *liis* vel *his* esse dicit, credibile est fuisse *Quibus insputari saluti fuit atque eiis profuit*. denique *ibus* priore correpta est in versu Titinii apud Nonium p. 486, 17 *Eu ecástor si morátae sitis ámbae ibu' pro ut ego móribus*; ubi codices *ut pro ego*, *pro ut ego* Hermannus in opusculis, tomo V p. 270. *ibus* ambigua quantitate ex Pomponio ibidem, *Nunc quando voluisti facere, fac voluptati sies Ibus* vel *sis ibus*, et in argumento Captivorum, *Et in ibus emit olim amissum filium*. priore producta in Curculione IV, 2, 20 *Eodem hercle vos pono et paro: parissumi estis hibus*, in Milite I, 1, 74 *Latronis, ibus denumerem stipendium*, in Truculento I, 2, 17 *Ibist ibus púgnae et virtúti de prædonibús praedam cápere*. in glossis Placidi, in classicis auctoribus Maii, tomo III p. 475 et in VI p. 565, *Ibulsis, id est illis:* legendum est *Ibus, his, id est illis*.

Digitized by Google

936. AUT GALLO. Corrector quadrati et Antonius Florentinus CALLO.

944. FIT UTI PARS INDE ANIMA ELICIATUR. Rectissime libri, item Antonius Marii, *fit uti*, de quo dicam ad librum VI, 1007: impressi *sicuti* vel *sic ut*. ANIMAI corrector quadrati et ceteri. sed praeterea scribendum est cum Lambino EICIATUR, ut 917 *foras eiecta*, 923 *Eiectamque foras*, 960 *foras eiectus*.

952. POPLITESQUE CUBANTI SAEPE TAMEN SUMMITTUNTUR VIRISQUE RESOLVUNT. *Poplitisque cavanti* apud Nonium p. 218, 21. *submittuntur* oblongus. hic Isaacus Vossius insigne perversitatis suae, sed Wakefieldo iudice eximiae sagacitatis, specimen edidit, cum legendum dixit *Saepe tama summittuntur*. *tama* enim *dicitur* (Festi verba sunt) *cum labore viae sanguis in crura descendit et tumorem facit*, neque intellegi potest cur propter tamam aliquis *poplites summittat*. nam poplites summitti non possunt nisi flexo genu. supra libro I, 92 *terram genibus summissa petebat*. Ovidius metam. IV, 340 *flexumque genu summisit*, vel potius *flexuque:* nam libri veteres habent *flexoque*. idem in VII, 191 *in dura summisso poplite terra*. ergo cubantes *tamen* (hic ad versum 988 et 991 respice: frustra Marullus *etiam*) saepe movemus genua et crura summittimus, quo ipso vires magis resolvuntur. haec satis aperta sunt, nec Forbigeri ratio habenda est, qui cubanti poplites *cadere* opinatur et cetera *(Saepe — resolvunt)* interpolatori adscribit.

959. FIT RATIONE EADEM CONIECTUS PARTE ANIMA ALTIOR, ATQUE FORAS EIECTUS LARGIOR EIUS ET DIVISIOR INTER SE AC DISTRACTIOR INTUS. Hic cum duo membra sint, tria esse debere perspicuum est. primum est 918 *vis animae* cum *partim contrusa magis concessit in altum*, sive cum *introrsum pars abdita cedit* 945. in altero membro est ille *foras eiectus*, qui erat versu 917 923 944. tertium est *ubi est distracta per artus vis animae* 916, quae dicitur 946 *pars distracta per artus*, quae *non queat esse coniuncta inter se neque motu mutua fungi*. itaque in primo membro hic quoque scribendum est *coniectus* PARTIM *animai Altior*, ut versu 918: in tertio non potest *eiectus* esse, sed *divisior inter se ac distractior* ACTUS. hoc enim proprium esse in hac re vocabulum ex libro III apparet, ubi est 192 *At contra mellis constantior est*

Digitized by Google

natura Et pigri latices magis et cunctantior actus. Vitruvius in v, 3, 6 *Vox autem est spiritus fluens aëris et actus sensibilis auditu;* ubi *et actu* habent libri.

962. Et quo quisque fere studio devinctus adhaeret. Sic oblongus et Antonius Florentinus. quadratus prima manu ..*t quod*, a correctore *at quo*. olim impressi et Marullus *Et quo defunctus*. Lambinus facit *Et quoi devinctus*. id quod verum est Fronto confirmat de feriis Alsiensibus p. 214 (143 Nieb.), cuius verba hoc modo scribenda sunt. *ad hoc, quo iucundior hominibus somnus esset, donat ei* (scilicet somno Iuppiter: Maii codex *et*) *multa somnia amoena, ut, quo studio quisque devinctus esset, aut* (codex *ut*) *histrionem in somniis fautor spectaret aut* (codex *ut*) *tibicinem audiret, ut aurigae agitandi monstra darent* (codex *monstraret*), *milites somnio vincerent, imperatores somnio triumpharent, peregrinantes somnio domum redirent*.

968. Nautae contractum cum ventis degere vellum. Quadratus *degerere velum*. *degere* bellum corrector oblongi. vellem hoc tam apertum esset quam est in superioribus *componere leges*, quod de emptionum venditionum legibus accipiendum esse interpretes non viderunt. *bellum agere*, quod lexica vix attingunt, post Gronovium in observationibus p. 227 firmavit exemplis Drakenborchius ad Livii libri xlix epitomen, item nuperrime ad Cornelium Nepotem in Spicilegio p. 69 Nipperdeius. porro *deactionem* Paulus libro iv ex Festo p. 74 *peractionem* esse dicit; quare *contracta* sive lis sive bellum fortasse non *peragi* tantum potest (*peraguntur bella* in panegyrico Calpurnii 181), sed etiam *degi*. praeterea in Culice 72 est *Otiaque invidia degentem ac fraude remota*. certe desperantis est scribere cum Lambino *cernere*, cum possit formari lenius *ducere bellum*. multo autem magis mire Fronto p. 99 *potest aestus per vestis intervalla depelli, potest* degi, *potest demeare, potest circumduci, potest interverti, potest eventilari;* ubi scribendum puto *potest degredi*.

982. consensum cernere eundem Scenatque simul. Marullus consessum et Scenaique. supra 78 *consensum* quadratus.

984. studium atque voluntas. Immo voluptas: nam voluntatis nulla est in hac re potestas, ne minimae quidem illius quam voto similem esse dicit Charisius p. 172, ubi

Digitized by Google

exponit adverbia optandi, qualia sunt *utinam* et *velim*. huius verba subieci, quae Lindemannus uncis includere quam emendare maluit. *Optandi, utinam veniat, velim currat. quam voluntatem dubio* (legitur *gaudio*) *proximam esse cum dicimus, ut* (Aen. I, 626) '*Seque ortum antiqua Teucrorum a stirpe volebat*', *votis esse comparem credimus. itaque nec fidei commissorum voluntas* (hoc est illud VOLO) *sequius accessit, ut nos* (legitur *non*) *in ea parere* (legitur *praeter*) *iudicium, quamvis tacitum nec adscriptum, votorum solis nisibus et indiciis* (legitur *et beneficiis*) *crederemus*.

989. DE PALMAS. Corrector oblongi *de palmis*, itaque Antonius Marii, item olim impressi et Marullus. rectius Lambinus *de* PALMA.

990. AUT QUASI CARCERIBUS PATEFACTIS SAEPE QUIETE. Hic Wakefieldum miror, qui Bentleium solum ad hunc versum offendisse dicat, cum praeter Avantium et Pium post Marullum omnes offenderint. est autem manifestum *saepe quiete* in hunc versum e proximo (verum enim ordinem Marullus restituit) per librariorum errorem venisse. Lucretii verba, quae ex libro II, 263 petere Lambinus frustra temptavit, perierunt nec possunt certa coniectura reprendi. rei conveniet *colligere aestum* vel aliquid eius modi.

993. ET, 1002. UT. Ita codex uterque.

995. FUGA QUASIDDITA CERNANT. Corrector quadrati *quasi didita*. Itali FUGAE *quasi* DEDITA.

996. DISCUSSIS REDEANT TERRORIBUS AD SE. Turnebus ERRORIBUS.

997. AD CONSUETA DOMI. Wakefieldus *consuetà domu*, dandi casu, quem huic verbo adiunctum ante Columellam non invenio. ablativum, si credibile est, Terentius addidit in Adelphis IV, 5, 32, *qui illa consuevit prior*, id est qui cum illa suevit. certe *adsuëfactum sermone* dixerunt veteres, inferior aetas *sermoni*. sed *consuetus* est qui vixit cum aliis (*consuetos una* Varro dicit rerum rust. II, 3, 2) et paulatim mansuëfactus, scilicet ad convictum et familiaritatem perductus, ac *domi domitus*, ut dicit poëta in V, 1334. ita Plautus in Asinaria I, 3, 69 *Itidem hic apud nos. aedis* (id est *aedes* plurali recto casu) *nobis areast, auceps sum ego, Esca est meretrix, lectus inlex est, amatores aves. Bene salutando* consuescunt, *conpellando blanditer, Osculando, oratione vinnula venustula*. ubi est paulo ante

Digitized by Google

Aues adsuescunt. Caesar de bello Gallico VI, 28 *adsuescere ad homines et mansuē fieri*.

1009. PROELIA PUGNAS EDERE. Apud Nonium p. 192, 26 *pugnas Sedere* vel *Sed re*. cetera dixi ad librum II, 118.

1011. PORRO HOMINUM MENTES MAGNIS QUE MONTIBUS EDUNT, MAGNA ITIDEM SAEPE IN SOMNIS FACIUNTQUE GERUNTQUE. Marullus *magnis quae motibus edunt? Magna etenim saepe* — quae non intellego. neque omnino video quid hic illi magni animorum motus velint. puto scribendum esse *Porro hominum mentes, magnis* QUI MENTIBUS *edunt Magna, itidem saepe in somnis faciuntque geruntque* scilicet magna.

1013. REGES EXIPUGNANT. Corrector oblongi EXPUGNANT.

1020. MULTI, DE MONTIBUS ALTIS UT QUI PRAECIPITENT AD TERRAM CORPORE TOTO, EXTERRUNTUR. Quadratus et corrector oblongi, item Antonius Florentinus et olim impressi, *Ut quasi praecipitent*. Wakefieldus recte probavit *qui:* sed idem inepte *corpore toto Exterruntur*. rei unice aptum est EXTERNANTUR, scilicet in somnis. idem vocabulum Iacobsius optima et necessaria emendatione Horatio reddidit in epistularum I, 6, 11, *Inprovisa simul species externat utrumque*.

1026. PURI SAEPE IACUM PROPTER SE AC DOLIA CURTA SOMNO DEVINCTI CREDUNT SE EXTOLLERE VESTEM. Itali et impressi LACUM. ita *spurcos lacus* Iuvenalis VI, 603. quadratus *propter seca dolia*. perspicuum est scribi oportere *lacum propter* SEI *ac dolia curta*, sicut in versu 1009. *puros* autem interpretes cur *pueros* intellegant non video.

1032. CONVENIUNT SIMULACRA FORIS E CORPORE QUOQUE. Non ex *quoque* corpore, neque ex *quocumque*, ut versu 1065, sed ex uno QUODAM certo corpore. versu 1048 *Idque petit corpus, mens unde est saucia amore*.

1033. PULCHRIQUE COLORES. Corrector oblongi COLORIS. sic versu 1094 *ex hominis facie pulchroque colore*.

1034. QUAE CIET, 1047. INCITAT. Versus in ordinem redegit Naugerius. QUI *ciet* Lambinus dedit.

1035. ET — 1036. CRUENTET. Naugerius UT — CRUENTENT.

Digitized by Google

1037. SOLLICITATUR ID NOBIS. Idem *id in nobis*. rectius est E.

1038. ADUITA AETAS. Corrector quadrati et post eum primus Marullus ADULTA.

1052. ACCIPIT ICTUS. Oblongus *ictis*.

1055. UNDE FERITUR. Sic a correctore oblongus, prima manu *ferit*. quadratus *territur*.

1057. MUTA CUPIDO. Id est caeca, supra 1046 *dira lubido*. sic oblongus, Antonius, olim impressi, Marullus. contra quadratus *multa*, itaque Avantius Naugerius Lambinus et inde certatim omnes.

1058. HAEC VENUS EST NOBIS, HINC AUTEMST NOMEN AMORIS: HINC ILLE PRIMUM VENERIS DULCEDINIS IN COR STILLAVIT GUTTA, ET SUCCESSIT FRIGIDA CURA. Oblongus prima manu *hic autemst*, quadratus *hinc autem est*. tum oblongus *Hinc ille*, a correctore *Hinc illaec:* quadratus *Hinc illa*, olim impressi *illata*, Antonius *illa et*. unice verum est *Hinc* ILLAEC, et infra 1083 *illaec germina*. hoc locum habet ubi *illa* versum non explet, ut apud Tibullum *istaec* pro *ista*, I, 9, 68 *Ista haec persuadet facies*, Catullus 67, 73 *qui tu isthaec, ianua, nosti?* interpretes hic in ipsa luce caecutiunt, cum deberent intellegere repetito *hinc* eam oppositionem indicari, quae hic perpetua est *amoris* et *Veneris*. Haec, inquit, quae ad corpus et seminis eiciendi voluntatem pertinent, *Haec Venus est nobis*. ea ab altera parte est, alterum momentum amor facit: *hinc autemst* MOMEN *amoris*, *Hinc illaec*. ita haec leniter adiuvanda sunt: nihil facit ad sententiam *nomen amoris*, et absurdum est Crechii *numen;* praesertim cum Epicureorum sententia sit οὐ θεόπεμπτον εἶναι τὸν ἔρωτα, apud Diogenem Laërtium in X, 118. quae restant, nullam difficultatem habent: *primum Veneris dulcedinis in cor Stillavit gutta*, cum cupido voluptatem praesagit, *et* tum amoris vi *successit frigida cura* et quasi medella; θεραπεία ψυχρά, cupiditatis, quae luditur, non expletur, corporum absentium simulacris. ita perspicuum est ut a vero longe aberrarit Marullus scribendo *fervida cura*. curas frigidas dixit *curarum frigus* Ovidius ex Ponto libro III, 9, 25, *Corrigere — animum lento curarum frigore laedit*. idem in IV, 2, 45 *Quid nisi Pierides, solacia frigida, restat?*

1061. NAMST ABEST QUOD AMES, PRESTO SIMULA-

Digitized by Google

CRA TAMEN SUNT ILLIUS. Corrector quadrati et Itali *Nam* SI. sed si adsunt simulacra, *quod ames* non abest, sed id quo fruaris. itaque scribendum est *quod* AVES. in III, 1082 *Sed dum abest quod avemus*, et 957 *Sed quia semper aves quod abest*. scholiastes Lucani IV, 265 *Avet, i. avide cupit. sic Lucretius saepe ponit*.

1065. ET IACERE UMOREM CONIECTUM. Marullus COLLECTUM. pravitatis patronis, Wakefieldo, Eichstadio, Forbigero, hoc placet, *iacere coniectum*.

1068. VICUS ENIM. Corrector oblongi ULCUS.

1081. OSCULAQUE ADFLIGUNT. Quadratus *adfigunt*.

1083. RABIES UNDE ILLAE CERMINA SURGUNT. Sic, nisi fallor, oblongus prima manu: corrector Saxo fecit *illa haec germina*, itaque Antonius Florentinus. quadratus *ille germina*. recte amicus Lambini ILLAEC GERMINA, ut dixi ad versum 1058.

1085. BLANDAQUE FRENAT. Impressi cum Italis REFRENAT.

1089. CUIUS QUAM PLURIMA HABEMUS. Marullus *quo pluria;* quam vocabuli declinationem utrum Lucretius probaverit scire non possumus. mihi certum videtur hic illud *cuius* monosyllabum, de quo dixi libro I, 149, correctoribus displicuisse: poëtam enim scripsisse existimo *cuius* QUO MAGE *plurima habemus*, *Tam magis ardescit dira cuppedine pectus*. neque enim probari debet *quam*, ut dixi libro II, 586.

1096. TENVIA, QUE VENTO SPES RAPTAT SAEPE MISELLA. Inepte Itali nescio qui, quos Wakefieldus sequitur, *vento spes rapta est*. fefellit hos error typographi Veronensis, qui vulgatissimo peccandi genere fecit *raptas*, cum deberet *raptat*, ut Brixiensis et Antonius Marii et Marullus. vere Bentleius MENTEM pro *vento*, sed idem sine causa *spe captant:* nam satis rectum est hoc, *quae mentem spes raptat saepe misella*, id est misera inanium simulacrorum adipiscendorum spes. Lucilius apud Nonium p. 289 *Illo oculi deducunt ipsi atque animum spes illuc rapit*.

1098. ARDOREM QUI MEMBRI STINGUERE POSSIT. Recte Avantius MEMBRIS *stinguere*. mox quadratus *torrentis flumina*, quod ipsum e Bertiniano Lambinus adfert: Havercampus fallit.

1115. CONIECTA CUPIDO. Lambinus CONLECTA.

Digitized by Google

1118. Cum sibi quod cupiant ipsi contingere querunt. Neque *ipsi* intellegi potest, neque *cupiant* coniunctivo modo poni debuit. sed poëta hic illud *volnus caecum* describit, *Cum sibi* quid *cupiant ipsi contingere quaerunt*. ipsi quid cupiant nesciunt, *Nec reperire malum id possunt quae machina vincat*.

1121. absumunt utris. Marullus vires.

1123. Labitur interea res et babylonia fiunt. Pius 'alibi codicum babylonica scribitur'. hoc perspicue verum est, ut res familiaris Babylonicae vestes fieri dicantur. inepte Marullus *vadimonia;* quod ne commemorarem quidem, nisi a Naugerio inducti omnes probassent.

1124. fama vigillans. In oblongo *g* littera est in litura a correctore: sed non fuit *c*. Marullus vacillans.

1125. Unguenta et pulchra in pedibus sicyonia rident. Quadratus *sicronia*. sed *Unguenta*, quae mox 1132 recurrunt, huc non pertinere Tan. Faber recte monuit. Wakefieldus et Forbiger tacent. scribendum est Argentum.

1129. Et vene parta patrum flunt anademata, mitrae. Corrector quadrati et Marullus fiunt. mirabile est quod habet Isidorus originum IX, 5, 3, *Pater autem dictus eo quod patratione peracta filium creat: patratio enim est rei Veneriae consummatio. Lucretius Et bene parta patrant*. ceterum recte facere qui et hic seiungant *anademata*, *mitrae*, et in Aristophanis Thesmophoriazusis secundis (6, 2 Bergk.) μίτρας, ἀναδήματα, ex l. 26 D. de auro argento XXXIV, 2 apparet, ubi Paulus dicit *sic uti mitrae et anademata*.

1130. Inter dum in pallam atque alidensia chiaq. vertunt. Hic Wakefieldum cum caricis suis (nam vestes in Cariae oppidis Alinda Cioque confectas comminiscitur) οὐ συκοφαντήσομεν. sed quis eo Gullielmum Pellisserium, episcopum Mompessulanum, longe prudentius egisse infitiabitur? qui cum legendum iudicaret, ut Lambinus refert, *ac Melitensia Ceaque*, alterum hoc, quod est *Cea*, plane vere restituit; quamquam nihil causae esse intellego, cur mutata vocali illud potius scribamus quam Ciaque. et Ceae quidem vestis non fieri mentionem apud veteres excepto Plinio, sed Coae tantum, Salmasius in exercitationi-

Digitized by Google

bus p. 101 observat, sed Lucretii inmemor nec rei rationem veram reddens. scilicet nulla umquam fuerunt nisi Coa: sed ea ante quam in frequentem usum venissent, Varro per errorem ab insula Ceo venire opinatus est, quem Lucretius et Plinius temere secuti sunt. res aperta fiet, si Varroniana cum Aristotele, ex quo ducta sunt, contuleris. sic igitur Plinius nat. hist. IV, 20 de Ceo, *Ex hac profectam delicatiorem feminis vestem auctor est Varro*. idem in XI, 26 *Prima eas*, bombycum telas, *redordiri rursusque texere invenit in Ceo mulier, Pamphila Latoi filia*. at Aristoteles in historia animalium V, 19 p. 551, 16 Πρώτη δὲ λέγεται ὑφῆναι (τὰ βομβύκια) ἐν Κῷ Παμφίλη Πλάτεω (sive Λατώου) θυγάτηρ. sed in altero coniectura Pellisserium fefellit: nam in Lucretio tantum a litterarum ductibus recedere non licet in propriis vel Graecis, ut *atque alidensia* mutetur in *ac Melitensia*. itaque quoniam neque *Alidensia* neque *Midensia* noti cuiusquam oppidi similitudinem referunt (nam *Milesia* pedum lex respuit), temptemus lenissime *atque* ALIDEUSIA; quamquam fatendum est hic idem nobis quod paulo ante 1127 in *thalassina veste* usu venire, ut vocabulorum originem et formam ostendere possimus, ipsa vero vocabula, et eae res quibus imposita sint, in cognitionem nostram non cadant. nam ἁλιπόρφυρα ἁλίβαπτα ἁλουργῆ novimus, item δευσοποιὸν et δευσοποιίαν· ἁλιδεύσια tinctoribus et delicatulis quam scriptoribus tritiora fuisse mirandum non est. ceterum *thalassicum colorem* pallioli, forma vocabuli a Graecis, quantum scio, non magis usurpata, ferrugineum dixit Plautus in Milite IV, 4, 43.

1131. EXIMIA VESTE ET VICTU CONVIVIA, LUIDI, POCULA CREBRA, UNGUENTA, CORONAE, SERTA, PARANTUR. Corrector oblongi *convivia*, *ludi*, itaque et Itali et libri impressi, absurde in apparatu convivii. scribendum est LYCHNI. hoc in V, 295 scriptum est *lyclini*.

1137. IN AMBIQUO. Ita, nisi fallor, prima manu oblongus, a correctore *in* AMBIGUO: quadratus *in ambico*.

1141. MALE HAEC. Marullus MALA *haec*.

1145. CAVEREQUE NE INLIGNIARIS. Quadratus *neque* pro *ne*. Marullus *ne* ILLICIARIS, verissime.

1151. ET PRAETER MITTAS ANIMI VITIA OMNIA PRIMUM, UT QUE CORPORIS SUNT EIUS QUAM P̄PETIS AC VIS. In *primum* adverbio, quo primus cavendi gradus

Digitized by Google

designatur, male haesit et Marullus, qui fecit *omnia pravi Et quae*, quod Avantius stulte corrupit *pravi Ut*, et Naugerius, a quo est *Tum quae*, per multos libros propagatum. scribendum est AUT *quae corpori' sunt eius*. hinc Horatius *ne corporis optima Lyncei Contemplere oculis, Hypsaea caecior illa Quae mala sunt spectes*. tum oblongus *p̄petis*, quod est *praepetis:* sed quadratus *precis*. in archetypo puto fuisse QUAM ṖPETIS deleto P; ut scribendum sit SI *quam* PETIS *ac vis*, usitatis et propriis vocabulis. Vergilius *Multi illam e magno Latio totaque petebant Italia*. Propertius *Cum te tam multi peterent, tu me una petisti*. Plautus in Asinaria III, 1, 38 *Sine me amare unum Argyrippum, animi causa, quem volo*. Ovidius amorum I, 10, 60 *quam volui, nota fit arte mea*. idem in II, 19, 2 *Si tibi non opus est servata, stulte puella, At mihi fac serves, quo magis ipse velim*. Propertius in I, 13, 36 *Et quotcumque voles, una sit ista tibi*. olim impressi *quam perpetis*, inaudito et perverso vocabulo, Lambinus *percupis:* Antonius Marii et Marullus servaverant *praepetis*.

1156. ESSE IN DELICTIS. Itali et Marullus *in* DELITIIS.

1160. ET FOETIDA. Ita codices veteres, quem admodum oblongus fere ubique *foetus* exhibet a manu correctoris. in archetypo exemplari certum est FETIDA fuisse sive *faetida*. scilicet saeculo nono ita peccari coeptum est: antiquiores in quibus vocibus et *oe* et *e* vel *ae* scripserint dixi ad Gaïum II, 66 n. 4 p. 117. in euangelio Iohannis XI, 39 liber Fuldensis et ceteri Latini quos vidi *Domine, iam fetet*, Laurentianus *faetet*. vetus Plauti in Casina III, 6, 7 *fetet*. apud Nonium Basilienses p. 394, 16 *fetidum*, p. 413, 8 *faetidum*, p. 536, 20 *fetidos:* apud eundem p. 233, 5 6 7 Mercerus *fetida* (Basilienses *foetida*) *fetet fetida*, et p. 63, 26 Guelferbytanus et Leidensis *fetutina*, ubi Basilienses habent *oe*.

1168. ATIAMINA ET MAMMOSA CERES EST IPSA AB IACCHO. Oblongus *cerest ipsa ab iacho*. Arnobius libro III p. 105 *Havet animus atque ardet in chalcidicis illis magnis atque in palatiis caeli deos deasque conspicere intectis corporibus atque nudis, ab Iaccho Cererem, musa ut praedicat Lucretia, mammosam*. idem in VI p. 209 *Ceres mammis cum grandibus*. qui si in versus initio *At gemina* scriptum invenisset, quae Turnebi emendatio est ab omnibus probata, hoc quoque cognomine

Digitized by Google

Cererem ornasset; quo facto constaret, quod nunc prorsus incredibile duco, Latine *geminam* dici posse (ita enim Turnebus interpretatur advers. XXVII, 34) plenam, amplam, obesam. est autem hic versus ex eo genere, qui vix possunt certa emendatione restitui. mihi maxime probatur quod Avantius in ceteris valde peccans dedit, *At* LAMIA. *Lamiam* autem non tam *saevam* et *ferocem* dici existimo, ut exponitur in glossario Maii in auctorum classicorum tomo VI p. 531, quam vastam manducam voracem: et ab ingluvie ac voracitate Lamiam appellatam esse Lobeckius statuit in ῥηματικῷ p. 326. altero tamen illo modo potius uxorem suam Λάμιαν dicit senex apud Menandrum in comicis Meinekii p. 945 (IV, p. 191).

1169. SIMULA SILENA AC SATURAST, LABEOSA PHILEMA. Oblongus prima manu *Simulena silena*. ceterum hic codex Graeca vocabula emendatissime scripta exhibet, sed litteris Latinis; quas editores, perditi scilicet litteratores Graecae linguae, cum tolerare non possent, nomina propria quoque, quae Lucretius omnia Latina dedit, *Palladium*, *Lampadium*, *Silena*, *Satura*, nulla cum fide Graecis litteris exornarunt. nam veteres illi quae nimis Graeca viderentur ita solebant inflectere; ut Lucilius apud Nonium p. 359, 14 *Siquod verbum inusitatum aut zetematium offenderam*, idemque in versibus ab Hauptio in Philologo Schneidewini I p. 163 eximie restitutis *Tyro eupatereiam aliquam rem insignem habuisse*, item alio loco *ne rhetoricotero' tu sis*. ceterum neque Graecis neque Latinis litteris scribi debebat *Silene ac Satyra est:* nam vocales Graecas productas poëtae Latini post Plauti aetatem non eliserunt, nisi pauci iique raro. Plautus in Captivis IV, 2, 110 *ne ton Apollo. et servolum*, in Epidico V, 2, 17 *Apolactizo inimicos omnis*. Lucilius Nonii p. 540, 28 *amfitapoe et*. tragicus in Tuscul. II, 36 *Quibu' magi' palaestra Eurota*. Propertius *Ino etiam*, *Callisto Arcadios*, in III, 28, 19 23. Vergilius *Circe in*, *Allecto infecta*, *Allecto in Teucros*, Aen. VII, 20 341 476. Germanicus 262 *Electra Alcyoneque*. Silius *Parthenope ac*, *Melite et*, *Drepane atque*, VIII, 536 XIV, 251 269. Statius *Tisiphone et* Theb. VIII, 66. nam Vergilius non scripsit *Beroë Ismarii* V, 620, neque *Cinyra et* X, 186, nec Cicero in Arateis (de natura deorum II, 111) *Andromeda aufugiens* aut 436 *Andromeda et*. sed Terentius recte *Hecyrast huic nomen*

Digitized by Google

fabulae, item Ovidius *Cyllenest* et *Halcyonest* metam. VII, 386 XI, 545, et qui scripsit epistulam Leandri 141 *ab Hellest*. at inauditum et pudendum est quod quidam adfinxit epistulae Hypermnestrae 123, *At tu, siqua piae, Lynceu, est tibi cura sororis*. mox partim *labiosa* scribunt, alii cum Antonio Marii et Marullo *labrosa:* sed et *labeas* fere scribi video, et *labeones*, quod agnoscit Phocas p. 1691, quamquam *labium* saepius invenitur quam *labeum*, et *labiones* apud Charisium p. 79.

1170. LONGUM EST DICERE CONER. Ita quadratus: sed SI post *est* additum manu antiquissima. oblongus *esti dicere*, post *i* littera erasa, *d* a correctore inserto, *est id dicere*. sic olim impressi et Itali *est id dicere*. Marullus *si*.

1174. NEMPE EADEM FACIT ET SCIMUS FACERE OMNIA TURPIS. Rectissime Naugerius *Nempe eadem facit omnia* TURPI. versum proximum mire perverterunt interpretes. hoc dicit, eam sese, postquam cum alio consueverit, suffimentis purgare, ne amator sentiat. simile est illud apud Propertium V, 8, 83, *Dein quemcumque locum externae tetigere puellae Suffit et a pura limina tergit aqua*.

1176. QUAM FAMULE LONGI FUGITAN. Brixiensis editio LONGE. eadem et corrector quadrati FUGITANT. utrumque Antonius quoque exhibet.

1180. QUEM SI IAM MISSUM VENIENTEM OFFENDERIT AURA UNA MODO. Antonius Marii *iam miserum vēnientem*, Marullus *iam immissum veniens*, Lambinus *iam admissum venientem*. Wakefieldus cum probat *immissum*, sese rem non percepisse ostendit: Forbiger eam falso 'antiquorum librorum lectionem' dicit sciens dolo malo. Lambino obest oratio hians neque apte nexa: nam haec diversi generis participia, qualia sunt *admissus veniens*, coniunctionem desiderant. quare rectius scribemus *iam* AMMISSU *venientem*, quomodo *missu venire* dixit et Caesar et alii optimi scriptores. Pacuvius *nunc regnum potitur transmissu patris* apud Nonium p. 481, 32. ceterum *modo* vocali producta libro II, 1135 probavimus: hic *et* coniunctione addita oratio firmiore vinculo iungetur.

1182. CADET. Lambinus CADAT.

1183. STULTITIAQUE IBI SE DAMNET. Marullus STULTITIAEQUE, recte: *damnatur* enim aliquis *crimine* vel

Digitized by Google

iudicio, sed *sceleris*, *parricidii*, *furti*, *iniuriae*. in Ciri 188 quod habent exemplaria, *quam tanto scelere damnare puellam*, neque modulatum est (vide quae dixi libro II, 27) neque Latinum.

1186. VITAE POSTCAENIA. Lambinus *postscenia*. in archetypo fuerit POS'CAENIA, T littera a correctore sine causa addita: nam ante multas consonantes scribitur *pos*.

1188. TAMEN OMNIA POSSES PROTRAHERE. Recte Marullus POSSIS, scilicet quamquam illae haec *celant*.

1191. PRAETER MITTERE HUMANIS CONCEDERE REBUS. Hic qui poëtae sententiam recte sequetur intelleget scribendum esse ET *humanis*. interpretes haec miro modo perturbarunt; quorum commenta excutere longum est.

1198. MARIBUS SUBSIDERE POSSENT. Immo POSSUNT, quoniam sequitur indicativo modo *Si non ipsa ardet abundans Natura*. nam haec inter se coniungenda esse apparet, et *subare* poëtam contra vulgarem consuetudinem de maribus dixisse. sic *subidus* in epigrammate Valerii Aeditui apud Gellium XIX, 9.

1200. ET VENEREM SALLENTUM LETA RETRACTANT. Corrector oblongi *fallentum*: recte SALIENTUM Marullus. sed *laeta* RETRACTAT primus Lambinus.

1201. NONNE VIDES ETIAM. *Etiam* omissum ab Antonio Marii et in olim impressis: hinc Marullus *subito*, alii Itali apud Wakefieldum *Memmi*. *etiam* Avantius iam restituerat: sed Wakefieldo placuit *Memmi*, quod est ineptissimum.

1202. VIXIT, UT IN VINCIIS COMMUNIBUS EXCRUCIENTUR. Corrector oblongi VINXIT. quadratus *communis*. VINCLIS Marullus. in Ovidii amorum I, 13, 19 *sponsu vinctos* legendum est, ubi Puteaneus *sponsum cultos*; *Atque eadem sponsu vinctos ante atria mittis*, *Unius ut verbi grandia damna ferant*. in Taciti Germania 21 cum Massmannum docuissem unice vera haec esse, *gaudent muneribus*, *sed nec data imputant nec acceptis obligantur*: *vinclum inter hospites comitas*, ille mihi p. 84 ea adscripsit quae ne legere quidem didici, nedum agnoscam a me profecta. libri habent *victus inter hospites comis*.

1203. IN TRIVIIS CUM SAEPE CANES. Male iuncta oratio. Marullus *quin*, contra consuetudinem Lucretii, de

Digitized by Google

qua dixi ad librum I, 588. Lambinus parum suaviter *non saepe*. scribendum est *In triviis* QUAM *saepe*. in VI, 801 *Quam facile in medio fit uti des saepe ruinas!* in II, 1038 *Quam tibi iam nemo — Suspicere in caeli dignatur lucida templa!* in I, 104 *Quippe etenim quam multa tibi iam fingere possunt Somnia!* in VI, 1080 *Cetera iam quam multa licet reperire!* ceterum versum 1210 huc referendum esse primus Naugerius vidit.

1207. UT DICO. *Ut* omissum apud Marium Victorinum p. 2472.

1208. ET COMMISCENDO QUOM SEMINE FORTE VIRILI FEMINA VI MULCIT SUBITA VI CORRIPUITQUE. Oblongus *quom*, quadratus *quo in:* factum in utroque *cum*. tum *forte vir illi* oblongus. in versu altero Salmasius *Femina* VIM VICIT *subita vi*, quod recte probat Wakefieldus: at Eichstadius et Forbiger turpe inventum Turnebi maluerunt.

1212. UT PARTIBUS PATRIO. Corrector quadrati et ceteri PATRIBUS. apud Nonium p. 230, 13 *Ut patribus patri*.

1220. QUIA MULTIMODIS. Lambinus MULTA *modis*.

1222. A STIRPE. Rectius AB *stirpe*, ut dicam ad librum VI, 925.

1224. REFER VOLTUS. Antiqui correctores REFERT.

1225. QUANDOQUIDEM NIHILO MAGIS HAEC SEMINE CERTO FIUNT. Antonius Marii et Marullus DE *semine certo*, hoc est aut virili aut muliebri; nequis cum Lambino sententiam perturbare velit scribendo *nihilo minus*.

1230. QUO CUMQUE CREATUR. Oblongus et Antonius Marii *creator*. idem Antonius et Marullus QUODCUNQUE.

1232. SIVEST. *Sive est* apud Festum p. 309, 22, ubi adscribitur *libro* V.

1234. ABSTERRENT, PRAETER AGNATIS. Quadratus *praeter ac natis*. Itali et impressi PATER *a gnatis*. Serenus Samonicus versu 613 *Irrita coniugii sterilis si munera languent, Nec subolis spes est, multos iam vana per annos, Femineo fiat vitio res necne silebo: Hoc poterit quartus magni monstrare Lucreti*.

1242. POTIS EST. Sic oblongus et Nonius p. 73, 8: quadratus *potest*.

1243. REVOCATUM CREDIT ABORTU. Corrector quadrati *redit*. Marullus CEDIT.

1244. CRASSIUS HIC PORRO. Non *hic*, id est in hac

Digitized by Google

re, sed in diverso hominum genere. *partim* erat versu 1240, hoc est alii. ergo HIS, non *hoc* cum Marullo.

1247. MULIERI SEMINE. Impressi cum Italis MULIEBRI.

1250. SUCCIPIUNT. Ita hic oblongus, quadratus *Suscipiunt*. item in v, 402 *succepit* oblongus, *suscepit* quadratus.

1252. ET NACTAE POS SUNT TAMEN UNDE PUELLOS. Non *possunt* intellegendum esse, sed POST *sunt*, nemo ante Lambinum vidit. Lucilii versus est, quo Nonius utitur p. 370, 28, *Parcat illis magi', qui pos sint, cui fidem esse existimem;* ubi libri habent *Parcat illi maius cui possint cui fidem esse eximent*. apud eundem Nonium p. 158, 18 *sunt* omisso legitur *nos tamen unde puellum* et e versu proximo *partus posset ditiscere dulci*.

1259. CONVENIUNT. Marullus CONVENIANT.

1262. ATQUE ALII EXTENVANTUR TABENQUE. Antiquissimi correctores TABENTQUE. impressi ALIIS.

1267. LUMBRIS. In utroque Leidensi factum LUMBIS. ita *glebris* in v, 142.

1268. NE MOLLES OPUS SUNT. Oblongus *opes sunt*. NEC Marullus.

1270. SI LAETA RETRACTAT. Oblongus *retractet* cum Italis et impressis.

1275. GRAVIDAQUE IACERENT. Brixiensis editio GRAVIDAEQUE. huc referam Varronis versum, quem Priscianus p. 697 protulit ex satira quae inscribebatur ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς. is debet ita scribi, *Gravidaque mater alvo peperit Iovi puellum*, addito *alvo*, quod libri non habent: est enim metrum Ionicum, vel ut Varro appellabat *ïambionicum carmen*, quod apud Diomeden p. 517 male scribitur *ïambico novum*. eiusdem metri est hic in γνῶθι σεαυτόν, *Candens corpore taurus trivio lumine lunae*, apud Nonium p. 267, 2; item in Testamento *sic ille puellus Veneris repente Adonis cecidit cruentus olim*, in quibus exemplaria Nonii habent p. 158, 15 *repente vadon*. ceterum horum versuum 1269 1274—1276 sententia Donatus utitur ad Eunuchum Terentii III, 1, 31: sed eum obscenum *crissandi* vocabulum a Lucretio sumpsisse vanissima T. Fabri coniectura est, verbis foedissimis ab eo exornata. lexicis addendum est *crisat illi* e Charisio p. 260 (apud

Digitized by Google

Diomedem p. 293 *crescit illi*), *Crisabit tibi* e Priapeo 19, et altero *s* deleto scribendum *crisare*.

1281. MORIGERISQUE MORIS. Marullus MODIS.

1282. UT FACILE INSUESCAT SECUM DEGERE VITAM. Quadratus *degerere*, ut supra versu 968. Brixiensis editor *secum quoque*, quod sententiam non explet: Antonius Marii et Marullus *secum vir*, Italice magis quam Latine. potius est ut adiciatur NOS. hoc dicendi genus nemo nescit a Bentleio illustratum esse ad illud Horatii, *insuevit pater optimus hoc me*, serm. I, 4, 105. sic *desuevi eum* Titinius in Gemina, *Nam parasitos amovi, lenonum aedibus eum absterrui, Desuevi ne quo ad caenam exiret extra consilium meum*, apud Nonium p. 94, 33, ubi *Nam* et *eum* omissis scriptum est *lenonem*, cum numeros iambicos ostendant quae fuerunt in eodem loco, a Nonio consignata p. 406, 20, *Si rus cum scorto constituerit ire, clavis ilico Abstrudi iubeo, rusticae togai ne sit copia*. satis notum est *mansuescere* eo modo dixisse Varronem de re rustica II, 1, 4, *silvestria deprehenderent ac concluderent et mansuescerent*. idque ipsum Lucretio reddam in V, 1368.

V, 2. PRO RERUM MAIESTATIS ATQUE REPERTIS. Antonius Marii, item olim impressi et Marullus, *maiestatisque repertis*. Lambinus cum se in manu scriptis partim ita scriptum repperisse dicit, *maiestate hisque repertis*, partim ita, *maiestate atque repertis*, haud dubie fallitur: sed verissimum puto quod ipse mihi videtur sua coniectura invenisse, *pro rerum* MAIESTATE HISQUE *repertis*. mox oblongus *quia talia nobis*.

5. QUESITA PREMIA LIQUIT. In oblongo recentior manus, non antiqui illius correctoris, QUAESITAQUE, itaque omnes praeter veteres membranas. in versibus proximis, quos Lactantius recitat instit. III, 14, 2, quadratus *deus ipse fuit*.

12. LUCE VOCAVIT. Itali et impressi LOCAVIT.

14. NAMQUE GERES. Iidem CERES. tum oblongus *frugesque liberque*. versu 21 quadratus *animum*.

30. 31. TANTO OPERE OFFICERENT NOBIS TYMPHALA COLENTES THRACIA, BISTONIASQUE PLAGAS ATQUE ISMARA PROPTER. Itali et impressi STYMPHALA.

Digitized by Google

ordinem versuum invertendum esse Marullus vidit, idemque optime scripsit *Thracen*, nisi quod rectius est THRACAM. Forbiger *Thraciam* vitio duplici, quia nec synizesis in Graeco nomine ferenda est, ut observavi ad librum III, 917, neque *Thraciam* ullus poëta dixit praeter Lucanum, qui quomodo hoc in II, 162 audere potuerit non intellego, nisi quod ante eum Vergilius fecit *Sámothraciam* Aeneïdos VII. 208. nam in Ovidii metam. VI, 435 exemplaria vetera tanti non facio ut eum *Thracia* maluisse credam quam *Thrace*. Ciceronem de re publica *Thracam* dixisse, non *Thraciam*, Servius refert ad Aeneïdos XII, 335: nihilo minus in Vaticano exemplari Maius libro II, 4 scriptum invenit *Thraciam*. sed Marullus, cui *Stymphala colentes* quinam dicerentur non tam clarum videretur quam Wakefieldo et Forbigero, fecit satis audacter *Tantopere officerent nobis, uncisque timendae Unguibus Arcadiae volucres Stymphala colentes*. mihi, quoniam *nobis* satis recte abesse potest, simplicissimo remedio uti placet, ut scribatur *Tanto opere officerent*, ET AVES *Stymphala colentes*. infra 560 oblongus *Quis potis est nobis nisi vis*, ubi corrector delevit *nobis*. adde quod inter se simillima sunt ETABIS et NOBIS.

33. ACERBAN TUENS. ACERBA *tuens* Vergilius Aen. IX, 794; Macrobius Saturn. VI, 1.

34. ARBORIS AMPLEXUS STIRPES. Marullus STIRPEM.

35. PROPTER ATIANEUM LITUS PELAGIQUE SEVERA. Turnebus ATLANTEUM, Lambinus PELAGEQUE, SONORA Marullus.

38. SED NON VINCTA FORENT. Itali SI *non* VICTA.

43. QUE PROELIA NOBIS ATQUE PERICULA SUNT INGRATIS INSINUANDUM. Hanc syntaxin Lambinus recte repudiavit, qui scripsit *pericula tunc*. sed verbum substantivum omittere non est usus Lucretiani: ergo scribemus TUMST, ut dixi ad librum I, 111.

45. CUPPEDINES ACRES. Itali *cupidinis*, Marullus *cupedinis*, Lambinus CUPPEDINIS. in IV, 1090 oblongus *cuppedine:* sed Florentinus Varronis de lingua Latina V p. 148 *forum cuppedinis*, *cuppes et cuppedia* codices Pauli diaconi p. 37, Plautini in Sticho V, 4, 32 et in Trinummo II, 1, 13 *cuppedia* et *cuppes*, glossarium vetus in Maii auctorum tomo VI p. 530 *kappadinarius*.

Digitized by Google

51. NUMERO DIVOM. *Divum numero* apud Lactantium inst. III, 14, 4.

53. IAMMORTALIBUS E DIVIS. Quadratus *Inmortalibus*. Marullus IMMORTALIBUS. eodem modo peccatum est in III, 775. DE *divis* Lambinus.

61. NEC POSSE INCOLUMĒ. Ita cum nota erroris liber archetypus: certe oblongus et olim impressi *incolumen* (Avantius *incolomem*), quadratus *vinculum est*. Marullus INCOLUMIS.

67. CONGRESSUS MATERIAM. Itali et impressi MATERIAI.

70. ET QUE NULLOS IN TEMPORE NATĒ. Corrector quadrati et ceteri *nullo* SINT.

71. QUOVE MODO. *Quoque* Nonius p. 415, 31. idem *loquelam:* membranae *loquela*, ut dixi ad librum III, 1015.

85. AETHERIS. Corrector quadrati *aethereis*. rectius AETHERIIS in VI, 61. neque *aetheris*, si versus mensura admitteret, pro *aetheriis* dici posset; quod in Latinis non est sine exemplo. versus Ennii truncatus capite est apud Ciceronem de re publica I, 16 *nonis Iunis soli luna obstitit et nox*. Plautus in Menaechmis IV, 2, 23 *Apud aedilis proelis factis plurimisque pessimisque*. in Casina V, 2, 2 *Scio: tantum erus atque ego flagitio superavimu' nuptis nostris*. Turpilius apud Nonium p. 306, 3 *Detegere despoliare opplereque adeo fama ac flagitis*. Lucretius *ingratis*, Lucanus et Martialis *gratis*. in lege Rubria II, 13 *ex iudiceis dateis*. in lege Iulia municipali 68 *ineis municipieis coloneis praefectureis*, 83 *pluribus inmunicipieis coloneis praefectureis*. Propertius in III, 34, 64 *Iactaque Lavinis moenia litoribus*. Vergilius in V Aeneïdos 269 *Puniceis ibant evincti tempora taenis*. Seneca in Phoenissis 625 *Sunt exilis graviora*. idem in Medea 743 *Supplicis, animae, remissis currite ad thalamos novos*, et 1015 *Moramque saltem supplicis dona meis*. Martialis in I, 117 *Denaris tibi quinque Martialem*. idem in IX, 100 *Denaris tribus invitas, Denaris tamen hanc non emo Basse tribus*. idem in IV, 18 *Qua vicina pluit Vipsanis porta columnis*. ad hoc exemplum putet aliquis veteres tribus syllabis dixisse *conubis:* sed in exemplaribus nostris ubique *i* geminum est, et grammatici *conubiis* per systolen efferri volunt, cuius systoles exemplum, quod quidem certum sit, invenio nullum. hoc quoque mirabile est, quod Vergilius gignendi

Digitized by Google

casu uti noluit, quo *conubi* dicendum erat, quod habent per *i* duo scriptum Lucanus II, 330 343 et Statius Theb. VII, 300 X, 62, sed maluit dicere Aen. IV, 168 *et conscius aether Conubiis* sive, ut mihi videtur, *Conubis*. hoc certum est, *i* pingue et in consonantem duratum non habere locum in *flagitis exilis supplicis* media correpta. in Graecis autem nihil eius modi admiserunt: neque enim, quod Graeci in suo sermone sibi aliquando licere voluerunt, item peregrinis licet, cum utuntur nominibus Graecis. itaque tribus syllabis *Paeoniis* dixisse Vergilium in VII, 769 et epitomatorem Iliados 351, *Paeonia* Ovidium in metam. XV, 535, Silium in XIV, 27 *Paeonios*, homines doctissimi non persuadent, sed potius causam aliquam omnibus communem tam constantem errorem effecisse suspicor: nullus enim poëtarum in hac voce veram rationem secutus est. quam ob rem Mauricius Hauptius mihi recte iudicare videtur Catullum non scripsisse *Doris celebranda choreis* pro *Doriis* aut *Dorisin*. qui cum verissime dicit in observationibus p. 69, si qui *Dori* fuissent, potuisse etiam *Doris choreis* locum esse, tamen idem cum vulgo errat, quod sibi notos esse scribit qui appellentur *Dores*. *Dores* enim et *Aeoles* dicuntur sane a Prisciano, *Dores* in Aquilae Romani capitulo 47, sed *Aeolis* sive *Aeoleis* Varroni in rerum rusticarum III, 1, 6 et 12, 6, *Eolis* de lingua Latina in V p. 41 104 secundum exemplar Florentinum, in Ciceronis de re publica II, 4 *Doris*, hoc est *Doriis*. in eiusdem pro Flacco oratione 27, 64 Zumptius, vir clarissimus, me docuit Lagomarsinum in undecim codicibus *Eolis* scriptum invenisse, in duobus *Aeoles*, *Doris* in octo, in uno *Doriis*. apud Festum p. 317, 33 *Graeci Doriis*, quod sprevit Müllerus. Terentianus Maurus 659 *Plura Sappho comprobavit* (immo *comprobabit*), *Aeolis et ceteri*. optima exemplaria Quintiliani *Aeolis* in I, 4, 16. Δωριεῖς et Αἰολεῖς apud Macrobium de verbi differentiis p. 253 Iani. ex his apparet neque apud Velleium I, 4, 4 *Aeolii* ferri posse, neque apud Gellium II, 26 *Dorici*. *Aeoli* appellati sunt a Cornuto in excerptis Cassiodori apud Putschium p. 2282, item a Servio ad Aeneidos III, 445, *Dori* apud eundem ad Aen. II, 27, itaque Festus p. 206, 3 et Isidorus originum IX, 2, 80, *Dorenses* Iustino II, 6, 16, *Aeolenses* Sergio grammatico p. 1827. in lege notissima sunt *Termeses* sive *Termenses maiores Peisidae*, *Termenses* Livio XXXVIII, 15, *Telmesses* in Ciceronis de di-

Digitized by Google

vinatione I, 94, *Mylasis* et *Alabandis* in eiusdem epistularum XIII, 56, *Alabandi* vitiose de natura deorum III, 39, apud Varronem de lingua Latina libro V p. 59 *Pallantes*, in VIII p. 418 *Athenaiis*. casuum obliquorum non multa exempla inveni. ac primum quidem *Termesium Termensium Termesum*, item *Dicaearchium*, ut dixi ad librum III, 917, *Mideaesum* (*Midaeïum*, puto) in Ciceronis epistularum III, 8, 3, sed in Vitruvii IV, 1, 5 *Dorieon* et apud Macrobium in eodem libro p. 242 Graecis litteris Αἰολέων. tum *Termensis maioribus Pisideis*, in summa tabula *l. de Termesi. Pisid. mai.*, quod est *lex de Termesibus:* et Charisius p. 26 nomen *Achillis* pluralem dativum et ablativum tam ex tertio quam ex secundo ordine facere dicit. recte igitur *Aeolis* dativo Marius Victorinus p. 2468, non recte apud Pomponium Melam in I, 18 *ab Aeoliis*. postremo hos *Termenses*, *Alabandis* Cicero epistularum XIII, 56, Vitruvius in VII, 5, 6 *Alabandas* (immo *Alabandeas*) sive *Alabandis*, apud Priscianum hos *Dores* et *Aeoles*, item *Dores* Velius Longus p. 2217, hos *Dorenses* Iustinus.

88. QUID QUEAD ESSE. *Quead* uterque codex hic et versu 353, item oblongus in VI, 664 857, quadratus in V, 639 (*Quiq. ad estivis*), *quiad* oblongus in VI, 1022, *nequead* quadratus in III, 347. apud Nonium p. 362, 12 ex Cicerone *quead dicere*.

92. PRINCIPIO MARIA. His versibus utitur Probus ad eclogam Vergilii VI, 31, ut dixi ad librum IV, 126, proximo 94 Nonius p. 227, 25. eum qui hos sequitur 96 *libro sexto* adscribit Probus in institutionibus grammaticis p. 1394.

100. UT FIT UBI INSOLITUM REM. Oblongus *ibi*. corrector quadrati INSOLITAM: ita Antonius Florentinus et Brixiensis editio.

114. RELLIGIONE: Ita hoc uno loco uterque codex. in IV, 7 quadratus *Relligionum*. *Relliquias* oblongus in VI, 825 et eiusdem corrector in III, 656.

116. AETERNA MEARE. Marullus MANERE.

117. PARS ESSE. Marullus PAR *esse*.

121. SERMONI NOTANTES. Ita uterque codex, quadratus *i* ex *e* facto prima manu. Itali SERMONE.

122. DIVINO ANIMINBISTENT. Itali *divino a* NUMINE DISTENT.

131. UBI QUICQUIT CRESCET ET INESIT. In tertio, ubi iidem versus sunt, 787 CRESCAT *et* INSIT.

Digitized by Google

133. NEQUE ARVIS ET SANGUINE LONGIUS ESSE. In III, 789 *neque a* NERVIS. ibi adnotatum est scribendum esse LONGITER.

134. QUOD SI POSSET ENIM. Dixi ibidem 790 mihi scribendum videri QUID *si*.

142. PUTRIBUS IN GLEBRIS TERRARUM AUT SOLIS IGNI. Itali GLEBIS (quod Lucretius dicebat *glaebeis*) et *solis* IN *igni*.

152. QUOD SI TANGI NON LICET IPSUM. Marullus QUOD *tangi*. Avantius et Wakefieldus *si tangi*, sine sensu, nisi scribatur *ipsam*.

154. TENUES DE CORPORE EORUM. Haec sensu carent. Lambinus *pro corpore eorum*. sed oratio ita quoque scabra est: certe suavius foret *tenui pro corpore*. itaque suspicor hic gravius vitium subesse, poëtam autem scripsisse *Quare etiam sedes quoque nostris sedibus esse Dissimiles debent, tenue* ST SI CORPU' DEORUM.

158. ADLAUDABILE OPUS DIVOM. Huc Donatus respicit, cum dicit ad Phormionem I, 4, 26, ubi est *advigilare, Ad vim auctivam nunc habet, ut adlaudabile, admirabile*. quae sunt ante haec verba, ea habet Lactantius inst. VII, 3, 13.

165. DESIPEREST. *Decipere est* apud Lactantium ibidem libri olim impressi, et paulo post *agere* pro *gerere* iidem cum manu scriptis quos vidi. huius modi multa notare possem, si ullam utilitatem haberent.

175. AN, CREDO, IN TENEBRIS VITA AC MERORE IACEBAT? Quadratus *Anc credo* et *hac merore*. hic Lambinum, hominem linguae Latinae peritissimum, non offendisse miror: nam *An credo* dici non potest, debet esse AT, *credo*. neque idem Lambinus in Servii Sulpicii ad Ciceronem epistula libri IV, 5, 3 tulit *An illius vicem, credo, doles?* sed fecit *At*. hoc ipsum Ovidio reddendum est in arte libro I, 370 ita, *At, puto, non poteras ipsa referre vicem* (haec scilicet ancilla dicet dominae, *cum pellice laesa dolebit*), ubi legitur *Ut puto* et vulgo *poteris*. sed idem Lambinus haec ad homines nondum natos minus recte quam ad deos referri sensit, usus etiam Velleianis apud Ciceronem de natura deorum I, 21 *antea videlicet tempore infinito in tenebris tamquam in gurgustio habitaverat*, ideoque hunc versum cum proximo ante eum qui hos sequebatur collocavit, hoc est ante *Quidve*

Digitized by Google

mali fuerat nobis. at hoc modo manet id, neque refutatur, quod his duobus versibus continetur. itaque hi ante illos ponendi sunt, in quibus est *cui nil accidit aegri*, *cum pulchre degeret aevom*.

182. DIVIS UNDE EST. *Est* deleverunt Itali, non recte. verum est DIS *unde est*, quod Havercampus falso adscribit Vossianis.

185. INTER SE. Brixiensis editio et Marullus *inter* SESE.

186. DEDIT SPECIEM NATURA CREANDI. Recte Baptista Pius 'Emenda SPECIMEN.'

187. MULTIMODIS MULTIS. Infra versu 424 MULTA *modis*.

191. POSSINT. Rectius infra 428 POSSENT.

193. IN TALIS VENERE MAESTUS. Marullus MEATUS.

195. QUOD IAM RERUM IGNOREM. Marullus *Quod* SI *iam*. in II, 177 *Nam quamvis*.

201. INDE AVIDAM PARTEM. *Benignum* et *largum* dixerunt veteres copiosum, quod benigne et large praebetur, item *malignum* et *parcum* exiguum, quod praebetur parce ac maligne. ex quo genere *largiter auferre* quoque et *distare* est apud Lucretium in VI, 622 1113: item *largiter auferre* Horatius sermonum I, 4, 132, *largiter discrepare* Vitruvius VI, 1, 8, *largius a prisca consuetudine movere* Varro de lingua Latina X p. 583. *avidum* vero et *avarum* et *invidum* qui similiter dixerit neminem reperio: neque ea parvane an magna sint intellegi potest, quia hominem *avidum avarum invidum* cum appellamus, eum non dantem auferentemve aliis cogitamus, hoc est non agentem, sed id sentientem ut sibi quod aveat aliis invideat. quam ob rem haec vocabula semper ad mentem pertinent, non ad rem quae agitur et efficitur. Statius silvarum II, 2, 151 *avidique animum dispendia torquent Fenoris*, avarae fenerationis. Lucanus in II, 71 de Mario *Stagna avidi texere soli laxaeque paludes Depositum, Fortuna, tuum*. ubi recte Bentleius 'mihi vero placet *avidi*, vel translationis virtute, quasi solum sit hauriendi et absorbendi cupidum.' Lucretius in VI, 1236 *avidi contagia morbi*, in I, 1031 *largis avidum mare fluminis undis Integrent amnes*. Claudianus in Rufinum I, 164 *Illecebris capitur nimiumque elatus avaro Pascitur intuitu*. idem de raptu Proserpinae II, 336 *Non aqua Tantaleis subducitur invida labris*. secundum haec exempla *avida pars*

Digitized by Google

terrae foret avide nescio quid expetens, nullo autem modo. quod interpretes castissimo scriptori tribuere non verentur, avide occupata eaque ingens et vasta. iam igitur quaero utrum probabilius sit, Lucretiumne proprio et aptissimo vocabulo, quod ab hoc improprio atque coacto vix duabus litterulis differat, uti noluisse, an librarios his litterulis permutandis orationi labem attulisse. mihi ne dubitandum quidem videtur quin poëta hic ut ubique simplici veritate contentus scripserit *Inde* ALIQUAM *partem*, sive *alicam*, ut habet *alico* quadratus in III, 223, idemque *cam* in eodem 100, ut dixi ad IV, 116.

205. ADSIDUUSQUE GELI. Habet Nonius p. 487, 2.

208. CONSUETA DIBENTI. Itali et impressi BIDENTI.

209. PROSCINDERE ATRIS. Corrector oblongi ARATRIS. quadratus hunc versum non habet.

211. TERRAEQUE SOLUM. In libro I, 212 oblongus pro more *Terraque*, quadratus *Terrique*, corrector oblongi TERRAIQUE. Priscianus p. 865 *Lucretius aurarum cimus ad ortus*. sic ille librarii errore deceptus, *aurarum*, cum is grammaticus quem exscribit dedisset *Lucretius de natura rerum*. sic Probus p. 1394 *Lucretius in sexto libro de rerum natura*, Charisius p. 185 *Lucretius de rebus naturalibus tertio*. liber quadratus, quem subscriptionibus carere dixi, in prima pagina haec habet, T. (nomen erasum) DE PHISICA RERUM ORIGINE VEL EFFECTU LIBER PRIMUS INCIPIT F.

213. ET TAMEN. Apud Macrobium in Saturn. VI, 2 *Sed tamen*, deinde *Aut nimis torrens*, postremo *violento turbine versant*.

223. INDIGNUS OMNI. Corrector oblongi INDIGUS.

227. IN VITA RE ET TRANSIREST MALORUM. Quadratus *Transire est*. apud Lactantium de opificio dei III, 2 RESTET TRANSIRE.

230. ARME NUTRICIS. Corrector quadrati et ceteri ALMAE.

235. PRINCIPIO. Hic poëta ea tractare incipit quae se acturum promisit supra usque ad versum 109. huic recte subiungi potuit *Principio:* nunc, quia diversa interiecta sunt, nova transitione opus erat, ut quorsum haec referenda essent intellegi posset. ergo hic rursus perspicuum est poëtam et his et illis olim scriptis alia inseruisse, neque

Digitized by Google

ea ceteris ita ut ordo recte constaret accommodasse. sunt autem haec emblemata 110—234 ex eo genere, quae supra ad librum II, 166 inter sese aliquo sententiarum vinculo cohaerere dixi; quibus poëtam alia similia addere voluisse ex versu huius libri 155 apparet, quo promittit ea quae numquam praestitit. ceterum versu proximo 236 Nonius utitur p. 234, 2.

239. DEBET EADEM OMNIS MUNDI NATURA PUTARI. Quadratus *Debet omnis edem mundi*, sed lineolis interpositis, quibus librarius verum vocabulorum ordinem restituendum esse significavit, idemque mox 242 *Haec edem*. hoc ideo dixi, ne quem Lambinus et Havercampus in errorem inducerent. sed *eadem consistere* omnem mundi naturam rei non convenit: nam quod mundi partes nativae et mortales sunt, non *eadem*, hoc est aut *una* aut *eadem via*, *consistit* totius mundi natura, sed propterea ipsa mortalis et nativa esse censenda est. recte Gifanius *Debet* EODEM nativo ac mortali corpore consistere *putari*. addit Gifanius 'ita veteres nostri': idem Lambinus in libris Parisiensibus reperiri dicit, hoc est in editione Ascensii, e qua Forbiger, qui ea usus est, non regessit, cum tamen ibi plane ita scriptum sit.

241. CORPORE NATIVOM MORTALIBUS ESSE FIGURIS. Quadratus et a correctore oblongus *nativum*. tum quadratus *motalibus esse fuguris*. olim impressi *nativo mortalibus*, Marullus *nativo immortalibus*, Wakefieldus *nativo in mortalibus:* unus Naugerius recte *nativo* AC *mortalibus*. Lambinus *et*, quamvis paulo ante esset *nativo ac mortali:* et M ab AC minimum distat.

245. CAELI QUOQUE IDEM. Bentleius ITEM. Eichstadius et Forbiger *idem*, quod absurdum est, restituerunt.

247. ILLUD IN HIS REBUS NE CORRIPUISSE REARIS ME MIHI. Ita plane quadratus, *Memihi:* oblongus et Veronensis editio *Memini*, Brixiensis cum Italis Marullo ceteris *Memmi*. id quod unice verum est ex quadrato Havercampus non rettulit: Lambinus si a Turnebo ex eodem codice allatum vidisset, non temptasset *ne me arripuisse rearis*. Varro de lingua Latina libro VII p. 371 *clepere*, *id est corripere*. illustravit hunc verbi usum Gronovius in observationum IV, 19 p. 300 301. similiter autem sceptici ΣΥΝΑΡΠΆΖΕΙΝ ΤῸ ΖΗΤΟΎΜΕΝΟΝ dicunt ΤΟῪΣ ἑΑΥΤΟῖΣ ΤῊΝ ΚΡΊΣΙΝ ἐΠΙΤΡέΠΟΝΤΑΣ.

Digitized by Google

251. PARS TERRA NON ULLA. Veronensis editio *terrai non* NULLA.

255. AD DILUVIEM. Nonii codices p. 203, 27 contra ipsius mentem *diluvium*.

257. PRO PARTE SUO QUOD CUMQUE ALIT AUGET REDDITUR. Lambinus recte, quamvis ipse postea reiecerit, ALID. ita uterque Vossianus *alit* in I, 263 III, 970, oblongus *alii* in V, 1305 ubi quadratus *calit*, item quadratus *alit* I, 407 V, 1456. pro *Redditur* Marullus *Roditur*, quod diminuendi significationem non explet. recte servarunt *Redditur* Naugerius et Wakefieldus, id est restituitur, retribuitur, recreatur.

264. PRIMUM QUIDQUID. Sic iterum versu 304: utrobique corrector oblongi *primum* QUICQUID. quadratus male *uti quidquid* in I, 215, item male oblongus a correctore *qua quidque* II, 166, et prima manu *Quidquam* I, 535 scalpello factum *Quicquam*. his exceptis membranae non peccant. in lege Thoria 32 *ita utei quicquid quoieique ante hanc legem rogatam licuit*. in Terentii Adelphis IV, 2, 51 recte scribitur *atque unum quicquid, quod quidem erit bellissimum, Carpam*. non recte in Ciceronis de natura deorum I, 77 optimus codex, nisi Moserus fallit, *primum quidquid*. neque recte apud Varronem in rerum rusticarum I, 5, 3 *quo quidquid tempore in eo fundo fieri conveniat*. item male in Trinummo Plauti IV, 2, 39 *unum quidquid*, quod Ritschelius correxit. contra in Quintiliani X, 1, 3 et 5, 23, ubi in libris est *ut quicquid praecipue necessarium est* et *ut nec suo loco quicquid ponatur*, Frotscherus non recte fecit *quidquid*. similiter erravit in Ciceronis de finibus V, 24 Madvicus. apud Catonem 7, 1 libri, ut testatur H. Keilius in observationibus p. 48, *In eodem fundo suum quicquid conseri oportet*. semper *quicquam* scribendum esse, sed *quidquid*, cum relationem notet, dixit Wagnerus in orthographia Vergiliana p. 459 et 467, idemque ego dixi ad Gaïum p. XXXIX. his poteramus addere *quidque*, hoc est et quid, differre a *quicque*, pro quo pauci eodem sensu dixerint *quicquid*. huic ipsi quod dico *quicquid* simile est in lege Iulia municipali 13 *quemquem* pro *quemque*, *Quod quemquem hac lege profiterei oportebit:* sed in eadem *quemque* 22, *quamque viam hac lege quemque tueri oportebit*. sic iure consulti *quoquo* et *quaqua*, *siquid a quoquo eorum factum esse dicetur*, *quantum quoquo mo-*

Digitized by Google

mento temporis adiciatur, quis quoquo anno praeesset, quod a quoquo exactum est, unum procuratorem in quaqua domo; quae enumerat Dirksenius in Manuali Latinitatis p. 807[a]. sed *unus quisquis* nemo dixit, neque aut Cicero in epistularum VI, 1, 1 scribere potuit *quocumque in loco quisquis est*, aut Catullus p. 62, 12 *quisquis* pro *quivis*. *quidpe* quadratus in II, 983.

266. DIMINUUNT. Ita hic uterque liber, versu 389 uterque *Deminuunt*, 323 oblongus *Deminui*, quadratus *Diminui*. in I, 613 uterque *deminui*.

272. QUA VIA SEMEL SECTA SEMEL. Delevit SEMEL librarius qui scripsit codicem quadratum. confer librum VI, 638. versu proximo oblongus, Itali, olim impressi, *quid corpore toto:* quadratus et Marullus recte *qui corpore*.

274. IN ORAS. In hoc consensum membranarum sequi non potui. *ostem* habet oblongus in IV, 1051 et in VI, 399.

282. CANDORE REGENTI. Corrector quadrati et Antonius Marii RECENTI.

288. DISPERIS OMNIS. Iidem et impressi DISPERIT

291. UT PRIMUM. Marullus ET.

293. NI SUPPEDITE. Corrector oblongi SUPPEDITET.

295. PENDENTES LYCLINI. Corrector oblongi et Macrobius Sat. VI, 4 LYCHNI.

297. PROFERANT. Marullus PROPERANT. paulo ante Bentleius, sed iuvenis, et Wakefieldus *multa fuligine*, praeter rem.

301. EXITIUM CELERI CELERATUR ORIGINE FLAMMAE. Sic membranae, Itali, Marullus: *toleratur* olim impressi, Avantius, Naugerius. neutrum horum rei convenit: nam per celerem succedentis flammae originem exitium luci neque *celeratur* neque *toleratur*, sed CELATUR, ut nusquam *inter quasi rupta* videatur. vidit hoc Madvicus quoque, ut testatur Henrichsenius de codice Gottorpiensi p. 36.

302. PUTANDUM. Immo PUTANDUMST, ut dixi ad librum I, 111.

310. FOEDERANT NITI. Corrector oblongi FOEDERA.

311. DENIQUE NON MONIMENTA VIRUM DILAPSA VIDEMUS? QUAERERE PROPORRO SIBI CUMQUE SENESCERE CREDAS. Horum versuum alter Wakefieldo, qui eum cum Gifanio absurde interpretatur, prioris ἐπιφώνηcιν continere videtur, *credas ea quaerere sibi aliquando senectutem;*

Digitized by Google

cuius modi ἐπιφώνησις quia orationem interrumpit (nam in proximis ad *Non ruere* ex priore horum versuum *videmus* repetendum est), a Lucretiana dicendi arte abhorret. praeterea *cumque* nisi cum relativis coniunctum lingua Latina non agnoscit: neque Horatius in carminum I, 32 potuit dicere *mihi cumque salve* (volunt enim hoc esse 'salve quotiens te advoco': at cur lyra alias ei non salveat?), sed scripsit *o laborum Dulce lenimen medicumque salve Rite vocanti*. in Lucretii II, 721 non tolerarunt docti *ita cumque necessest*. itaque si viam a Gifanio monstratam, ut cautos decet, declinamus, duae restant rationes quibus hi versus, ante quam eorum alter tam turpiter corrumperetur, inter se coniuncti fuisse potuerint: nam aut ad *dilapsa videmus* adiectus fuit infinitivus, qualis est *cadere*, aut ad *monimenta virum* aliquid additum, quod a *Quae* pronomine in capite versus posito suspensum fuisse probabile est. at harum neutra ratione probata ex iis vocabulis quae incorrupta restant sententiae summam elicere possumus, quoniam *proporro*, quod est ultra (Handius enim in Tursellini tomo IV p. 608 mire fallitur), et retro spectare potest et ad succedentia, *senescere* autem pariter progressum aetatis indicare potest et decrementum. quae cum ita sint, hic ars et demonstratio locum non habet, sed divinatio. ergo Marullus, cum infinitivum quaereret, id invenit quod serio laudare nemo potest, *dilapsa videmus Cedere proporro subitoque senescere casu*. Abrahamus autem Preigerus, Havercampi amicus, cui de pronomine relativo suboluisset, haec ineptissima effudit, *dilapsa videmus*, *Quae ruere proporro ibi conque senescere credas*. mihi, ut nihil adfirmari posse concedo, ita aptissimum rei videtur *Quae* FORE *proporro* VETITUMQUE *senescere credas*. versum proximum Nonius exhibet p. 225, 20.

318. QUOD OMNE CONTINET AMPLEXU TERRAM. SI PROCREAT EX SE OMNIA. Marullus *quod* OMNEM. *si*, quod e libris Italicis excidit, de coniectura addideram, cum id ipsum in utroque Vossiano scriptum vidi; quod Havercampus, gentis Batavae dedecus, tanti non duxit ut dicendum existimaret. Marullus non bene *quod procreat*, Antonius Marii sine sensu *qua terram:* pessime Wakefieldus, Eichstadio et Forbigero plaudentibus, *omne terrarum*, cum tamen scirent Pacuvii haec esse, *Hoc vide, circum supraque quod*

Digitized by Google

omplexu continet Terram. utriusque autem poëtae oratio ulgo inepte distincta circumfertur.

326. ET FUNARA TROIAE NON ALIAS ALI. Corrector oblongi FUNERA. Itali ALII.

331. NATURA MUNDIST. Hoc Wakefieldum cum suis ueri quis credat? Marullus *Natura* EST *mundi*.

337. QUI POSSIM. Apud Lactantium, qui his versibus utitur inst. III, 16, 14, *qui possum:* sed Heusingerus in observationibus p. 49 in Gothano codice *possim* extare testatur.

339. SED PERISSE. Marullus PERIISSE.

342. AMNES AT OPPIDA. Antonius Marii et Marullus ATQUE. olim impressi *ac*, quod placuit Wakefieldo et similis Germanis.

349. INTER NOS NISI QUOD MORBIS AEGRESCIMUS IDEM ATQUE ILLI. Haec iam olim ita distincta esse video, ut coniungerentur haec, *Nec ratione alia mortales esse videmur Inter nos*. quae cum absurda esse Marullus solus intellexisset (sunt enim huius modi, Mortales et nos esse et eos qui mortem obierunt, ex eo apparet quod temptamur morbis), scripsit non minus absurde *videmus*, quasi non omnes mortales essemus. deinde *idem* Pius interpretatur 'nos ipsi': sed *idem* non est *ipsi*. ergo idem Pius maluit *morbis isdem Atque illi*, idemque Lambinus edidit; quos cur sequi non audeam dixi ad IV, 933. neque hic quicquam est quod iure reprehendatur. mortales, inquit, ea ratione esse cognoscimur, quod aegrotamus, cum, comparatione inter nos facta, iidem atque eadem natura simus atque illi qui mortui sunt. mira brevitas est in his, *inter nos idem atque illi;* hoc est, inter nos simillimi ac prorsus iidem nos et illi qui iam sunt mortui.

359. QUIA NULLA LOCI SIT COPIA. Non aliter in libro III, cui hi versus perperam inserti sunt, 814. sed scribendum est *quia nulla loci* FIT *copia*, ut paulo ante *Plagarum quia sunt expertia*. ut hic *loci fit copia*, ita infra 371 *natura loci Deficit*, hoc est defit. in VI, 829 *Propterea quod magna mali fit copia circum*. Ennius *Nec respirandi fit copia*.

367. FORTE COPERTA. Marullus COORTA.

375. IMMANI EVASTO. Ita oblongus prima manu: quadratus *immani aevasto*. corrector oblongi ET, corrector quadrati *ac*.

Digitized by Google

377. MORTALIS CORPORE QUE SUNT. Corrector quadrati et ceteri MORTALI.

382. LONGI CERTAMINI SOLIS. Antonius Marii CERTAMINIS OLLIS.

386. ULTRAQUE. Marullus *ultroque*, quem cur Avantio excepto omnes sequantur non intellego.

393. MAGNIS DE REBUS CERNERE CERTANT. Ita veteres membranae. Antonius Marii, veteres impressi, Marullus, ceteri, *Magnis de rebus inter se cernere certant*, pessime et contra normam artis Lucretianae. potest addi INTER SE, sed alio loco.

396. IGNIS ENIM SUPERAVIT ET AMBENS MULTA PERUSSIT. Olim impressi *ambiens*. neque hoc versus admittit, neque *ambens* pro *ambedens* grammatica sana. verissime corrector quadrati LAMBENS. sed hoc ut locum habere possit, scribendum est SUPERAT *et*. huius modi enim perfectis contractis Lucretius usus est, sed ante vocales tantum. in I, 71 *Inritat animi virtutem*. in VI, 587 *Disturbat urbes*. ita nescio quam recte interpretantur Ennii versum ex annalium libro XVI, qui extat apud Macrobium Saturn. VI, 1, *Tum tumido manat ex toto corpore sudor*. idem hoc genus apud Plautum observavi, scriptura tamen contractionem non semper referente. in Mercatore III, 4, 63 *Cúr istuc coeptás consilium? quía enim me adflictát amor*. in Epidico I, 1, 82 *Fidicinam emit, quam ipse amát eamque* (*quam* libri) *ábiens mandavit mihi*. in Cistellaria II, 3, 40 *dónec se adiurát anus Eam mihi monstrare*. in Asinaria II, 4, 94 *Adnúmerauit ét mihi credidit, neque est deceptus in eo*. (sic scribendum est, et paulo ante *etiam hodie Periphanes*.) in Casina III, 2, 13 *Nám tuus vir me oráuit ut éam istuc ad te adiutum mitterem*. in Trinummo I, 2, 132 *Adésurivit magis et ínhiauit ácrius*. in eadem II, 2, 1 *Quo illic homo foras se penetráuit ex áedibus?* II, 4, 200 *Postquam exturbáuit hic nós ex nostris aedibus*. sed imperite et Probus ita interpretatus est *et omnis humo fumat Neptunia Troia* Aen. III, 3 et Wakefieldus in hoc Lucretii libro 442 scripsit *conturbát* ex inepta nescio cuius Itali coniectura. nec Ovidius ita scribere potuit in Tristium IV, 1, 19 *Me quoque musa levát Ponti loca iussa petentem*, sed potius *levat tenentem*. item in scazonte Catulli 44, 21 debet esse *Qui tunc vocat me, cum malum librum legi;* non *vocát, cum legit:* et recte in eodem carmine libri *Nam Sestia-*

Digitized by Google

nus dum volo esse conviva, Orationem in Antium petitorem Plenam veneni et pestilentiae legi, non *legit*, ut paulo post *si nefaria scripta Sesti recepso*. at in prima multitudinis persona poëtae ambiguitatem non veriti syllabas contraxerunt. Plautus in Poenulo I, 2, 9 *Nam nos usque ab aurora ad hoc quod dicist Ex industria ambae numquam concessamus Lavari aut fricari*. Terentius in Adelphis III, 3, 11 *omnem rem modo seni, Quo pacto haberet, enarramus ordine*. Vergilius Aen. V, 57 *Adsumus et portus delati intramus amicos*. Propertius III, 15, 3 9 *Quam multa adposita narramus verba lucerna! Quam vario amplexu mutamus bracchia!* Calpurnius 7, 18 *nec mihi —— Grata magis fuerint quam quae spectamus in urbe*. Propertius in II, 7, 2 *flemus uterque diu, Ni nos divideret;* cui simillimum est *nomus* Ennii.

397. CUM PETONTANARAPAX VIS. Quadratus *petontanapax*. Itali *Phetonta rapax*, itaque Brixiensis editio. mox oblongus *phaetonta*, quadratus *haetonta*.

399. IRA CUM PERCITUS. Quadratus *ira compercitus*. Marullus TUM *percitus*.

400. REPENTI FLUMINIS ICTU. Corrector oblongi FULMINIS.

405. GRATUM. Itali GRAIUM.

410. AUT PEREUNT RES. Librarius quadrati primo scripserat *Ut*, tum fecit *AUt*. horum neutrum verum est, sed scribi debet ET ordine versuum mutato. *aut* ita capiendum foret, ut, nisi vis ignium aliquando cederet, res perituraе esse dicerentur: ita autem ignem *superare posse*, ut numquam revincatur, Epicurus negat.

412. HOMINUM MULTAS QUANDO OBRUIT UNDIS. Inepte Antonius Marii, Gifanius, Wakefieldus, *hominum multos*. Marullus optime *multas* URBIS.

425. OMNIMODISQUE COTRE. Correctores antiquissimi COIRE, ut versu 190.

428. OMNIGENUS COETUS. Corrector oblongi *Omnigenos*. sed in libro I, 1026 recte scriptum est OMNE *genus*.

429. EA QUE CONVENTA REPENTE. Ad librum II, 1061 dixi legendum esse CONVECTA.

430. FLUUNT EXORDIA SAEPE. In secundo *fierent:* hic Itali recte FIUNT. sed praeterea ex libro secundo adsumendum est SEMPER, hoc est quotiens ita elementa ad mundum

Digitized by Google

efficiendum conveniunt; non *saepe*, quia id quam saepe factum sit non quaeritur, sed in uno quoque illorum Epicuri mundorum fieri debet.

431. TERRE MARIS. Quadratus *Terrae*. in libro secundo *Terra*, quod est TERRAI.

433. ALTE VOLANS POTERAT, NEC. Apud Macrobium Saturn. VI, 2 His *neque tum solis* tota *cerni lumine* claro ALTIVOLANS *poterat*, neque *magni sydera mundi*. ibidem in versu proximo *nec aër*.

440—445. OMNIGENUS E PRINCIPIIS —— DARE CONVENIENTIS. Certum est Macrobium, testem codicum nostrorum archetypo fortasse non antiquiorem, omnia hic eodem ordine quo nunc in nostris extant legisse perscripta. nihilo minus dubitari non potest quin hi sex versus ad superiora revocandi sint; quod nisi faciemus, et ordinatio partium mundi ante discordiam ineptissime describetur, et oratio turpissime discidet: nam quod interpretes illa verba. *a terris altum secernere caelum*, ita intellegunt ut ex prioribus addant *quod primordia non poterant*, id si dicerem ferri posse, interpretes adularer, poëtae autem facerem iniuriam. sed valde laudandus est Iosephus Reisackerus, qui in Lucretianarum quaestionum pagina ultima et ipse verum versuum ordinem indicaverit, quem in p. 29 nondum perspexisset. in primo autem horum versuum solus quadratus habet *Omnigenus*, ceteri cum oblongo *Omnigenis*. sed hoc nomine adiectivo, quod est *omnigenum*, nullus veterum poëtarum usus est. nam *Omnigenumque deum monstra* in Vergilii Aeneïdos VIII, 698 Priscianus p. 732 rectius ad primam declinationem refert, *pro omnigenarum:* et Mediceus codex habet prima manu *nigenumq.*, e quo suspicio nascitur fuisse qui scriberent *Niligenumque deum monstra*. certe Lucretius vix aliter scribere potuit quam *molesque coorta* OMNE GENUS DE *principiis*. ita membranae in II, 821 *Omnigenus perfusa coloribus*, non *Omnigenis*.

441. VIA CONEXUS. Corrector quadrati et ceteri VIAS. ita scriptum est in libro II, 726 et 1020.

437. INDUE LOCI. Apud Macrobium Sat. VI, 2 et 4 INDE *loci*.

439. MAGNA DISPONERE PARTES. Apud Macrobium Sat. VI, 2 MAGNAS.

Digitized by Google

447. SECRETO UMOR PATERET. Corrector quadrati UMORE, et ita Macrobius Saturn. VI, 2. apud eundem *magnum caelum* ubi in nostris est *altum*, et *Seorsum item*.

449. TERRE CORPORA. Quadratus *terrae:* huius corrector et ceteri TERRAI.

455. E LEVIBUS. Apud Macrobium Saturn. VI, 2 *ex*, de quo dixi ad librum II, 451.

458. PRIMUS ET SUSTULIT AETHER. Itali SE *sustulit*.

460. AC SAEPE VIDEMUS —— 463. EXALANTQUE LACUS NEBULAM. Quae his interiecta sunt, ea rem non attingunt, sed descriptionem temporis continent, *Aurea cum primum gemmantis rore per herbas Matutina rubent radiati lumina solis*. ergo ne labet oratio, scribendum est *Non alia longe ratione ac saepe* VIDENTUR EXALARE *lacus nebulam fluviique perennes*.

467. TUM SE LEVIS AC DIFFUSILIS AETHER CORPORE CONCRETO CIRCUM DATUS UNDIQUE SAEPSIT. Quae secuntur intellego, *avido complexu cetera saepsit:* aether autem quomodo *se saepsisse* dicatur non capio. Plutarchus de placitis philosophorum I, 4 p. 878 D de corporibus rotundis et levibus in altum evectis ὡς Δ' οὖν ἐξέλιπε μὲν ἡ πληκτικὴ δύναμις μετεωρίζουσα, οὐκέτι δὲ ἦγεν ἡ πληγὴ πρὸς τὸ μετέωρον, ἐκωλύετο δὲ ταῦτα κάτω φέρεσθαι, ἐπιέζετο πρὸς τοὺς τόπους τοὺς δυναμένους δέξασθαι. hoc ἐπιέζετο Lucretius ita expressit ut diceret aethera se corpore concreto ceteris applicuisse, cum neque sursum ultra neque deorsum ferretur. huic rei aptissimum est *se circum datus undique* FLEXIT, idque poëtam dedisse existimo.

472. INTER UTRASQUE GLOBI. 476. INTER UTRASQUE ITA SUNT. In priore versu Marullus, in altero Lambinus scripsit *inter utrosque*, quod debebat certe esse *inter utrumque*. sed INTERUTRAQUE legendum esse dixi ad librum II, 518. ceterum hic Havercampus mirabili mendacio Wakefieldum decepit: neque enim verum est in codice oblongo post *secuta* in fine versus 471 additum esse *et*. sed in versu 474 *fuerunt* habent Vossiani, Antonius Marii, olim impressi, Marullus: *fuerint* Avantius edidit primus.

481. PLAGE CAERULA. Quadratus *plagae cerula*. corrector oblongi PLAGA.

482. ET SALSOS OFFUDIT. Oblongus prima manu

Digitized by Google

offodit, a correctore SALSO SUFFUDIT *gurgite fossas*, itaque recte Lambinus et Muretus. vide quae notavi ad librum III, 39 303.

484. ET RADII SOLIS COGEBANT UNDIQUE TERRAM VERBERIBUS CREBRIS EXTREMA AD LIMINA PARTEM, IN MEDIO UT PROPULSA SUO CONDENSA COIRET. Oblongus et olim impressi *Et radiis*, deinde iidem *ad lumina*. infeliciter Turnebus *extrema ad limina apertam:* nam neque *aperta terra* cur dicatur apparet, neque quomodo *ad extrema limina* coacta sit ut coiret. hic quoque librarios *s* littera elisa in errorem induxit: scribendum est enim *Et radii solis cogebant undique terram*, *Verberibus crebris extrema* A LIMINI' PARTE *In medio ut propulsa suo condensa coiret*.

491. DENSABANT. Ita hic semel membranae, alibi *denseri denserier densendo condenseat condensa*. constat quidem Latine dici *densatum* et *densavere:* sed in imperfecto Tacitus annalium II, 14 *denserent ictus*. recte igitur Lambinus DENSEBANT.

500. ET LEVIOR ALIIS ALIA. Itali LEVIORA.

502. NEC LIQUIDUM CORPUS TURBANTIBUS AERIS AURIS COMMISCI SINIT, HAEC VIOLENTIS OMNIA VERTI TURBINIBUS, SINIT INCERTIS TURBARE PROCELLIS. Corrector oblongi *aeris auras*, itaque Antonius Marii et olim impressi. et hoc Wakefieldus tuetur, quaenam essent illa *aëris auras turbantia* dicere oblitus, et *commisci* ut omnia barbara exosculatur. rectissime Naugerius COMMISCET; quem miror non vidisse legendum esse *sinit* HIC, id est aether: nam *haec* absurdum est, quod Creechius interpretatur *ista*. vidit Bentleius p. 443.

507. SIGNIFICAT PONTO MARE CERTO QUOD FLUIT AESTU. Hoc de Ponto Euxino intellegendum esse constat: sed nec *Ponto fluit* mare, nec, quod Lambinus voluit, *Ponti mare*, quod utrumque idem est, recte dicitur. scribendum est *Significat* PONTOS, *mare certo quod fluit aestu*. ita satis leniter poëta, *Pontos*, *quod mare*. minus facile ferrentur haec eadem coniuncta, *Pontos mare;* quae ab illo Lambiniano non differunt, quamquam *mare Hellespontum* apud minimae auctoritatis scriptorem inventum Munckerus demonstravit ad fabulam Hygini 3: certe *ponton* Graeca forma pro omni mari dixisse videtur Silius in XI, 473, *Quin etiam Pagasaea ratis cum*

Digitized by Google

caerula, *nondum Cognita terrenae*, *pontonque intrare negaret*, *Ad puppim sacrae cithara eliciente carinae Adductum cantu venit mare*. ubi in libris est *pontoque intrare negarent*.

509. MOTIBUS ASTRORUM. Quae hunc versum praecedunt, iis continuo subiciendum est *Terraque ut in media* et cetera 534, neque haec de motibus astrorum poëta infra versu 774 et proximis commemorat. itaque apparet hic quoque in schedis carminis disponendis a primo editore, quem Q. Ciceronem fuisse supra dixi, peccatum esse. poterant autem haec paulo aptius post versum 563 collocari.

513. INDE ALIUM SUPRA FLUERE ATQUE INTENDERE EODEM. Hic aër *quo intendat* neque superioribus continetur neque iis quae secuntur. nam versu proximo cavendum est ne illud *Quo* referamus ad *eodem*, *Quo volvenda micant aeterni sidera mundi:* neque enim sidera *quo* et in quem locum volvantur dicere poterimus, et eo versu absoluta aërum expositione opus est ad efficiendum id quod quaeritur, scilicet *eo* fieri ut sidera volvantur. hoc autem versu 514 in loco suo reposito, hoc est post 516, apparet illum superiorem aërem *intendere* DEORSUM et sphaeram illam caeli deprimere: alter enim, qui subter est, eundem caeli orbem *subvehere* et in altum tollere dicitur.

515. AUT ALIUM SUPTER, CONTRA QUIS SUBVEHAT ORBEM. Andreas Naugerius *Ast alium* et *qui subvehat*, quem ceteri secuntur. debuerunt ingrati homines auctorem optimum laudare primum, deinde ab eo accipere QUI: sed *ast* coniunctione Lucretium usum non esse his annis trecentis intellegi potuit. neque ea coniunctio huic loco accommodata est, sed cum praecesserit *Ex utraque parti* et *Inde alium supra fluere*, necessario sequi debet HINC aut certe *Inde alium supter*. in hoc genere nulla litterarum similitudinis et ceterorum artificiorum, in quibus sibi plerique placent, habenda ratio est, neque dicam AUT EX INC, quod quadratus habet supra versu 285, facilius quam ex HINC oriri potuisse.

516. UT FLUVIUS VERSARE ROTAS. Apud Nonium p. 13, 8 recte *Ut* FLUVIOS, apud Isidorum originum XX, 15 *In fluvio*. sed in eodem versu iidem cum membranis nostris *austra*, non *haustra*. *austus* infra in hoc libro 1069 quadratus, *aurire* in IV, 3 oblongus, idem *exausit* in VI, 1140, *aurit* quadratus in VI, 141.

Digitized by Google

518. CUM LUCIA SIGNA FERANTUR. Itali et impressi LUCIDA. *feruntur* quadratus.

521. PER CAELI VOLVUNT SUMMANIA TEMPLA. Quadratus *sumania*, *se inania* Brixiensis editio et Naugerius, *se immania* apud Pium 'prisci codices.' recte Creechius *et ignes Passim per caeli volvunt* IMMANIA *templa*.

524. VOCAT ATQUE INVITAT EUNTIS. *Euntis* Wakefieldus recto casu accipit: et verum est *eundi* verbum hic aliter locum habere non posse, *sive ipsi serpere possunt*, *Quo cuiusque cibus vocat atque invitat euntes*. sed *serpunt euntes* nimis ineptum dicendi genus est, et valde incondite alius casus rectus participii subicitur, *Flammea per caelum pascentes corpora passim*. ergo in versu medio debet esse genetivus, *Quo cuiusque cibus vocat atque invitat* AVENTIS.

528. MUNDIS VARIA RATIONE CREATI. Infra versu 1345 CREATIS.

530. QUAE POSSINT ESSE PER OMNEM. Corrector quadrati et Marullus *per* OMNE.

531. SIT ET HAEC QUOQUE CAUSA. Oblongus *hae quoque*. SIET scribendum esse dixi ad III, 234. in hoc versu quadratus *Ex quibus*, *x* littera a prima manu super *q* addita. *Exque x* eraso oblongus in I, 37. *Ex quo* uterque in V, 20, *E quibus* I, 235 II, 759, *e qua* I, 204, ante *c* litteram semper *e*. ubique scriptum est *quibus e*, non *quibus ex:* itaque in IV, 27 *Et quibus e rebus*, cum tamen sit *ex rebus* I, 714 II, 179 VI, 499 et *ex re* IV, 695, semel *e* IV, 91. mirabile hoc quoque, *non ex ridentibus* II, 986, *ex non sensibus* II, 930 932, *ex nulla* I, 667, in ceteris autem, quorum prima littera *n* est, semper *e* scriptum esse, *e nilo*, *e nervis*, *e nubi*, *e nubibus*, *quibus e nunc*.

532. QUAE VIGEAT MOTUM SIGNIS. Gifanius VEGEAT, rectissime.

533. PRAECIPERE HAUT QUAQUAMST PEDETEMTI PROGREDIENTES. Oblongus prima manu *pedetem*, quadratus *pedetēti*. M addendum esse omnes viderunt, sed scripserunt pravae consuetudini indulgentes *pedetentim*. ceterum *m* an *mp* scribatur nihil inter est: infra 1453 oblongus *pedetemtim progredientes*, quadratus *pedetētim progredientis*. apud Charisium p. 190 Lucilii verba ita scribenda sunt, *pedetemptim huc ire salutem*, ubi codex habet *hunc resalutem*. in fine Lambinus tacite PROGREDIENTIS; quod verissimum est,

Digitized by Google

non modo quod quartum casum constructio respuit, ut Wakefieldus dicit (certe alii iunxerunt tertio), sed quia *est* cum infinitivo pro *licet* non est antiquae et germanae Latinitatis. primus eo, quantum scio, usus est Varro apud Gellium XVIII, 12 *Inter duas filias regum quid mutet, inter Antigonam et Tulliam, est animadvertere*. nam Terentius quidem non dubito quin scripserit in Heauton timorumeno I, 2, 18 *Quid narrat? quid ille? miserum se esse. miserum? quem minus crederes?* non *crederest;* et in Adelphis V, 3, 42 *video eos sapere, intellegere, in loco Vereri, inter se amare: scires liberum Ingenium atque animum*, scilicet etsi eos non cognovisses; non *scire est*. in Vitruvii II, 9, 11 recte libri *Est autem maximum id considerare Ravennae:* vulgo fertur *maxime*. ceterum illud ipsum *est* omitti non potest, neque omittit Valerius Flaccus, cum dicit in VI, 487 *tales quando tibi cernere reges?* hoc enim simile est illis Marci Tullii ad Atticum libro XV, 13, 1, *Sed quando illum diem, cum tu edendam putes?* quibus utitur I. F. Gronovius in diatribe p. 106 inter alia eiusdem generis, qualia sunt *Quo mihi fortunam? Unde mihi lapidem?* sed veteres illi aliquando *est* cum infinitivo ponebant, ubi saepius utebantur *ut* coniunctione, ut Cato *Est inter dum praestare mercaturis rem quaerere*, ut Plautus in Captivis I, 2, 68 *Hoc illum me mutare confido fore*, id est confido fore ut hoc illum mutem. rarissimus loquendi modus est quem I. F. Gronovius non praeteriit in libro IV observationum, capitulo 8, p. 115 116 117, permixtum diversis ex eo quoque genere quod attigi ad librum IV, 244: sed illa quae dico rarissima, in quibus *est* ita intellegi debet, *est aliquid* sive *prodest*, Gronovius Senecae ac Petronio vindicat; cuius modi est in epistula 87 Senecae *M. Cato censorius, quem tam rei publicae hercle fuit nasci quam Scipionem*, et de clementia I, 18 *Quanto autem non nasci fuit quam numerari inter publico malo natos!* hoc ab antiquorum usu remotissimum est, neque Horatium eo modo scripsisse credo in sermonum II, 5, 103 *et si paulum potes, inlacrimare. est Gaudia prodentem voltum celare;* ubi litteram addendam censeo, hoc modo, *inlacrima. e re est Gaudia prodentem voltum celare*.

536. SUPER HABERE. Marullus SUBTER.

537. EX INEUNT AEVO. Quadratus *evo*. huius corrector fecit INEUNTE *evo*, itaque Antonius Marii et Veronensis editio.

Digitized by Google

538. QUIBUS INSITA VIVIT. Dixit poëtarum more Lucretius ignes aetheris *vivere* I, 1034, item *viva* solis lunaeque corpora V, 476, eodemque modo paulo ante 514 *aeterni sidera mundi:* sed terram quomodo vivere dicat, *vitali motu sensuque remotam* V, 125, non possum intellegere. inepte Lambinus *sidit* ex nescio quibus antiquae scripturae in Bertiniano vestigiis, cuius modi certe nulla sunt in quadrato codice. rei convenientissimum esse existimo *quibus insita* CREVIT.

545. USQUE ADEO MAGI REFERT QUIT QUEQUE QUAEAT RES. Itali et impressi MAGNI *refert*. tum post vanum Lambini conatum I. F. Gronovius in observationum III, 5 p. 465 *quid quaeque vehat res*, id est quid portet. verum id nunc non agitur, sed quid cuique conveniat et coniunctum sit neque alienum: haec enim causa est cur, ut dicebat Epicurus, ἡ γῆ τῷ ἀέρι ἐποχεῖται. prorsus Lucretianum est *quid quaeque* AVEAT *res*.

551. SUPRU QUE SE SUNT. Corrector oblongi SUPRA.

553. PARTIBUS AERI MUNDI. Itali AERIIS, ut versu 538.

555. ATQUE UNITER AUCTA. 558. ATQUE UNITER RAPTA EST. In priore versu APTA Marullus, in altero iam corrector quadrati, item Antonius Marii et Brixiensis editio.

559. SALTU PERNICE TOLLERE CORPUS QUIS POTIS EST, NISI VIS ANIMAE? Antonius Marii *attollere*, *pernici* Brixiensis editor et Marullus; quorum quia neutrum alteri praestat, maneat in possessione PERNICI. tum recte Tanaquil Faber QUID *potis est*. sed praeterea scribendum est ANIMI, quomodo recte scriptum extat versu 563. libro II, 261 *Nam dubio procul his rebus sua cuique voluntas Principium dat, et hinc motus per membra rigantur*. in Sangallensi codice scholiorum in Iuvenalem, qui saeculo nono scriptus est, primis paginis continentur versus e poëtis compluribus, quorum non sunt adscripta nomina, excerpti propter quantitates syllabarum. inter hos e Lucretii carmine petiti sunt duo de triginta cum ceteris commixti, I, 156 82 119 186 210 305 306 396 II, 201 I, 448 449 580 779 II, 245 551 525 429 351 128 III, 207 IV, 641 II, 447 III, 1015 IV, 9 V, 559 952 VI, 896 725. in quibus vix quicquam memoria dignum est quod a membranis nostris differat, nisi in hoc de quo agimus versu *pernitio tollere*, in I, 156 *nil*, 306 *Umescunt edem dispansae*, 449 *convincit*. pro *coniuncto duobus*, 779 *clandestinam*, in II, 429 *Titillare*

Digitized by Google

— *possint*, in IV, 641 *coturnicibus*. cum quadrato concinit in II, 245 *videamus* et in VI, 725 *opilare:* sed versus libri V 952 in quadrato est inter extra clusa, neque mihi improbabile videtur ipso codicum nostrorum archetypo usum esse qui haec excerpta confecit, qui non fuit codicis Sangallensis scriptor. horum excerptorum mihi copiam fecit Otto Iahnius. Mico Centulanus levita, qui vixit eodem saeculo nono ineunte, in libellum quo exempla quantitatis vocabulorum ordine alphabetico collegit, tres Lucretii versus e libro II 447 128 365 coniecit: in eius libelli codice Halberstadiensi saeculo tertio decimo scripto, quem mihi Mauricius Hauptius ostendit, scriptum est ut debet *Derivare queunt animum curaque levare*, cum quadratus habeat *Dirivare*, oblongus a correctore *curāque*.

563. CONIUNCTA TERRIS. Itali et Marullus CONIUNCTUS.

566. IGNES LUMINA POSSUNT ADLICERE. *Adlicere* cum sit *iactui* vel *adiectui* contrarium, unice verum est quod Lambinus posuit (urbane Forbiger ex eius ingenio *fluxisse* dicit) *Adiicere*, nisi quod aut consueto veterum more ADICERE scribendum est, aut minus vulgari, de quo dixi ad librum II, 951, *Adiecere*.

568. NIHIL NISI INTERVALLIS DE CORPORE LIBRANT FLAMMARUM. Antonius Marii *Nilque nisi ex intervallis*, quo male probato (nihil enim ad sententiam facit) Marullus rectissime scripsit LIBANT. Naugerius *Nil ipsis intervallis*, Lambinus *Illa ipsa intervalla nihil*, Gifanius *Nil visus intervalla*, Wakefieldus *Nihil ipsa intervalla in sis*, Eichstadius *Nil missus intervalleis*. horum nihil verum esse apparet: Eichstadianum in primis mirabile est, quo ipsae radiorum emissiones tanto intervallo factae nihil de flammarum corpore decorticare dicuntur: probavit enim *librant*, non *libant*. mihi quid Lucretius dederit certo dici posse non videtur: sed quoniam *spatiis* hoc commodissime adscribitur ut de ignium corpore aut aliquid aut nihil libent demantve, potest satis apte hiatus ita expleri, *Nil* EA IN HIS *intervallis de corpore libant Flammarum*.

570. 574. PERVENIUNT NOSTROS AD SENSUS, ET LOCA FULGENT. Haec quia non ad lumen solis, sed ad *calorem lumenque profusum* spectant, non sufficiunt; neque

Digitized by Google

magis *loca tingunt*, quod posuit Lambinus. melius foret *tangunt*, sed verissimum eodem sensu *et loca* MULCENT. in II, 141 *haec loca circum Laetitiae mulcent*. de nubibus in IV, 136 *Aĕra mulcentes motu*. Vergilius in VII, 34 de avibus *Aethera mulcebant cantu*. ceterum ordinem versuum primus hic ostendit Marullus a recentioribus nulla laude dignatus. Wakefieldus, quasi elementa caeco casu in hanc dispositurâm devenerint, 'nulla est caussa', inquit, 'de quâ *receptam* loci constitutionem vel immutare, vel deserere, velimus'.

571. FORMA QUOQUE HINC SOLIS DEBET ILLUMQUE VIDERI. Quadratus *ilumque*. Turnebus in adversariorum XIV, 23 egregie *Forma solis* FILUMQUE, quod tamen neque ipse nec ceteri qui de hoc vocabulo dixerunt recte interpretati sunt praeter Bentleium: is ad versum 581 *filum* dicit esse magnitudinem: est autem proprie crassitudo, quod vel ex libri IV versu 88 apparet, ubi sunt *formarum vestigia suptili praedita filo*. Cicero de oratore libro II, 93 *omnes etiam tum retinebant illum Pericli sucum, sed erant paulo uberiore filo*. idem in III, 96 *Ornatur igitur oratio genere primum et quasi colore quodam et suco suo:* mox ibidem *in toto spectantur haec corpore:* deinde 103 *haec formanda filo ipso et genere orationis*. idem in Laelio 25 *et audivi non invitus equidem* (philosophos disputantes): *sed aliud quoddam filum orationis tuae*, hoc est, illorum oratio tenuior est, uberior tua. Varronis verba de lingua Latina X p. 546, quibus in hoc vocabulo explicando grammatici uti non solent, Müllerus quoque male interpolavit: codex recte *Eo porro similiores sunt qui facie quoque pene eadem, habitu corporis, filo*. Nonius, qui ceteris pravam interpretationem praecinuit, p. 313, 12 *Filum, oris liniamentum. Lucilius lib. XXVIIII Surge mulier, ducito filum non malum*. Lucilii verba male distincta esse apertum est. novissimi editores *ducite;* quonam auctore usi, nescio: nam ante se non modo Mercerum sed omnes *ducito* dedisse ne referunt quidem. quid Lucilius scripserit dici non potest: possunt temptari quae eo digna sint; velut hoc, *Virgon an mulier dubito. filum non malum, Nasum hoc corpusque scitum*.

576. SIVE SUA PROPRIO IACTAT DE CORPORE LUCEM. Antonius Marii et Marullus SUAM. Apuleius de deo Socratis p. 113 edit. Hildebr. *radios solis obstiti vel adversi usurpat et, ut verbis utar Lucretii, notham iactat de corpore lu-*

Digitized by Google

cem. ubi Hildebrandus dedit *iactam*, 'ex optimis codicibus' inquit, 'quia Apuleium videndum est memoriter hunc versum recitasse.' at Apuleius memoriter scripsit *iactat*, cum modo posuisset *usurpat:* videndum est autem ne Hildebrandus hic ut solet ineptiat.

580. AERE PER MULTUM. Corrector oblongi AERA. in eodem *speciem* quadratus, et oblongus prima manu *videtur*.

581. QUAM MI FILUM. Itali *minimum*. Bentleius prorsus egregie MINUI, quod Epicuri verbis confirmat, quae Diogenes protulit in x, 91, εἰ γάρ φησι τὸ μέγεθος διὰ τὸ διάστημα ἀποβεβλήκει, πολλῷ ἂν μᾶλλον τὴν χρόαν. in quibus χρόαν recte interpretatur colorem, hoc est superficiem et extremas oras.

584. QUANTO QUOQUE QUANTAST HINC NOBIS VIDEATUR IN ALTO. 596. QUANTA QUOQUEST TANTA HINC NOBIS VIDETUR IN ALTO. Quadratus in versu 596 *nobis viditur*. huius corrector versum 594 595 596 in margine notavit: horum postremum primus Naugerius delevit, verum ordinem Marullus iam viderat. sed versum 584 cum Wakefieldus imperitissime ita corrupisset *Quanta quoque est quanta, hinc nobis videatur in alto*, Eichstadius, quod omnes fefellerat, verum solus invenit, QUANTAQUE *quanta est;* qua emendatione effecit ut hic semel valde laudandus sit.

586. QUOS CUMQUE IN TERRIS CERNIMUS, DUM TREMOR CLARUS. Antonius Marii *Dum tremor* EST *clarus*, sed idem pessime *cernimus horum:* neque melius Marullus, quem tamen omnes secuntur, *cernimus ignes* in priore versu, ut in proximo ante eum *aetheris ignes*, repetitione inepta. non dubito quin scribendum sit FLAMMAE *Dum tremor est clarus*.

589. QUO LONGIUS ABSIT. Lambinus *absint*, quo ipse fieri non animadvertit ut haec verba ad ignes caelestes referenda sint, cum tamen constet ea ad terrestres pertinere. sic enim de magnitudine solis Epicurus apud Laërtium in x, 91. τὸ δὲ μέγεθος ἡλίου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἄστρων κατὰ μὲν τὸ πρὸς ἡμᾶς τηλικοῦτόν ἐστιν ἡλίκον φαίνεται (ἄλλο γὰρ τοῦτῳ συμμετρούμενον διάστημα οὐθέν ἐστιν), κατὰ δὲ τὸ κατ' αὐτὸ ἤτοι μεῖζον τοῦ ὁρωμένου ἢ ἔλαττον μικρῷ ἢ τηλικοῦτον τυχόν· οὕτω γὰρ καὶ τὰ παρ' ἡμῖν πυρὰ ἐξ ἀποστήματος θεωρούμενα κατὰ τὴν αἴσθησιν θεωρεῖται. ergo scribendum est *quo longius* ABSUNT. ceterum in superioribus oblongus *videtur*, quadra-

Digitized by Google

tus *videntur:* ut oblongus, ita Antonius Marii, olim impressi (sed Veronensis et Venetus *violetur*), Avantius, Naugerius; *nutare videntur* Marullus.

595. EXIGUA MAIORIS PERTE BREVIQUE. Itali PARTE.

598. ERUMPERE LUMEN. Non aliter apud Eutychium p. 2185 Putsch., itaque Antonius Marii, olim impressi, Marullus. Lambinum miror, qui *flumen*, quod Avantius dedit, fere omnes suos veteres codices habere scribat.

599. QUIA SIC ELEMENTA VAPORE. Sic membranae, sic Antonius Marii: *qua* olim impressi et Marullus. idem Marullus *vapora*, Lambinus VAPORIS.

605. AERA PERCIPITAT. Naugerius PERCIPIAT.

606. OPPORTUNUS SITA EST. Corrector quadrati et ceteri ITA *est*.

608. SEGETES STIPULAMQUE VIDEMUS ACCIDERE EX UNA SCINTILLA INCENDIA PASSIM. *Accidere* quadratus, *Accedere* oblongus: huius corrector *Accendere*, itaque Veronensis editio, sed Brixiensis atque Antonius *Accendi*, Marullus *Accipere*, Naugerius rursum ab Avantio Piove *Accendi*. *Accipere*, quod Lambinus probavit, ita dici potuit ut de navibus Vergilius Aen. I, 123 *laxis laterum conpagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem*. Wakefieldus scripsit *Accidere*, de accusativo securus. eum quo tuear nihil habeo nisi notissimum illud Plauti, quod est in Sticho I, 2, 31, *Certo enim mihi paternae vocis sonitus auris accidit*, qua eadem constructione Lucretius videtur usus esse in IV, 568. certe apud Valerium Flaccum II, 452 et IV, 580 *vox accidit aures* ab Heinsio est: altero loco, ubi vetus Carrionis habet *exciit*, recte agunt qui faciunt *vox haec simul excidit auris*, altero aut hoc ipsum scribendum est aut *vox attigit aures*. non valde tamen dissimile est *mensam accumbere*, quo Accius usus est, cum dixit *Ne cum tyranno quisquam epulandi gratia Accumbat mensam*, quae habet Nonius p. 415, 27; item apud eundem p. 511, 17 Lucilius *nam sumptibu' magnis Extructam ampliter ac decumanam* (libri *ampliter atque cum*) *accumbimu' mensam*.

610. FORSITAN ET ROSEA SOL ALTE LAMPADE LUCENS. Non solet Lucretius ad *Forsitan* adiungere *etiam*, nedum *et*, quo illius loco numquam usus est. in VI, 346 *Forsitan ex ipso*, ubi male Marullus *Forsan et*. in eodem 735 *Forsitan Aethiopum*, ubi Lambinus *Forsit et*. itaque hic potius

Digitized by Google

scribendum est *Forsitan* E (an *ex? e regione* IV, 374 VI, 344 742 823 833: cetera posui supra versu 531) *rosea sol alte lampade lucens*. nam *alte* est ex alto, penitus, ut in II, 446 *alte compacta*. Vitruvius de *frigidis fontibus qui ab inferioribus locis penitus orti* sunt, in VIII, 3, 2, *cum in ardentem locum alte penitus inciderunt*.

613. AESTIFERI UTANTUM. Oblongus *utantur*. recte Antonius Marii et Marullus AESTIFER, hoc est luci aestum addens, UT TANTUM, quantum scilicet fieri intellegimus, *radiorum exaugeat ictum*.

614. NEC RATIO SOLIS SIMPLEX RECTA PATESCIT. Antonius Marii filius *aut recta: ac recta* olim impressi et Avantius, a quibus maluit hoc accipere Naugerius quam Marullianum *et recta*. quae omnia falsissima sunt: nam illarum rationum aliquam quasi non rectam reicere, ἐὰν μή τι τῶν φαινομένων ἀντιμαρτυρῇ, non decet Epicureum; quos hortatur magister μή τις τὸν μοναχῇ τρόπον καθηγαπηκὼς τοὺς ἄλλους κενῶς ἀποδοκιμάζῃ, οὐ τεθεωρηκὼς τί δυνατὸν ἀνθρώπῳ θεωρῆσαι καὶ τί ἀδύνατον, in epistula ad Pythoclen §. 94. paulo melius Lambinus nullo auctore dicto *nec certa*. sed respiciendum erat ad ea quae secuntur, *Non, inquam, simplex his rebus reddita causast*. ad haec quam proxime accedet *ratio simplex* RELLATA. hoc in libro II, 1001 in membranis scribitur *relatum* littera non duplicata, sed in lege Thoria 80 *in formam publicam rellatum*. *reccidere* uterque Vossianus in I, 857 1063 V, 280, *redductum* uterque in I, 228, *redducunt* IV, 992 1001 quadratus et a correctore oblongus, *redducit* et *redducere* I, 228 V, 1337 quadratus.

617. CANCERIS UT VERTAT. *Cancerem* sive *cancer* morbum in caelo pasci plane portentum est. Avantius horride *Cancri iter ut vertat*. potuit quam lenissime CANCRI SE *ut vertat metas ad solstitialis*.

632. FLACCIDIORE ETIAM. Immo ETENIM, ne sit asyndeton. oblongus *Flaccidior*.

648. ILLE QUEANT. Itali ILLA.

651. SOLVET IMA CAELI. Turnebus in adversariis XIV, 23 *sol* ULTIMA.

654. CONVORTORE COGIT. Corrector oblongi CONVERTERE.

656. ROSEA MATURA PER ORAS AETHERIS AURO-

Digitized by Google

tus *videntur:* ut oblongus, ita Antonius Marii, olim impressi (sed Veronensis et Venetus *violetur*), Avantius, Naugerius; *nutare videntur* Marullus.

595. EXIGUA MAIORIS PERTE BREVIQUE. Itali PARTE.

598. ERUMPERE LUMEN. Non aliter apud Eutychium p. 2185 Putsch., itaque Antonius Marii, olim impressi, Marullus. Lambinum miror, qui *flumen*, quod Avantius dedit, fere omnes suos veteres codices habere scribat.

599. QUIA SIC ELEMENTA VAPORE. Sic membranae, sic Antonius Marii: *qua* olim impressi et Marullus. idem Marullus *vapora*, Lambinus VAPORIS.

605. AERA PERCIPITAT. Naugerius PERCIPIAT.

606. OPPORTUNUS SITA EST. Corrector quadrati et ceteri ITA *est*.

608. SEGETES STIPULAMQUE VIDEMUS ACCIDERE EX UNA SCINTILLA INCENDIA PASSIM. *Accidere* quadratus, *Accedere* oblongus: huius corrector *Accendere*, itaque Veronensis editio, sed Brixiensis atque Antonius *Accendi*, Marullus *Accipere*, Naugerius rursum ab Avantio Piove *Accendi*. *Accipere*, quod Lambinus probavit, ita dici potuit ut de navibus Vergilius Aen. I, 123 *laxis laterum conpagibus omnes Accipiunt inimicum imbrem*. Wakefieldus scripsit *Accidere*, de accusativo securus. eum quo tuear nihil habeo nisi notissimum illud Plauti, quod est in Sticho I, 2, 31, *Certo enim mihi paternae vocis sonitus auris accidit*, qua eadem constructione Lucretius videtur usus esse in IV, 568. certe apud Valerium Flaccum II, 452 et IV, 580 *vox accidit aures* ab Heinsio est: altero loco, ubi vetus Carrionis habet *exciit*, recte agunt qui faciunt *vox haec simul excidit auris*, altero aut hoc ipsum scribendum est aut *vox attigit aures*. non valde tamen dissimile est *mensam accumbere*, quo Accius usus est, cum dixit *Ne cum tyranno quisquam epulandi gratia Accumbat mensam*, quae habet Nonius p. 415, 27; item apud eundem p. 511, 17 Lucilius *nam sumptibu' magnis Extructam ampliter ac decumanam* (libri *ampliter atque cum*) *accumbimu' mensam*.

610. FORSITAN ET ROSEA SOL ALTE LAMPADE LUCENS. Non solet Lucretius ad *Forsitan* adiungere *etiam*, nedum *et*, quo illius loco numquam usus est. in VI, 346 *Forsitan ex ipso*, ubi male Marullus *Forsan et*. in eodem 735 *Forsitan Aethiopum*, ubi Lambinus *Forsit et*. itaque hic potius

Digitized by Google

scribendum est *Forsitan* E (an *ex? e regione* IV, 374 VI, 344 742 823 833: cetera posui supra versu 531) *rosea sol alte lampade lucens*. nam *alte* est ex alto, penitus, ut in II, 446 *alte compacta*. Vitruvius de *frigidis fontibus qui ab inferioribus locis penitus orti* sunt, in VIII, 3, 2, *cum in ardentem locum alte penitus inciderunt*.

613. AESTIFERI UTANTUM. Oblongus *utantur*. recte Antonius Marii et Marullus AESTIFER, hoc est luci aestum addens, UT TANTUM, quantum scilicet fieri intellegimus, *radiorum exaugeat ictum*.

614. NEC RATIO SOLIS SIMPLEX RECTA PATESCIT. Antonius Marii filius *aut recta: ac recta* olim impressi et Avantius, a quibus maluit hoc accipere Naugerius quam Marullianum *et recta*. quae omnia falsissima sunt: nam illarum rationum aliquam quasi non rectam reicere, ἐὰν μή τι τῶν φαινομένων ἀντιμαρτυρῇ, non decet Epicureum; quos hortatur magister μή τις τὸν μονᾳχῇ τρόπον καθηγαπηκὼς τοὺς ἄλλους κενῶς ἀποδοκιμάζῃ, οὐ τεθεωρηκὼς τί δυνατὸν ἀνθρώπῳ θεωρῆσαι καὶ τί ἀδύνατον, in epistula ad Pythoclen §. 94. paulo melius Lambinus nullo auctore dicto *nec certa*. sed respiciendum erat ad ea quae secuntur, *Non, inquam, simplex his rebus reddita causast*. ad haec quam proxime accedet *ratio simplex* RELLATA. hoc in libro II, 1001 in membranis scribitur *relatum* littera non duplicata, sed in lege Thoria 80 *in formam publicam rellatum*. *reccidere* uterque Vossianus in I, 857 1063 V, 280, *redductum* uterque in I, 228, *redducunt* IV, 992 1001 quadratus et a correctore oblongus, *redducit* et *redducere* I, 228 V, 1337 quadratus.

617. CANCERIS UT VERTAT. *Cancerem* sive *cancer* morbum in caelo pasci plane portentum est. Avantius horride *Cancri iter ut vertat*. potuit quam lenissime CANCRI SE *ut vertat metas ad solstitialis*.

632. FLACCIDIORE ETIAM. Immo ETENIM, ne sit asyndeton. oblongus *Flaccidior*.

648. ILLE QUEANT. Itali ILLA.

651. SOLVET IMA CAELI. Turnebus in adversariis XIV, 23 *sol* ULTIMA.

654. CONVORTORE COGIT. Corrector oblongi CONVERTERE.

656. ROSEA MATURA PER ORAS AETHERIS AURO-

Digitized by Google

RAM DIFFERTE LUMINA PANDIT. Corrector oblongi *defert et:* rectius Itali DIFFERT ET. iidem ROSEAM. MATUTA Marullus egregie.

667. POSSIT. Pessime Itali, quos omnes secuntur, *possint*. scribendum est POSSUNT, ut supra 589 *absunt* pro *absit*. ita semper Lucretius. *minime mirabile quod vides* II, 464, *non est mirandum quod quaerit* IV, 859; *nec mirabile quod possunt* IV, 899, *mirari mitte quod non valet* VI, 1057. contra *non est mirabile quare videatur* II, 310, *cur perspiciantur* IV, 258, *qua ratione veniant* IV, 597, *qua ratione queat* V, 591.

675. FLUMINA POSTROMO. Marullus FULMINA. POSTREMO corrector oblongi.

679. CONSEQUIAE QUOQUE IAM RERUM EX ORDINE CERTO. Veronensis editio *Consequae*, nescio unde, sed paulo melius; Brixiensis *Consequitur*. Itali et Marullus *Consequa natura est*, Avantius *Consequitur quodquest*, Wakefieldus *Consequiae quodque est;* omnes pessime, sed singuli suos admiratores nacti. olim dixi in Rhenano museo VI p. 120 scribendum esse CONSEQUË *quoque iam* REDEUNT *ex ordine certo*. simillimum huic adverbium *adsecue* ostendi ibidem in his elegantissimis Plauti versibus, quos ex Astraba servavit Varro de lingua Latina VI p. 249, *Ne sequere adsequë, Polybadisce. meam spem cupio consequi: Sequor hercle eam* (*herclem* Florentinus) *quidem, nam libenter mea sperata consequor*. neque aliter idem Plautus in Asinaria I, 1, 62 *Volo amori obsecuum illius, volo amet me patrem;* ubi libri habent *obsecutum*, et peius Nonius p. 501, 9 *amari obsecutam*. minus certum est, sed veri simile, in Captivis II, 3, 58 *obsequë* addendum esse ita, *Mi obsequë obsequiosus semper fuisti. di, vostram fidem*. similiter in Trinummo 1118 Ritschelius *Quod ago subit, adsecue sequitur*. porro *consequa paginae parte* et *subsequa probatione* ex Apollinari Sidonio atque Orosio in lexica relata sunt. praeterea apud Apuleium *consecuus* adiectivum bis scriptum esse (ut hic *consequie*) *consequius*, olim indicavi; quod sibi neglegendum ratus Hildebrandus altero loco p. 366 imperitissime disputavit, altero p. 921 nihil dixit, quamvis necesse esset. nam in metamorph. V p. 364 *evectionis appendix miseranda et per nubilas plagas penduli comitatus extrema consequia* cur adiective dici non potuerit nequaquam apparet. item in X p. 712, ubi scriptum est *spretis luculentis suis vehiculis ac posthabitis decoris reda-*

Digitized by Google

rum carpentis, quae partim contecta partim revelata frustra novissimis trahebantur consequiis, qui tot eiusdem vocis exempla consideraverit, novissima carpenta illorum decoratorum consecua, hoc est illa decorata ante novissima fuisse intelleget. haec autem adiectiva et adverbia a bonis scriptoribus syllabis divisis prolata esse tum ipsa regula exposita ac fortasse nondum satis recte circumscripta demonstravi. omnis autem huius observationis prima stamina sunt in quadam Bentleii disputatione, quam Phaedri libro primo in fine appositam Wakefieldus et Forbiger numquam legisse cognoscuntur, cum in libro tertio Lucretii 648 sine ulla dubitatione commentum Italorum in omnia exemplaria typis expressa illatum probant, quamvis Bentleius *cum* praepositione abiecta legendum docuisset *Corpore reliqüo*, quod ita scriptum in membranis Vossianis extare testor. hic igitur comicos veteres, item Lucretium et Phaedrum, *relicuom* quattuor syllabis extulisse ostendit, negavit autem eo Vergilium Horatium Tibullum Propertium umquam usos esse. potuit addere Ovidium, Gratium, Germanicum, Priapeorum poëtas, opuscula Maroniana, Columellam, Senecam, Calpurnium, Lucanum, Valerium Flaccum. sed quod Martialem ac Iuvenalem primos *relicum* dixisse existimavit, non satis attendit Persium eo quater usum esse, Silium multo saepius, Statium ter: habet etiam Sulpicia Caleni. at epitomator Iliados non potuit scribere 895 *Atropos hunc circum stabat reliquaeque sorores*, potuit *rigidaeque sorores;* quamquam exemplaria tam mirifice variant, ut de hoc versu adhuc nihil constitui possit. nec Manilio convenire puto quod est in II, 734, *Dimidia, reliquis tribuatur ut ordine signis:* et tamen video Friderico Iacobo hunc versum probari, quem Bentleius reiecerat. *relicüae* autem numquam dictae sunt, quamvis ita scripsisse veteres dicat Papirianus in sylloge Putschii p. 2290. *relicuum* Vaticanus codex Sallustii in oratione Macri §. 1. *reliqüei* est in lege Iulia municipali 151; scilicet ut *pequdes pequs pequnia pequlatus*, item in lege Thoria 25 *oqupatum* et 101 *persequtio*. *reliquuos* per duo *u* dubitari non potest quin extet in Ciceronis de re publica libro I, 35, ubi Maius dedit *exi*guuos, *g* litterae non nisi vestigium breve manere testatus: apparet enim scribendum esse *reliquuos sustentari unius optimi et summi viri diligentia*. scripturae mutabi-

Digitized by Google

litas apud Charisium p. 177 apparet in verbis Aspri. is enim de Sallustiano, quod est *Ceterum consilium est Tigranis*, ita quaesivisse dicitur, *Ceterum quomodo positum est? pro alioquin? alioquin* (hoc enim bis scribendum est) *consilium est. an pro relicuum, ut sit nomen? relicum consilium est*. quae Lindemannus ita distinxit ut intellegi non possint. est autem Oscorum *u* consonantem facere pro vocali, qui dixerunt *Capvam et Pacvium;* quod Theodorus Mommsenius nuper docuit. itaque Varro *Pacvium* in suis de lingua Latina libris (sic fere semper Florentinus) et in epigrammate quod est apud Nonium p. 88, 4, *Pacvi* (libri *Pacuvius*) *discipulus dicor, porro is fuit Enni, Enniu' musarum: Pompilius clueor*. eodem pertinet *Vesvius* mons, qui a nullo poëtarum dictus est *Vesuvius*, quod nomen fuit ex omnibus brevibus. ac posterior aetas etiam *supervaqua* et *supervacum* dixit. iam *relicuo* simillimum est *delicuum*, quod legebat in Casina Plauti II, 2, 33 Varro de lingua Latina VII p. 384 et habet vetus codex, alii minus boni *deliquium*, Paulus diaconus p. 56 *deliqüum* sive *deliquium*. his igitur ea quae eidem regulae subiacent paria sunt, *ingenuus perpetuus, adsiduus residuus exiguus ambiguus praecipuus succiduus perspicuus continuus contiguus*. discrepant primum quibus *prod* et *indu* praeponuntur, *prodigus indigus*, ad quorum exemplum recentiores fecerunt *disgregus, segregus*, cum antiquissimi *prodiguas hostias* dixissent, quod est apud Festum p. 250, 9; deinde in quibus incorrupta est media simplicis syllaba cum vocali sua praeter *e*, *congradus, invidus providus dividus* (sic recte a *dividendo* Accius apud Nonium p. 95, 25) *perfidus obvius, dissonus interpolus subdolus commodus reprobus praecoqus reloqus* (hoc enim lexicis inferendum est ex Varrone de lingua Latina VI p. 233, *Hinc dicuntur eloquium ac reloqui in fanis Sabinis e cella dei quei loquuntur*, ubi Florentinus *ac reliqui* et *qui eloquuntur*), *profugus congruus superfluus* (quamquam *profluvius* quoque est, ut *adluvius* et *oblivius*, de quo dixi in museo Rhenano novo, a. 1845 p. 611): sed *confragus* a *frangendo* neque anticum est nec, puto, recte factum. non pertinent autem huc quae sine praepositione non minus integra manent, *subcavus pervagus conscius, supervacuus inriguus;* quo *dividuus* referendum puto, quod plerique ita dixerunt, scilicet a *viduo* similiter deduc-

Digitized by Google

tum ut *dimidium* a *medio*. supersunt *prospica ac despica* Naevii, quae Nonius p. 155, 24 interpretatur intenta et contempta: haec, nisi forte substantiva feminina sunt ex eo genere de quo dixi ad librum II, 1116, non magis capio quam *accubuo* Plauti in Truculento II, 4, 67, quod mihi videtur esse *accubio*.

684. PARTITE IN PARTIS. Corrector oblongi *Partit* ET *in partis*.

689. NAM MEDIO CURSU FLATUS AQUILONIS ET AUSTRI DISTINET AEQUATO CAELUM DISCRIMINE METAS. Quadratus *Destinet*. Creechius haec ita interpretatur, 'Nam septentrionem et meridiem versus caelum metas (solstitium et brumam, seu circulum cancri et circulum capricorni) aequali spatio distinet.' ego neque intellego cur eae caeli partes, a quibus aquilo et auster oriuntur, eorum ventorum *flatus metae* dicantur (nam una meta non determinat rigorem sive limitem, hoc est uno puncto non definitur linea), neque septentrionem et meridiem aequo discrimine caelum *cursu medio*, sed a medio sui, *distinet*, nec denique aequinoctium per solstitium et brumam efficitur. itaque haec rectius ad solem referemus, qui *medio cursu*, hoc est in illo anni nodo, *flatus aquilonis et austri Distinet*, dierum ac noctium *aequato caelum discrimine* METANS, hoc est caeli spatia emetiens.

692. 693. ANNUA SOL IN QUO CONTUDIT TEMPORA SERPENS, OBLIQUO TERRAS ET CAELUM LUMINE LUSTRANS. Hic Brixiensis editio et Marullus *contundit tempora*, duro loquendi genere et quantum scio inaudito: certe Lucretius supra aliter dixit 619, *Annua sol in quo consumit tempora cursu*. hic commodissimum erit *Annua sol in quo* signifero orbe CONCLUDIT *tempora serpens*. sed hoc ipsum *serpens*, cui statim succedit *lustrans*, non magis placere debet quam supra 524 quod Wakefieldus probabat, *euntes*, *pascentes*. sed multo minus ferri potest *obliquum* solis *lumen*, quo ille, dum per signiferum procedit, terras et caelum lustrare dicitur: nam via solis obliqua est, totus obliquus zodiacus, lumen solis nequaquam semper obliquum est. hoc igitur versu traiciendo facillime procurabimus, ita. *Propter signiferi posituram totius orbis* OBLIQUI, *terras et caelum lumine lustrans Annua sol in quo concludit tempora serpens*.

Digitized by Google

700. RADIATUM INSIGNE DICI. Itali et impressi DIEI.

705. SOLIS RADIIS PERCULSA. Lambinus primus PERCUSSA: 'et ita', inquit, 'habent libri aliquot manu scripti.'

706. INQUE DIES MAGIS LUMEN CONVERTERE NOBIS AD SPECIEM. Antonius Marii *magis hoc lumen*. praestat *magis* ID *lumen*, quo solis radiis percussa nitet. non tam proprie ac prope ambigue Marullus *maius lumen:* non enim *maius ad speciem* fit lumen, sed magis *ad speciem convertitur*, hoc est ad aciem, ut paulo post 724 *Ad speciem vertit nobis oculosque patentis*.

708. PLENO BENENO LUMINE FULSIT. Corrector oblongi *pleno* BENE *lumine*. idem in eodem versu *Donec*, cum a prima manu esset *Doneque:* quadratus hic ut alibi *Donique*. sic paulo post 723 uterque, ubi utriusque corrector fecit *Denique*. tum versu 731 oblongus prima manu *Deneque*.

711. PROPIUS TAM. Itali et Marullus IAM.

713. ESSE PILAE. Corrector oblongi PILAI.

720. VERSARIQUE POTEST GLOBUS UT, SI FORTE, PILAI. *Si forte* ceterae orationi interpositum Lucretiano dicendi generi parum accommodatum est. Antonius Marii primum scripsit *ut sit*, deinde delevit *t* et fecit in versu proximo *ex parte it*, ubi oblongus prima manu *parti*, a correctore *parte* ut quadratus. Antonio prudentior Ianus Dousa filius ad Catullum capite IV p. 29 'lego *sit*' inquit, *globus ut* SIT *forte pilai;* quod cum Wakefieldus minus necessarium esse dixisset, Forbiger, qui per se numquam sapit, nulla mentione dignatus est.

727. UT BABYLONIS A CHALDEUM DOCTRINA. Itali et Marullus BABYLONICA. *Chaldeam* corrector oblongi, Antonius Marii, olim impressi, Marullus: *Chaldaeum* Avantius, quod recte probavit Dousa, Babylonicam Chaldaeorum doctrinam ad Berosum referens, qui lunam fecit ἡμίπυρον. *Pelasgum* genetivo casu positum fefellit, quod miror, Merkelium in his Ovidii, tristium II, 403, *Quid generum Peliae, quid Thesea, quidve Pelasgum Iliacam tetigit qui pede primus humum?*

730. HOC ILIO. Librarius quadrati veterem errorem primus correxit, ex *i*, quod iam scripserat, *l* facto, ILLO.

733. ABORISCI QUEQUE CREATA. Corrector quadrati *abolisci*, Marullus *abolesci*, quasi haec illo usitatiora essent. Brixiensis editor *aboriri*, quomodo scriptum extat in libro

Digitized by Google

III, 155. ego, quoniam Latina verba sunt *ulcisci pacisci proficisci comminisci nancisci expergisci apisci implicisci fatisci defetisci frunisci*, de *aborisci* expectabo iudicium doctiorum.

736. ORDINE CUM TAM CERTO MULTA CREARI. Itali *cum videas;* quod ipsum Brixiensis editor exprimere voluisse videtur, cum dedit *cum vitam certo*. sed potius est ut poëtam ipsum sequamur, qui dixit paulo post 750 *Cum fieri* POSSINT *tam certo tempore multa*.

737. IT VER ET VENUS, ET VENERIS PRENUNTIUS ANTE PENNATUS GRADITUR ZEPHYRI VESTIGIA PROPTER. Quadratus *zepyri*. sibilis digni sunt qui haec tamquam pulcherrima admirantur. his nescio quis *pennatus praenuntius Veneris* (ex Amorum grege, ut aiunt) *propter zephyri vestigia* praeire ver et Venerem videtur, hoc est, nisi fallor, aequare passibus gradientem zephyrum; quae si aut a pantomimis aut a pictoribus repraesententur, non veris sed Veneris adventum referent. itaque Bentleius verissime *It ver et Venus et* VERIS *praenuntius*, itemque diu ante eum Marullus verissime *praenuntius ante Pennatus graditur* ZEPHYRUS. hos autem pone subsequens Flora mater floribus propter euntium pedes praesparsis totam viam opplere fingitur.

742. PULVERUNTA CERES ETESIA FLABRA AQUILONUM. Corrector oblongi, item Antonius Marii et olim impressi, mire *Polluerunt aceres*. Marullus PULVERULENTA *Ceres* ET *etesia*.

743. EUHIUS EUĀ. *Euhius* oblongus, quadratus *aeuius*. tum idem *euā*, oblongus *aeuom o* in *a* mutato, *aeuam*. interadspirationem, quam in εὐᾶν grammatici Graeci agnoscunt, membranae nostrae in hoc non habent. ad Horatii carminum librum II, 11, ubi Vanderburgius et Orellius tacent, Cruquius ita. '*Euius*. sic inveni in Bland. vetustiss. sed a sciolo supraposita nota aspirationis. alii omnes habent *Euhius*'. in Iuvenalis satira VII, 62 Pithoeanus *satur est cum dicit Oratius euhoe*. *Euhius Euchius Euchios* exemplaria Columellae X, 424, *euhoe* et *euhan euhium* Charisii p. 214, *Euhan* in versu Maecenatis apud Putschium p. 2694, Aeneïs Medicea libro VI, 517 *euhanthis*, Porphyrius in Syringe, definito litterarum numero, *hewantes;* quibus simillima sunt quae in Pauli ad Philippenses epistula IV, 2 habent libri Latini antiquissimi, *Euhodiam* et *Euvodiam*. alia Wagnerus demonstravit in orthographia Vergiliana

Digitized by Google

p. 435. *Euhenus*, nescio quam recte, in Hygini fab. 13 34 162 242.

745. FULMINE POLLENS. Quadratus *polle*. apud Isidorum orig. XIII, 11 Lindemannus dedit *terrens* ex Guelferbytano codice.

747. REDIT HIEMPS SEQUITUR CREDITANS HANC DENTIBUS ALGI. Quadratus *hiems*. deinde idem *hanc:* ceteri cum oblongo *ac*, quod legitimum verborum ordinem pervertit. CREPITANS Itali. tum, quoniam *algi* non potest ferri, tutissimum est scribere ALGOR, quo poëta in III, 623 usus est. *algus* Lambinus; cuius formae auctor nullus extat nisi Priscianus p. 699, qui exemplum accusativi Plautinum adfert: ablativi multo plura sunt. Wakefieldus *algu*, verba Charisio p. 23 adficta secutus, quae sunt apud Putschium haec, *hoc algu* τὸ κρύος, quorum nihil in codice esse Lindemannus docuit p. 19. in versus initio omnes Italos imitati sunt, qui fecerunt *Tandem bruma nives adfert pigrumque rigorem Reddit;* quod neque intellego, neque, si intellegerem, verbum ignaviter additum probarem. poëta ut ante dixit *It ver, autumnus adit*, ita hic videtur scripsisse PRODIT *hiemps*.

750. CUM FLERI POSSINT. Marullus FIERI.

753. TERRAM SECLUDERE POSSIS LUMINE. Lambinus, quod scio, primus, et quidem tacite, SOLIS *Lumine*.

756. TEMPORE EADEM. Mox 765 EODEM.

761. ATQUE PERIRI. Itali et Marullus PERIRE. Wakefieldus absurde *pariri*, id est creari.

764. 771. CONI PERIABITUR UMBRAS. Quadratus *cō*. PERLABITUR Itali, Brixiensis editor, Marullus. hunc versum, quo loco iteratur, Lambinus delevit primus.

768. SI FULGET LUNA. Immo *si* FULGIT, ut recte Lambinus et Gifanius, quia hic poëta nusquam videtur dixisse *fulgeo fulges*. nam neque supra 570 *loca fulgent* ferri posse vidimus, neque in II, 27 *argento fulget:* de libri autem VI versu 213 in loco agemus. itaque ne *refulget* quidem probandum quisquam ducet, quod per se non suspiciosum extat in libro II, 800. ceterum imperite Seneca naturalium quaestionum II, 56 veteres *ad significandam hanc e nubibus subitae lucis eruptionem media syllaba correpta fulgere* dixisse refert: dixerunt enim ita de fulgore quocumque cum veteres, tum doctior Seneca Valerius Flaccus in VIII, 284 *tot fulgere taedas*.

Digitized by Google

776. QUOVE MODO OFFECTO LUMINE OBIRE. Itali et Marullus addiderunt *valeant* parum observata structurae ratione. multo rectius POSSENT Brixiensis editio.

782. TOLLERET INCERTIS CREDUNT COMMITTERE VENTIS. Marullus *Tollere et incertis tendat;* recte ET, sed pessime *tendat*. Lambinus cum vidisset 'sententiam postulare verbum numeri singul. praeteriti temporis, optativi modi', nihil moratus scripsit *tentarit credere ventis;* qui nisi nimis festinasset, poterat ei in mentem venire verbi notissimi, quod ceteros post eum fefellisse minus miror. est enim scribendum *et incertis* CRERINT (nam pluralis numerus magis est ex usu Lucretii) *committere ventis;* de quo post Varronem et ceteros nihil habeo dicere. quis vero credere vel iuranti potest Wakefieldum probasse quod membranae habent, *credunt?* 'quinam?' inquit: 'philosophi scilicet.' Forbiger autem foedum nescio cuius commentum ab Orellio petiit, *creduint committere;* quod ei pulcherrimum videtur et propter synizesin monstruosam et propter significationem a vocabulo alienissimam: dicitur enim esse id quod est *ausa fuerint*. mihi ad haec illa veteris comici exclamare licet, quae sunt in Varronis de lingua Latina v p. 68, *Hui, victrix Venu', videsne haec?* Orellius tamen postea, cum eclogas poëtarum Latinorum iterum ederet anno 1833, *crerint* scribendum vidit; quod et ego ignorabam et Madvicus apud Henrichsenium de Gottorpiensi codice p. 36.

784. CAMPUSQUE PER OMNIS. Corrector oblongi CAMPOSQUE.

790. VILGULTAQUE. Correctores antiquissimi VIRGULTAQUE.

799. SI TUS SUNT. Corrector oblongi TUM.

800. ET MAIORE. Marullus MAIORA.

802. OVA RELIQUEBANT. Corrector oblongi RELINQUEBANT.

805. TUM TIBI TERRA DEDIT PRIMUM MORTALIA SAECLA. Non *primum* tum, sed *Principio genus alituum variasque volucres* ediderat, nunc vero multo plura PASSIM.

808. UTERI TERRAM RADICIBUS APTI. Ita membranae et Veronensis editio, neque aliter in Lactantii institutionum II, 11, 9 exemplaria olim impressa et inter nostros Erfurtensis codex, cum in Everzclusanis sit *terra*. quartus

Digitized by Google

casus rectissime positus est: nam *uteri terram radicibus apti* sunt terram adepti vel nacti, in qua radices suas ponerent. *aptum* eo modo cum accusativis iunctum Attii Pacuvii Lucilii versibus allatis Nonius tuetur p. 234, 22, itaque *mortem aptus* Plautus, Terentius *Deorum vitam apti sumus*. *uteros terrae cohaerentes* dicit Censorinus p. 11, 9, cuius verba subieci. *Nec longe secus Epicurus: is enim credidit limo calefacto uteros nescio quos radicibus terrae cohaerentes primum increvisse et infantibus ex se editis ingenitum lactis umorem natura ministrante praebuisse*. hinc Creechius et alii, probato quod Brixiensis editor et Avantius dederant *terrae*, *terrae radicibus aptos* ita intellexerunt quasi uteri illi radicibus suis *e terra* apti fuissent; quod ipsum Antonius Marii et Marullus voluisse videntur, cum scripserunt *terrae in radicibus apti*. sed eo modo hoc nomen quod est *aptus* dandi casum adiectum pati exemplis docendum erat, non optandum et fingendum. Wakefieldus *Crescebant uterei terrâ*, *radicibus aptei*, quod ille castissimum dicit, ego ne intellego quidem.

809. Quos ubi tempore maturo pate fecerat aestas Infantum. Inepte Marullus *aetas*, quod et otiosum est neque ad proxima facit. scribendum est aestus *Infantum, fugiens umorem aurasque petessens*. hunc *aestum* poëta paulo ante *calorem* dixerat versu 806.

812. Ut sucum. Antonius Marii et Marullus Et.

823. atque anima —— fudit Omne, quod in magni bacchatur montibus passim, Aeriaeque simul volucres. Corrector oblongi, Antonius Marii, Brixiensis editio, *animas*: Marullus recte animal. deinde Antonius et Brixiensis *in* magnis. Aeriasque primus Marullus.

833. Porro aliut crescit et contemptibus exit. *Contentibus* quadratus et hic et infra 1278; ubi legitur *Porro aliut succedit*, et ibidem 1275 *aurum in summum successit honorem*. hic aliquis scribendum suspicetur *succrescit*: certe *concrescit* Marulli absurdum est neque probari debuit. sed quoniam hic ea quae altero loco secuntur subiuncta non sunt, ad sententiam complendam aptius est clarescit. sic infra 1456 *Namque alid ex alio clarescere conveniebat*, ubi quadratus *crescere*. e Marullus addendum vidit.

836. Quod potuit, nequeat. Coniunctivo locus

Digitized by Google

non est in re quam certissimam esse poëta demonstrat. Bentleius *Quod tulit, ut nequeat;* ubi Forbiger superbo iudicio 'sine causa'. hoc contempto formabimus leniter, *Quod* POTE UTI *nequeat, possit quod non tulit ante*. uti nequeat ferre quod *pote;* sine verbo substantivo, ut in III, 1079 *Nec devitari letum pote, quin obeamus*. ita *suave* in primis libri secundi versibus, *mirum* in II, 87 338 V, 1238 VI, 130, scilicet adiectiva neutri generis.

838. MIRA FACIT MEMBRISQUE COORTA. Oblongus prima manu *membris quoque*. Itali et Brixiensis *mira* FACIE.

839. ANDROGYNEM INTER UTRAS NEC UTRAMQUE UTRUMQUE REMOTUM. Oblongus et Antonius Marii (non olim impressi) *nec utramque ut utrumque*. quadratus *remoti*. ab hoc versu arcendi sunt critici, qui poëtae artem vituperare quam suam discere maluerunt. Wakefieldo 'res monstrosas versu monstroso vividius effingere' voluisse videtur: Orellius 'versum e Graeco fonte haud nimis feliciter detortum' censet. itaque hi, cum Marullus recte ANDROGYNUM scripsisset, probant *androgynem*, quod barbarum est, quia prima declinatio accusativum tertiae respuit. certe hoc de appellativis constat. propriorum accusativos ante vocales positos ex veteribus poëtis collegi hos inter se diversos. *Saurean* Asinar. I, 1, 72. *Apoeciden* Epidico III, 2, 22. *Carneaden* Lucilius apud Lactantium instit. V, 14, 3. *Sosiam* Amphitr. I, 1, 217. *Pterelam* Amphitr. I, 1, 259. *Chaeream* Eunucho III, 4, 2. *Cresphontem* Ennius, ad Herennium II, 38. *Theuropidem* (Θεωρωπίδην, nisi fallor) Mostellar. IV, 2, 46. *Callidemidem* Hecyra III, 4, 18. *Calchan* e Pacuvio et Plauto Charisius p. 50: *Chremem* Phormione V, 2, 70. in extremo versu optime Brixiensis et Naugerius UTRIMQUE *remotum;* cui simile est in Horatii epistularum I, 18, 9 *medium et utrimque reductum*. supersunt his interiecta *inter utras nec utramque*. ex his *inter utras* nullam sententiam includere potest nisi in suspensa oratione. in Sticho Plauti V, 4, 51 *neuter utri invidet* nec sensum implet nec versum, ut scribendum videatur *neuter alteri*. suspenditur autem hoc pronomen in condicionalibus, ut *si uter volet, sive quem* (hoc est *aliquem*) *ad utrum eorum ius erit*, aut in relativis, *non uter peccat tollit analogias, sed uter recte dicit confirmat*. et mire addito ipso relativo *quod utrum* posuit quasi ἐκ παραλλήλου Gellius in Atticarum noctium XVII, 6 *quod utrum*

Digitized by Google

ergo videbitur cuique verius, eo utatur. item Paulus mire, participio usus in condicione, in l. 1 D. de divort. XXIV, 2 *Dirimitur matrimonium divortio morte captivitate vel alia contingente servitute utrius eorum:* vult enim dicere *si utrius eorum contigerit servitus*. quod siquis *inter utras* ita interpretabitur ut dicat esse *utrasque*, errabit. hoc enim modo non veteres, ut Drakenborchio ad Livii XXVI, 39, 23 visum est, locuti sunt, sed aut recentiores aut nemo. itaque Paulus in l. 34 pr. D. de o. et a. XLIV, 7 scripsisse fertur *et ideo possunt utrae competere:* nemo credit Varronis esse de lingua Latina libro IX p. 477 *sic utra esse apud nos*, aut Vellei Paterculi *aliorum utrius ordinis virorum* in II, 34, 3. sed in Lucretio nullis opus est ambagibus: ipsum enim illud femininum vocabulorum genus hic vitium esse ostendit: *naturas* enim *utras* et *naturam utramque* extrinsecus inferre Wakefieldo et Orellio licet, non sano interpreti nobis, post ea quae disputata sunt ad librum II, 518, obscurum esse non potest poëtam dicere *Androgynum* INTERUTRAQUE esse, hoc est in medio spatio eorum quae in eius nomine continentur positum. restat *nec utram* (nam *que*, quod his adhaeret, traiecimus): sed masculino genere opus est, *nec* UTRUM, hoc est *et neutrum*. est enim eis quae supra de hoc pronomine quod est *uter* diximus addendum, posse ei *neque* praemitti ita ut his coniunctis et conectendi vis insit et negandi de utroque. sic ipse Lucretius in IV, 1217 *Et neque utrum superavit eorum nec superatumst*. Gellius libro II, 4 *cum accusator et reus duae res quasi cognatae coniunctaeque sint, neque utra sine altera constare possit*. Paulus in l. 132 D. de v. s. L, 16 *et consuetudo loquendi id ita esse declarat, ante diem decimum kalendarum, post diem decimum kalendarum: neque utro enim sermone undecim dies significantur*. apud Martialem in V, 20 Schneidewinus *Nunc vivit nec uter sibi;* quod si verum est, intellegendum est ita, *ne alteruter quidem*. Asconius ad Milonianam p. 42, 13 Bait. *sed ita constitit ut diximus, nec utrius* (*nec utriusque* libri) *consilio pugnatum esse eo die, verum et* (libri *ei*) *forte occurrisse et ex* (libri *ex ea*) *rixa servorum tandem ad caedem perventum*. Hyginus de limitibus p. 109, 1 videtur scripsisse *ut neque ab utro possessore tangatur:* libri *ut ne ab utroque*.

841. MULTA SINE ORE. Egregie Naugerius MUTA *sine*

Digitized by Google

ore etiam, sine voltu caeca reperta: hoc enim ingenio Lucretii unice convenit.

844. NEC SUMERE QUOD VOLET USUS. Recte Lambinus *quod* FORET *usus*, ut in IV, 831 *facere, ad vitam quae foret usus*.

846. ABSERRUIT AUCTUM. Quadratus *abseruit*. Itali et Veronensis editio ABSTERRUIT. in IV, 1234 *Nec divina satum genitalem numina cuiquam Absterrent*, et 1064 *pabula amoris Absterrere sibi*.

850. PROCLUDERE SAECLA. Itali et Brixiensis editor PROCUDERE. sic paulo post membranae 856 *procudere prolem*, et in II, 1115 *ignem ignes procudunt aëraque aër*, in III, 1081 *Nec nova vivendo procuditur ulla voluptas*. est enim *procudere* cudendo et ictibus crebris extendere atque producere in longius spatium.

851—854. PABULA PRIMUNT UT SINT, GENITALIA DEINDE PER ARTUS SEMINA QUA POSSIS MEMBRIS MANARE REMISSIS, FEMINAQUE UT MARIUS CONIUNGI POSSIS HABERE MUTUA QUI METUENT INTER SE GAUDIA UTERQUE. Quadratus *Pabula primum sint*, tum *per atus*, oblongus prima manu *manere remissis*. corrector oblongi PRIMUM *ut sint:* idem *Semina qua* POSSINT, et *coniungi* POSSIT. ad haec Itali et Brixiensis editor *Feminaque ut* MARIBUS. cetera qui hos insecuti sunt tam perverse administrarunt, ut Lucretium numquam legisse videantur: adeo et orationis structuram neglegunt et ea quae in libro quarto exposita sunt ignorant. at nihil facilius erat quam veram poëtae manum certissima ratione restituere; quod faciemus ita scribendo. *Pabula primum ut sint, genitalia deinde per artus Semina qua possint membris manare* REMISSA. sic, inquam, *remissa membris semina*, ut in IV, 1041 *semen suis eiectum sedibus*, ac similiter *membris* saepe, ut in III, 346 V, 789 IV, 1031 1261. porro *Feminaque ut maribus coniungi possit* AVERE, *Mutua*Q. INSINUENT *inter se gaudia uterque*. de qua communi voluptate poëta multis agit in IV, 1195.

859. GENUS ID TUTA RESERVANS. Brixiensis editor et Marullus TUTATA.

863. ET FUGA CERVOS. Sic quadratus et Avantius: *ut fuga* oblongus, Antonius Marii, olim impressi, Marullus.

Digitized by Google

865. VETERI NON SEMINE PARTUM. Apud Nonium p. 13, 11 VETERINO *semine parturiendi*.

866. ET BUGERA SAECLA. In VI, 1245 BUCERA.

868. PACEMQUE SECUTAE. Hoc suo more tuentur Wakefieldus et Forbiger. vere Lambinus SECUTA.

871. NI HORUM. Quadratus *in horum:* NIL *horum* Marullus.

873. QUARI PATEREMUR. Itali et Brixiensis editio QUARE.

880. POTESTAS HINC ILLINC PAR VIS UT NON SIT, PARS ESSE POTISSIT. Quadratus *non sat pars*. haec verba, quae posui, inter sese coniungenda esse manifestum est, quamvis interpretes vel Centauros, vel qui cum Marullo *Esse queat* scripserunt omne hoc monstrorum genus, nescio quomodo fecerint *potestatem*, hoc est ΔΎΝΑΜΙΝ, *ex membris alienigenis compactam*. nunc ea de quibus agimus ut obscura non sunt, ita ex hac verborum abundantia quid tolli debeat vix certo dici potest. itaque quoniam res ad divinationem redit et aliquid hoc poëta dignum temptandum est, suspicor eum haec scripsisse, *potestas Hinc illinc* PARTIS *ut* SI PAR *esse potissit;* ut membra hinc inde parta negaret pari potestate esse posse. *potissit* autem, nisi fallor, coniunctim rectius scribemus, quia in senatus consulto de Bacchanalibus facto scriptum est *ubei facilumed gnoscier potisit*, non *potis siet:* et huic similia sunt *potisset* in praeterito, quod numquam scribitur *potesset*, et *potisse* infinite positum a Lucilio, si Nonii codicibus constat fides p. 445, 31. ab his diversa sunt *potis sum*, *potis es*, *potis est*, *potin est*, *potis sunt*, *pótis sis* in Poenulo Plauti IV, 2, 53, *poti' sint* apud Varronem rerum rusticarum libro II, 2, 1, *potis siem* in Mercatore II, 2, 59: sed *potis esse* et *potis esset* aut numquam legi aut non memini.

884. PUER HAUT QUAMQUAM: NAM SAEPE. *Nam* quadratus: oblongo et olim impressis abest. itaque Antonius Marii *haud ita quanquam*, Marullus *haud quaquam*, *quin*. sed QUAQUAM ante Marullum impressi.

885. LAETANTIA QUAERET. Marullus LACTANTIA, fortasse non primus. idem primus *quaerit;* quod non aeque certum duco, quia futuro tempore satis apte dicitur id quod forte aliquando contingat, non semper.

888. PUERILI AEVO FLORENTA IUVENTAS OFFICIT.

Digitized by Google

Itali FLORENTE, Marullus OCCIPIT, Avantius PUERIS; quibus nihil aut verius excogitari potest aut pulchrius.

890. SEMINE EQUORUM. Apud Nonium p. 13, 13 *quorum*, et *torte homine veterino*.

892. RAPIDIS CANIBUS. Nicolaus Heinsius ad Sabini epistulam I, 35 RABIDIS, quod nulla causa erat cur Forbiger hic magis probaret quam in IV, 712. idem Heinsius paulo post *Inter se quorum dissortia membra videmus*. sed hoc vocabulo pauci scriptores usi sunt, et ipse Heinsius ad Ovidii metam. VIII, 133 ex Columellae libro VI, 36, 2 ea attulit quae ad *membra discordia* tuenda sufficiant. ibi haec sunt de mularum genere educando. *Equam convenit —— membris fortibus patientissimam laboris eligere, ut discordantem utero suo generis alieni stirpem insitam facile recipiat ac perferat.*

896. NEQUE PROFICIUNT AETATE SENECTA. *Perficiunt* Wakefieldus, Eichstadius, Forbiger, absurde de senibus. bene Turnebus adversariorum XIV, 23 *neque* PROICIUNT.

901. FLAMMA QUIDEM CUM CORPORA FULVA LEONUM TAM SOLEAT TORRERE. *Iam soleat* oblongus et olim impressi, vitiose. versum pede truncatum variis modis curarunt. Antonius Marii *Ardua flamma quidem*, Brixiensis editor *Ignia* (*Ignea* Avantius) *flamma*, Marullus *Flamma quidem vero* e libro II, 652 et e I, 1001. mihi ceteris optime subici videtur DENIQUE *flamma quidem*.

904. UT UNAM. Brixiensis editor et Marullus UNA. versum proximum sine poëtae nomine habent Hyginus fabula 57, Hieronymus volum. I p. 945 edit. Vallarsii, Isidorus orig. I, 39: Hyginus iterum fab. 151 *media ipsa Chimaera*. oblongus et Antonius Marii *medio*, *media* quadratus et olim impressi. *Cimaera* hic uterque codex, *Aceruntis* oblongus in VI, 763, uterque *stomaco* in VI, 1169. in libro II, 705 oblongus *chimeras*, quadratus *chimmeras*. Graeca haec nos hodie scribimus curiosius quam veteres ullo tempore dixerunt.

906. ORE FERAS ACREM FLARE. Itali FLARET: FORAS primus Naugerius.

910. MULTA LICET. Apud Nonium p. 103, 28 *Mata licet similis*.

913. AUT HOMINE TANTO. Recte HOMINEM in scholiis ad Statii Thebaidos VII, 585. ibidem *ex* pro *esse*.

Digitized by Google

914. PEDUM NISUS UT PONDERE POSSET. Corrector quadrati et Marullus PONERE. in IV, 924 *indugredi pedemque ponere*. apud scholiasten Statii *ponere iussit*.

923. SED SI QUEQUE SUO RITU PROCEDIT. *Si* orationem turbat, cui deest nomen femininum. ergo scribendum est *Sed* VIS *quaeque suo ritu procedit*. Lambinus male *Res sic quaeque*, in quo *procedit* improprie positum est. Marulli commenta non commemorare praestat.

925. ET GENUS HUMANUM. *Et* coniunctio omnia pervertit. scribendum est AT. homines membris immanibus instructi nulli fuerunt: hoc enim nihil apparentium confirmat: at multo durius illud hominum genus fuit, ut pote ex tellure dura creatum.

928—979. FUNDATUM —— MIRARIER UMQUAM. Hos versus LII quadratus hic non habet, sed in fine post librum sextum, ut dixi ad I, 734. scilicet ante haec, si carminis versibus DCCCCXXVII annumerabimus capitulorum versus, qui sunt XXXV, inveniemus in hoc libro esse versus DCCCCLXII, qui efficiunt paginas vigenum senum versuum XXXVII. iam vero in libro superiore a versu numero 348 schedam codicis archetypi initium cepisse ex eis quae ibi ad versum 323 dixi apparet. ab illo autem versu usque ad finem libri sunt versus DCCCCXL et capitula XIX, qui sunt versus DCCCCLIX, hoc est paginae item XXXVII, in quarum ultima fuerunt versus poëtae XXIII. haec si recte disputata sunt, finis libri quarti fuit in dextra pagina, initium quinti in sinistra. sed eae non potuerunt unius schedae facies esse, quoniam eis index capitulorum interiectus erat, cui recipiendo trium modo versuum spatium vacaret. itaque statuo postremam libri quarti paginam in aversa parte aut nihil scripti habuisse aut certe nihil praeter subscriptionem eam ipsam quam oblongus exhibet, TITI LUCRETII CARI DE RERUM NATURA LIB. IIII EXPLICIT INCIPIT LIB. V. in proxima pagina dextra fuit index capitulorum, et quidem ita scriptus ut librarius XXVII titulis absolutis non ad alteram schedae faciem transierit, sed in margine et inter versus reliqua adiecerit. ea ratione factum est ut in codicibus nostris hic index capitum, qui in oblongo continetur versibus XXXIV, perturbatissime scriberetur ad hunc modum.

Digitized by Google

10 Animam et animum non posse esse sine corpore
De solis et lunae offectione
De nativitate mundi et dis
Mundum non esse ab disconpositione rerum que
stitutum in eo sunt
15 Cui pars nativa sit totum nativum esse
De centauris de sculla de terra de aqua de aere sive
anima de chimeera
32 De lune cursu
De die longo et brevi nocte
ex ida viseo solis

itaque hunc in codice archetypo vel hoc vel simillimo modo dispositum fuisse existimo.

Plus hominibus profuisse qui sapientiam invenerit
quam Cererem Liberum Herculem.
Animam nativam esse.
De mundo. 5 De lunae lumine.
De solis et lunae cursu. De anni temporibus.
Mare caelum terram interitura. De eclipsi.
10 Animam et animum non posse esse sine cor-
pore. De solis et lunae offectione. De nativitate mundi et dis-
Mundum non esse ab dis con -positione rerum que
stitutum. in eo sunt. 15 Cui pars nativa sit, totum nati-
vum esse. De centauris. De Sculla. De terra. De aqua. De aëre sive
anima. De Chimeera. De igni et sole. Non potuisse Chimeram et
De lampade et lucerna. Scyllam et similia eorum gigni.
20 De aedificiis, quem admodum Quomodo hominibus in-
intereant. nata sit deorum opinio.
Quare nata omnia dicta. Quem admodum aurum
Quare aeternitas esse possit. Et nativa esse. argentum
plumbum
25 De Phetonte solis filio. repertum sit.
Origo mundi et omnium. Quem admodum ferrum
De solis et lunae magnitudine. inventum sit.
De solis magnitudine.
De luna.
30 De calore solis.
Democriti de sole.
De lune cursu. Ex Ida viseo solis.
De die longo et brevi nocte.

930. NEC LABI CORPORIS ULLA. Oblongus prima

Digitized by Google

manu *labo*, *labi* corrector. hoc ipsum *labi* librarius quadrati exhibuit: corrector fecit *labe*.

933. CURVI MODERATOR ARARI. Antiquissimi correctores ARATRI.

934. FERRO MOLLERIER ARVA. Corrector oblongi *mollirier*. Brixiensis editor et Marullus MOLIRIER.

935. VIRGUITA. Antiquissimi correctores VIRGULTA.

937. IMBRES DEDERANT, QUOD TERRA CREARANT. *Dederat* apud Macrobium Saturn. VI, 1, itaque oblongus prima manu. deinde CREARAT Macrobius et corrector quadrati, item Antonius Florentinus. mox *placarat* apud Macrobium.

941. ARVITA. Sic iterum veteres versu 965: utroque loco corrector oblongi fecit *arbuta*. hoc nomen per *i* scriptum non videor mihi legisse: sed fortasse non satis attendi, et improbum duco talia, cum nemini noceant, tacite mutare, quod fecerunt hic editores huius poëtae universi.

944. PABULA DIRA TULIT. Hoc absurdum est, cum neque graviter olentia neque necantia neque ex humana carne petita intellegenda sint. ad rem faciunt unice *Pabula* DURA, ut scripsit Naugerius.

945. AT SEDARE SITIM. *Ad* apud Macrobium Saturn. VI, 1, quod qui aut librariorum peccatum esse dixerunt, ut Wakefieldus, aut cum Gerh. Ioh. Vossio infinitivum cum *ad* praepositione coniunctum ferendum iudicarunt, orthographiae antiquae turpiter imperiti fuerunt.

946. DECURSUS AQUAI CLARICITATI A TE SITIENTIA SAECLA FERARUM. Hic Lambino duce docti homines fere ita iudicarunt, Simeonem Bosium rectissime e vetere scriptura eruisse *Claricitat* LATE, donec nostro tempore Albertus Forbiger, Orellium tamen, nequid ipse audere videretur, hoc ante se dixisse testatus, *claricitandi* verbum 'non omni solum auctoritate destitui, sed etiam analogiae adversari', confidenter pronuntiaret; qua fortitudine scilicet ad laudem ingenii grassaretur et ad emendationem pariendam, quae ipsi 'facillima et, fere dixerit, certissima' esse visa est. ea autem est huius modi, *Ut nunc montibus e magnis decursus aquaï Claru' citat late sitientia secla ferarum*. quo commento nullum infelicius cogitari potest. nam decursus aquae neque *citat* feras, hoc est aut ad cursum instigat aut nomine appellat, neque *clarus* quomodo dicatur intellego: ipse enim

Digitized by Google

cum *clarum* esse vult 'undique e longinquo *audiendum*', feras decursum aquae, qui vix audiri potest, frustra clare audire iubet. nihilo minus hic factum est id quod dicitur, mutuum muli: nam Orellius editione altera 'bonam Forb. coni.' quam dicit 'recepit'. nos autem videamus potius de analogia. verbum est antiqui iuris publici *clarigare:* id qui saepius facit, CLARIGITAT: nam quod libri nostri *c* litteram pro *g* exhibent, attentos horum commentariorum lectores morari non debet. itaque *clarigare* et *clarigitare* tam recte dicuntur quam *gnarigare purigare* (sic Varro rerum rusticarum II, 4, 14) *purgitare fumigare remigare mitigare levigare litigare iurgare obiurgitare navigare*. *clarigationem* autem rerum repetitionem esse satis constat. itaque legatus cum clarigatum capite velato filo mittebatur, illos homines illasque res dedier exposcebat. item, quod est apud Livium in VIII, 14, Veliterni quo tempore iussi erant trans Tiberim habitare, eius qui cis Tiberim deprehensus et captus esset usque ad mille pondo assum erat clarigatio, id est repetitio; quod aes scilicet ab ipso vel a re publica Veliternorum solveretur. ad hoc exemplum (nam *clarigari aliquis* potest, quoniam *alicuius clarigatio* est) poëta dicit flumen feras e montibus, in quibus ad pabula quaerenda evagantur, quasi *clarigitare*, hoc est semper repetere et recolligere, quoniam propter sitim se ad aquam recipere coguntur.

948. DENIQUE, NOTA VAGIS, SILVESTRIA TEMPLA TENEBANT NYMPHARUM. Sententiam pervertit Marullus scribendo *noctivagi:* hoc tamen ille Wakefieldo rectius sensit, nympharum domos inepte et praeter rem dici notas esse solere hominibus circum vagantibus. sed satis est scribere VAGI, ut ipsi illi primi mortales indicentur.

949. QUIBUS E SCIBANT UMORE FLUENTA LUBRICA PROLUVIAE LARGA LAVERE UMIDA SAXA. Ita membranae, *quibus escibant;* quod cum Havercampus recte rettulisset, tamen nemo vidit litteris diiunctis scribendum esse *quibus e scibant*. olim impressi *aestibant*, Itali *exibant*, Wakefieldus *excibant*. sed *fluenta* putide ac perverse dicuntur *umore lubrica:* itaque Wakefieldus a Bentleio debuit accipere UMORI' *fluenta*, quo se homo mirus nihil umquam infelicius vidisse narrat. deinceps apud Nonium p. 504, 8 paulo rectius scriptum extat *proluvie*.

Digitized by Google

953. SCRIBANT. 959. SCIEBANT. Itali utrobique SCIBANT. at Wakefieldus, poëtam non patiens tam pure quam solet loqui, altero loco scripsit *scierant*.

962. LUGEBAT CORPORA. Quadratus *lucebat*. Itali et Brixiensis editor IUNGEBAT.

969. 970. SAETIGERISQUE PARES SUBUS SILVESTRIA MEMBRA NUDABANT TERRAE, NOCTURNO TEMPORE CAPTI. Hic omnia mira sunt. primum Itali, ne versus labaret, scripserunt *suibus*. at poëta in VI, 974 977 ita non dixit, sed *subus* utraque brevi. cur igitur hic non scripsit *Saetigerisque subus similes*? quia tota haec hominum cum suibus collatio inepta est. considera enim hanc perversam sententiarum compagem. 'feras multas' inquit 'vincebant, paucas latebris abditi vitabant, et saetigeris suibus pares humi abiecti nudabant membra.' *nudabant* vero? qui ne pellibus quidem uterentur. sed hoc incommodum Lambinus levavit recte scribendo *silvestria membra Nuda* DABANT *terrae*. manet tamen vel sic illud obtusum et plumbeum acumen, quod est in hominibus cum suibus comparandis. ergo in latebris illi, feris quas vitaverant ipsi similes, nudi prosternebantur. ut laterent, puto. immo *nocturno tempore capti:* hoc enim adicitur. atque eadem nocte illi *suibus pares* domo saxea eiciuntur *Spumigeri suis adventu validive leonis*. non potuit bonus et in arte perfectus poëta haec tam stulte coniungere. 'raro latebris vitabant feras, et suibus similes nudi et frondibus involuti iacebant nocte capti, saepe tamen suis aut leonis adventu saxeis tectis excedere cogebantur.' iam vero illud *subus pares* alio referre temptemus, scilicet ad vires et fortitudinem primorum mortalium: statim omnia rectissime procedent hoc modo. 'multas feras vincebant, paucas vitabant, cum ne saetigeris suibus quidem *et leonibus* impares essent. cum *autem* nox ingruebat, *in cavis* nudi procumbebant, donec suis aut leonis metu exterrerentur cavernis et cubilibus.' haec, inquam, bene procedunt, sed apparet orationem mancam esse: desunt enim ea quae alio scripturae genere notavi, *et leonibus, deinde autem in cavernis*. porro quonam in loco haec carmina damnum fecerint ostendit ille unius syllabae defectus post *pares subus*. neque vero deest aliud perturbationis indicium: nam post sex versus loco alieno leguntur haec,

Digitized by Google

975. MISSILIBUS SAXIS ET MAGNO PONDERE CLAVAE, quae Marullus posuit post illum versum, *Sponte sua sibi quisque valere et vivere doctus* 961, Avantius paulo commodius post illa, *Consectabantur silvestria saecla ferarum*. nunc vera defectus sede intellecta ita potius dicemus, et hunc versum *Missilibus*, eoque fortasse plures, et certe duos praeterea dimidiatos, cum casu excidissent, in inferiore paginae margine adscriptos eum a quo codicum nostrorum archetypon factum est ex parte fefellisse, ut illa versuum frusta omitteret, hunc autem, qui integer esset, non suo loco scriberet. itaque haec res ut apertior fiat, non ut cum Lucretio, summo versuum artifice, de victoria contendam, defectum supplere conabor. haec igitur, si non aptissima, saltem brevissima et ad rem maxime necessaria esse puto. *Multaque vincebant, vitabant pauca latebris, Saetigerisque pares subus* ardorique leonum *Missilibus saxis et magno pondere clavae*. Inde cavis temere abiecti *silvestria membra Nuda dabant terrae, nocturno tempore capti, Circum se foliis ac frondibus involventes*,

973. QUAEREBANT PARVIDI. Antiquissimi correctores PAVIDI.

975. DUM ROTEA FACE. Itali et Brixiensis editor ROSEA.

977. APERVIS QUOD ENIM. Corrector quadrati, item Itali et impressi, A PARVIS.

984. ELECTIQUE DOMO. Oblongus cum Veronensi editione *Et lectique*, Itali et Brixiensis EIECTIQUE.

985. SPUMIGERI SUIS ADVENTU VALIDIQUE LEONIS. Immo *validi* VE *leonis*. in IV, 1016 *pantherae morsu saevive leonis*.

989. DULCIA LINQUEBANT LAMENTIS LUMINA VITAE. Alienissimum est *lamentis*, cum de mortium multitudine agendum sit. Muretus egregie LABENTIS *lumina vitae*. Vergilii illa nota sunt, *tot iam labentibus annis, veniet lustris labentibus aetas*. Manilius II, 885 *Labentemque diem vitae tremulamque senectam*.

992. GEMITUS. Corrector oblongi GEMITU.

993. VIVA VIDENS VINO SEPELIRI VISCERA BUSTO. Itali et impressi VIVO *busto*. *viscera* autem hic non carnem dicit, sed intimas corporis non modo in uno alterove membro adesi partes. simillimo modo *viscera* in Tuscul. II, 34 dici

Digitized by Google

Davisius intellegere poterat, si Ciceronem versu tragico usum esse animadvertisset. *Spartae vero pueri ad aram sic verberibus accipiuntur, Ut múltus e visceribus sanguis exeat.*

995. SUPER VICERAT TETRA. Corrector oblongi *viscera:* ULCERA Itali et impressi.

996. ACCIBUNT VOCIBUS. Corrector oblongi ACCIBANT.

997. DENIQUE EOS VITA PRIVARANT VERMINA SAEVA. Marullus *Donec privarant*, Lambinus *Donicum privarant*. debebant scribere DONIQUE. *Donicum privarunt* nullo auctore Creechius.

1001. AEQUORA LIDEBANT NAVIS AD SAXA VIROSQUE. Corrector oblongi *ledebant*. hoc secuti sunt postea Itali et auctores editionum omnes: unus N. Heinsius in adversariis p. 118 'scripti codices *lidebant*'; cui fidem habere Wakefieldus noluit, scilicet quia Havercampi stupor id praetermiserat. iam *laedi* naves virique *ad saxa* ridicule dicuntur; nisi quod plerique Horatio idem ioculare dicendi genus adscribunt, *pendulum zona collum laedere*, carminum III, 27, 60. *lidere* autem sine praepositione Latinum vocabulum esse non facile doceri poterit: nam onomastici Latinograeci, e quo Labbaeus habet p. 107 *lido* κροΰω, tanta auctoritas esse non debet ut ex eo scriptoribus optimis et antiquissimis vocabula inaudita adfingamus. quam ob rem neque Otfrido Müllero assentior in Atilii versu, qui extat apud Varronem de lingua Latina VII p. 367, tuenti *Cape, caede, lide, come, conde;* ubi rectius alii *Lyde;* neque Scaligerum audiendum puto, qui in Diris 169, ubi erat *ludere*, voluit scribi *lidere;* in quibus versibus nihil probabile effecit Näkius, mihi aptissima videntur haec, *Et mare cum* (libri *mecum*) *tenero gavisa est laedere in herba Purpureos flores, quos insuper accumbebat, Bracchia formoso subponens Cypria collo*. itaque in versu nostro mihi vix dubitandum videtur quin Lucretius scripserit FLIGEBANT. *fligi* Attium dixisse constat: *flictu* est apud Vergilium et alios, *flictus navium* fuit in Teucro Pacuvii.

1002. NEC TEMERE IN CASSUM FRUSTRA MARE —— SAEVIDAT LEVITERQUE MINAS POTEBAS INANIS. Quadratus *in annis*. SAEVIBAT Itali et Brixiensis editor, PONEBAT Marullus. *Nec* sententiam pervertit: Lambinus, quamvis aliis adscribat, primus fecit *Sed*. aptissimum et le-

Digitized by Google

nissimum est Hic, ut in v, 432 iii, 1023. versum proximum *Nec poterat* exhibet commentator Veronensis Vergilii ad Aen. ii, 90, si recte iudicat H. Keilius, ut dixi ii, 559.

1006. Improba navigii ratio tum caeca iacebat. De hoc versu optime disputavit Alexander Theodorus Sverdsiö in Vindiciis praecepti Bentleiani p. 39, quem libellum Rigae edidit anno 1832. hic quas rationes attulit, quibus hunc versum Lucretii esse non posse ostenderet, eas et repetere et augere mei officii esse duco. primum igitur haec ordinem et cohaerentiam sententiarum perturbant, nisi certe aliquo vinculo cum cetera oratione conectantur. itaque si e libris olim impressis scribemus *cum caeca iacebat*, haec supervacanea reddemus tolerabiliora. deinde scire velim quo sensu navigatio hic *improba* dicatur: potest enim *improbum* esse aut immane, ut apud Silium in xiii, 761 in his, *vectatque capaci Agmina mole Charon, et sufficit improba puppis*, aut vile et contemptum, ut Lucilius *Omnes formosi fortes tibi, ego improbus*, aut denique scelerosum et audax; quorum siquid aut in nautas aut in naves cadit, certe a *ratione* atque inventione navigandi alienum est. nam Horatius cum *impias* dixit *rates*, non tamen *improbas* dixit, et impietatis modum taceri posse non putavit, sed addidit eas *vada non tangenda transilire*. non ita infantem novi Lucretium, ut credam eum haec tam concise et imperfecte elaturum fuisse. tum *navigii* nec forma grammatica nec significatio tam antiquo poëtae convenit; quorum utrumque is quem dixi vir doctissimus accurate exposuit. qui quod I. F. Gronovii in ecclesiasticis observatione utitur, qua is p. 272 Cervidium Scaevolam primum Marci imperatoris aetate *navigii* vocabulo in l. 122 §. 1 D. de v. o. xlv, 1 pro navigatione usum esse dicit (nam de Edicto Ulpianus fallitur et se recte corrigit in l. 1 §. 14 D. de flumin. xliii, 12), nos eundem illum Lucretianae artis aemulum lectorem, cui hic versus adscribendus est, iam aliquotiens poësis antiquae, quam adfectabat, non satis gnarum deprehendimus, velut cum dixit *qua propter* pro *igitur* i, 334, *intactus* recto casu et *aquai* dandi i, 454, *alioqui* iii, 415, *simulacra geruntur* iii, 433, *sentire sonare* iv, 229. haec igitur, ut dixi, Sverdsiövus illis prudentius tractavit, qui una vel altera littera immutata se hoc poëta dignum versiculum procudere posse existimarunt, si modo illud infaustum *ii* devi-

Digitized by Google

tassent. quanto rectius erat aut cetera argumenta considerare aut illud ipsum *ii* quibus finibus contineretur denuo quaerere! mihi paucula delibare libet, ne nimis excurram. primum Propertius non modo distractis syllabis in genetivo substantivorum casu primus, sed etiam disyllabo a recto tribrevi solus usus est, cum dixit *arma Mari* et *bene facta Mari*, *Tunc animi venere Deci*, *contudit arma Tati*, item *hasta Tati* et *ora Tati*. hoc enim nullus ceterorum imitatus est, nec facile adducor ut credam Ovidium semel *Tati* scripsisse in fastorum I, 260. in versibus scaenicis veteres his disyllabis usi sunt, sed paucissimis, *preti viti* (non *geni lani foli soli spoli gladi studi*), et post Vergilium nemo, cuius est in Sabino *volantis impetum cisi:* Phaedrus et Seneca *pretii senii*. at in versibus hexametris diversa est observatio. in Moreto, quod carmen Vergilianis aetate par esse existimo, 89 *Inde comas apii graciles*, ipse Vergilius in Aeneïdos III, 702 *Inmanisque Gela fluvii cognomine dicta:* de hoc enim versu, quem Silius XIV, 218 et Claudianus de raptu Pros. II, 58 imitati sunt, Wagnerum rectius in commentariis ad librum III iudicare censeo quam ad IX, 151, neque praetereundum est poëtam, cum dicit *campique Geloi*, *Gela*, Homeri illa exprimere, quae sunt in Β Iliados 711, παραὶ Βοιβηίδα λίμνην, Βοίβην καὶ Γλαφύρας. ante huius tempora Attius maluit *fluviae* in Oenomao, apud Nonium p. 73, 25. sed ut Vergilius, ita Gratius 18 38 *Latii*, *spatii* Germanicus 531, in plurium syllabarum vocabulis diducta genetivi forma non usi. quamquam haec fere adiectiva sunt, certe *Latium*, itemque, nisi fallor, ea quae incerto sexu sunt, *apium apius*, *fluvius fluvia:* in adiectivis autem genetivus brevior locum non habet, et observavit Hauptius ita Catullum dixisse gignendi casu *o mihi nuntii beati* 9, 5, neque quemquam *nunti*, quamvis Ciceronis sint *aquari* et *sagittari*. manet tamen *spatii;* quod si antiqui usus est, Horatius quoque et *Caprii* prima correpta et eadem producta *Capri* dixisse aut arbitrium lectorum fecisse potuit. sed ad Propertium redibo, quem minime novatorem fuisse solus, puto, Forbiger sibi persuasit: certe nemo ante hunc longius ab antiqua castitate sermonis recessit. itaque Germanicus quidem in hac re veterem consuetudinem sequitur, item Manilius, laudator Pisonis Calpurnius, Persius: contra primi, ut a Bentleio recte observatum est, Propertius et Ovidius

Digitized by Google

locuti sunt novo more, postque eos Phaedrus *iurgii*, *luscinii*, Columella in x, 182 356 *Caecilii* et *marrubii*. minus certum, puto, in Priapeo 50 *supercilii*, ubi ablativo pariter locus est: Dirae, Moretum, Gratius, epitome Iliados, Ciris, Culex, neutri parti favent. tenent novum morem Seneca, Lucanus, Petronius, Valerius Flaccus, Statius, Silius, Martialis, Iuvenalis. Propertius vero adiectivum quoque nomen breviori illa genetivi inflexione extulit, sed unum, *Nunc Iovis incipiam causas aperire Feretri*, et *Hinc Feretri dicta est ara superba Iovis*. idem qui praeter hunc ausi sint, Iuvenalem invenio, cuius est in satira VI, 385 *nominis Appi*, et Senecam, qui scripsit in Hippolyto 1022 *numen Epidauri dei*, nam fuisse qui *Satyri Tarenti* in georgicis Vergilii II, 197 et *scopulis surdior Icari*, quod est apud Horatium carm. III, 7, 21, ita acciperent quasi essent *Satyrii* et *Icarii*, neque credibile est neque dignum memoria. nuper tamen homo quidam doctus *comici versum* quem dicit Plinius in naturalis historiae XIV, 14, 16, pro Luciliano hexametro venditavit nimis secure ita scriptum, *Quinque Thasi vini depromam, bina Falerni*. mihi certum videtur Plinium hunc versum referre ad tempora Sullana: ceterum copias Siligii expectandas censeo, nec possum dicere quam vere scribendum coniecerim *Quin Thásii vini dena promam, bina Falerni dolia*. porro substantivorum Graecorum genetivos in vocalem *i* simplicem exeuntes non nulli probarunt, ita tamen si ante eam plures morae essent, non una tantum: nam Priscianus imperitissime in Aeneïdos I, 222 *Fata Lyci* interpretatur *Lycii*, p. 946, et dixit *Bromii* tribus syllabis Varro apud Nonium p. 71, 18, *Defrondem, Bromii autumnitatis uvidam*, nisi tamen id nomen potius adiectivum est. sic igitur Plautus *Talthybi* in Sticho II, 2, 33, *gymnasi* in Bacchisin III, 3, 21, Lucretius *Aegi*, *absinthi*, *centauri*, *conchyli*, Catullus *Pelei* montis, *conchyli*, *gymnasi*, Ovidius semel *Rhegi* metam. XIV, 5, *Aconti* in Priapeo XVI, *balausti* Columella in X, 297, Statius Theb. XI, 636 *Lai*, quod vitiose scribitur *Laii*. Horatius ad hunc modum dixit *Libros Panaeti* et *Dionysi filius*: de hoc enim Bentleii sententiam probabit qui ea consideraverit quae Carolus Keilius in specimine onomatologi Graeci, Lipsiae anno 1840 edito, disputavit p. 24, nec facile quemquam *Dionysus* Trimalchionis servus aliorsum trahet. sed longe maxima pars poëtarum hac forma

Digitized by Google

Latina in Graecis abstinuit, credo quod iis illud *i*, quod est ante notam casus, Graecum videbatur, ut more Latino praeteriri non posset. quare facile credo Ennium dixisse *Brundisii* sive *Brentesii sargus* apud Apuleium de magia p. 487 Oud., et Manilium in II, 740 *Dodecatemorii*, neque aut Vergilio eripiendum esse *Palladii*, quod est in IX Aen. 151, aut Terentio *Rus Sunii ecquod habeam* Eun. III, 3, 13. ceterum paulo curiosius quam Sverdsiövus fecit p. 66 docendum erat observationem Bentleii scriptura legum antiquarum usque ad Augusti principatus finem constanter et sine ulla exceptione confirmari. in Thoria legitur *iudici* 35, *aedifici* 99, in Servilia *consili* p. 68, in lege pagi Herculanei *Cn. Laetori*, in lege de Termesibus maioribus Pisidis *portori* II, 34, in Rubria *municipei* I, 6, in Iulia municipali *municipi* 149 152 154 159, in lege fontanorum apud Marinum in Arvalibus p. 70 *hoiusce conlegi*, in decreto Pisano *imperi* I, 9, *Gaï et Luci* I, 38, *fIli* II, 7. at Verrius Flaccus in fastis Praenestinis VIII k. Ian. *Tarvilii:* in Augusti rerum indice semel *congiari* III, 10, sed saepius alio modo, *divi IulI* IV, 2 24 VI, 32, *collegI* IV, 37, *proelI* IV, 43, quibus *i* binas significari haec docent, *auri coronarI* IV, 26, *Iovis FeretrI* IV, 5 VI, 31. nequis autem pinguiore *i* litterae sono *collegj proelj conubj* trisyllaba dicenda putet, quem admodum sane *conubio conubium conubia* dixerunt veteres per *i* consonantem, ad eam rationem *consilj* media longa foret: ea vero semper corripitur, et accentu solo *Valeri* vocandi et gignendi casus distabant Nigidio (sed Gellius in utroque mediam syllabam acuebat, XIII, 25), item Vergilius *Caeli spatium* in ecl. III, 105 non alio sono protulit quam si *caelum* dicere voluisset, Varro *Plautii* nomen non aliter dicebat quam *Plauti*. hunc enim de lingua Latina VIII p. 419 ita scripsisse puto (nam Ritschelii et Spengelii sententiae, quae expositae sunt in Parergis Plautinis p. 25, mihi non satis faciunt), *Dissimilia* (Florentinus *dissimile*) *Plautus et Plautius, et commune M.* (Flor. *ut*) *huius Plauti et Macci* (Flor. *marci*); nisi quod *hunc Plautium* (sic enim iterum dicitur rerum rusticarum II, 5, 5) exempli causa *M.* feci, cuius verum praenomen ignoro: sed paulo post, p. 424, ubi perspicuum est scribendum esse *nunc ponam potissimum eam* (Flor. *iam*) *qua dividitur oratio secundum naturam in quattuor partis*, ibi in Florentino est *secunda ut naturam*, *ut* pro *m*. non aliter autem quam Vergilius

Digitized by Google

et Varro Lucilius; cuius haec sunt praecepta, *porro hoc, filiu' Luci, Feceris i solum, ut Corneli Cornificique*, item *i si faci' solum, Pupilli, pueri, Lucili, hoc uniu' fiet*. quare non debemus credere Lucilium hos genetivos *i* duplici finiendos praecepisse, quamvis Caesellius Vindex quendam eius versiculum ita interpretari videatur apud Putschium p. 2318, quem in contrariam partem recte accipiunt Beda p. 2373 et Charisius p. 60. sed in Charisii codice quid sit, non a Lindemanno discendum est, sed ex H. Keilii in Catonem et Varronem observationibus p. 96. itaque grammaticum haec de Lucilio scripsisse certum est, *Numquam enim hoc intulisset, nisi et Numerium per i huius Numeri faciendum crederet:* Lucilii autem versum ad hunc fere modum cum cetera oratione coniunctum fuisse suspicor, *'[memento] Servandi Numeri,' numerum ut servemu' modumque, [Dicimu': quod si alio pacto nomen paterentur Versus, dixissem 'servandum tute memento.']* ceterum extremae ignorantiae est *pugnam Pompilii* Lucilio adfingere, quae debetur librariis Nonii p. 255, 15, cum apertum sit poëtam scripsisse *Percrepa pugnam Popilli, facta Corneli cane:* nam M. Popillius Laenas proelio victus est a Numantinis anno ab urbe condita 616, bellum Africanus confecit 621, et pertinent ad eundem locum hi versus, *Ut Romanus populus victus vi et superatus proeliis Saepe est multis, bello vero numquam, in quo sunt omnia*, itemque hi, *Contra flagitium nostrae re* (apud Nonium p. 186, 30 *nescire*) *bello vinci a barbaro, Viriatho, Hannibale*. denique Italorum sermonis in re cum his genetivis coniunctissima similis quaedam vicissitudo praetermittenda non fuit. horum enim plerique hodie, cum *studium* plurali numero efferunt, ita locuntur ut se verum sonum non expressuros putent, nisi aut *studj* aut *studii* scripserint: contra veteres scripserunt *studi*, neque videntur illum pinguiorem sonum audisse. certe Petrarcha in sonetto 166 hoc medium collocat inter alia quae vocalem extenuatam habent, *chiudi* (hoc est *claudis*) *studi crudi ignudi*. idem in triumpho mortis I, 62 paria ponit *tu guidi, ti fidi, molti fastidi*, ut hodierno more *fastidj* dici non debeat. similiter Dantes in Paradiso VI, 47 *Deci e Fabi, Arabi, tu labi*, non *Fabj*. idem *tripudi*, non *tripudj*, in eadem carminis parte XXVIII, 124, scilicet coniunctum cum tenuioribus *virtudi* et *ludi*.

Digitized by Google

1007. LETO MEMBRA DAEANT. Oblongus *laeto Membra deant*. Itali DABAT.

1009. ILLI PRUDENTES IPSI SIBI SAEPE VENENUM VERGEBANT, NUDANT SOLLERTIUS IPSI. Quadratus *solertius*. ita oblongus *solemni* I, 90 et *solemnia* V, 1163. *Illi* IMPRUDENTES Marullus. idem *nunc dant aliis*, Antonius Marii *nunc dant letum*, Brixiensis editor *et nudabant*. Marullianum plerique omnes probarunt, in quo *ipsi* nocet sententiae. non potest hoc non coniunctum esse cum illis quae praecesserunt, *nunc rerum copia mersat:* itaque de luxuria aptissimum est NUNC SE perdunt, spoliant, NUDANT, *sollertius ipsi*. Horatii est *quos praeceps alea nudat*.

1011. INDE CASSAS POST QUAM AC PELLUS. Olim impressi CASAS *ac* PELLES. Antonius Marii *pelvis*.

1012. ET MULIER CONIUNCTA VIRO CONCESSIT IN UNUM COGNITA SUNT. Immo CONUBIUM. paene irascor Marullo, qui hoc non viderit ac maluerit totum versum inserere hoc modo, *Castaque privatae Veneris connubia laeta*. hunc primus Avantius, deinde omnes secuti sunt.

1016. FERRI. Itali et Marullus FERRE.

1019. TUNC ET AMICITIEM COEPERUNT IUNGERE AVENTES FINITIMI INTER SE NEC LAEDERE NEC VIOLARE. *Amicitiem* oblongus, 'veteri dignitate', ut dicit Plinius apud Charisium p. 94: quadratus *amicitiam*. corrector oblongi et olim impressi *habentes:* deinde quadratus *Finitimi*, oblongus et Veronensis editio *Finitim*. hinc Antonius Marii *habentes Finitum*, Brixiensis *habentes Finitima*. recte probarunt *aventes Finitimi* Marullus et Turnebus adversariorum xxx, 22: sed iidem, quod valde miror, non viderunt scribendum esse *aventes inter se nec laedere nec* VIOLARI. hoc res postulat, et perpetuo ita locutus est Epicurus in expositione iusti; velut in his, quae habet Laërtius Diogenes in libro x, 150. Οὐκ ἦν τι καθ' ἑαυτὸ δικαιοσύνη, ἀλλ' ἐν ταῖς μετ' ἀλλήλων συστροφαῖς καθ' ὁπηλικουσδήποτε ἀεὶ τόπους συνθήκη τις ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν μηδὲ βλάπτεσθαι. at Wakefieldus cum suis ineptissime *habentes*, 'i. e. habitantes' inquit, *Finitumei:* nemo enim hoc modo *habere* dicitur nisi addita significatione loci, ubi possideat.

1023. ESSE AECUM MISERERIER OMNI. Sic libri, 'ele-

Digitized by Google

ganter' Wakefieldo iudice 'et expeditâ de constructione.' recte Marullus OMNEIS.

1025. SED BONA MAGNAQUE PARS SERVABAT FOEDERA CASTI. Hoc quoque quis credat Wakefieldo pulchrum videri? Marullus de coniectura *servabant*, male: nam Lucretius in hoc genere plurali numero non utitur. II, 1017 *multo maxima pars est Consimilis*. IV, 464 *pars horum maxima fallit*. recte Antonius Marii filius *servabat foedera* CASTE.

1032. MONSTRET. Marullus MONSTRENT.

1033. SENTIT ENIM VIS QUISQUE SUAM QUOD POSSIT ABUTI. Olim impressi et Avantius VIM *quisque suam*. tum idem Avantius *quam possit abuti*, verius, nisi fallor, Lambinus hic ut in II, 850 QUO AD *possit abuti*, id est qua tenus. in II, 248 *quod cernere possis* ferri potest, sed bonus interpres dicet *quo ad*, non ut Creechius *et hoc ipsi oculi demonstrant*. *quod* pro *quo ad* scriptum est in Varronis rerum rusticarum I, 37, 1, *quod ad* in II, 2, 17. de *qua ad* Victorius dixit ad librum I, 1, 2 et maiore cum cura H. Keilius in observationibus p. 39. hoc homines doctissimi in VII de lingua Latina p. 288 non animadverterunt, ubi est *quaqua intuiti erant* (sic recte Schoppius) *oculi, a tuendo primo templum dictum; quocirca caelum, qua at tuimur, dictum templum*.

1035. ATQUE INFESSUS INURGET. In quadrato librarius primum scripserat *infestus*, sed fecit ipse *infessus*. Itali olim et Marullus *infestus*, Brixiensis editio *infenstus*, Avantius *infensus*. INFESTUS propterea praefero, quod Lucretius hoc vocabulo saepe usus est, *infensum* autem numquam dixit. versum proximum Nonius p. 457, 16 totum apponit, Isidorus orig. XII, 2, 6 dimidiatum.

1038. VIX TIAM CUM SUNT. Ita quadratus: oblongus et olim impressi *Vix iam*. Marullus *Vix* ETIAM.

1039. ALITUUM PROPORRO GENUS ALIS OMNE VIDEMUS. Apud Nonium p. 74, 18 *Tum porro genus omne videmus*. recte Marullus *Alituum* PORRO *genus*. hoc malo quam *Alituum proporro alis genus*, quia *proporro*, ut dixi ad versum 311, ceteris locis alia significatione positum est.

1040. A PINNIS. Oblongus et Nonius *a pennis*. in VI, 834 *pinnarum* oblongus, quadratus *pennarum*. ceteris locis codices nostri in formam alterutram consentiunt.

1048. UTILITAS, ET UNDE. 1049. FACERE UT SCIRET

Digitized by Google

ANIMOQUE VIDERET. Marullus *unde insita notities est* UTILITATIS? tum Avantius optime, sed ipse non intellegens et ab alio furatus, qui *Utilitas etiam* male scripsisset (dedit enim *utilitatis: etiam unde*), *unde data est huic prima potestas Quid vellet facere ut* SCIRENT *animoque* VIDERENT? scilicet potestas faciundi ut scirent quid vellet. ceterum poëta hoc versu iterum usus est in hoc libro 183, sed oratione aliter structa, *Notities hominum dis unde est insita primum, Quid vellent facere ut scirent animoque viderent*. ita in VI, 200 est *Quaerentesque viam circum versantur et ignis Semina convolvunt:* at in V, 520 *ignes* sive *ignis* accusandi casu, *Quaerentesque viam circum versantur et ignes Passim per caeli volvunt immania templa*. idem observare licet in versu 211 et 212 libri primi, si conferantur cum 210 et 211 quinti.

1052. NEC RATIONE DOCERE ULLA SUADEREQUE SURDES QUID SIT OPUS FACTO. FACILE SI NEQUE ENIM PATERENTUR. Brixiensis editor SURDIS. tum Marullus *faciles neque enim paterentur*. sed Lambinus recte sensit, si haec ad *Non poterat*, quod praecessit, referrentur, scribendum esse *Quid facto esset opus*. at idem si animadvertisset poëtas vetustos ante Catullum *neque* aliis vocabulis non subiunxisse, facile intellegere potuit quod ceteros fugisse non miror, legendum esse *Nec ratione docere ulla suadereque surdis Quid sit opus facto* FACILEST.

1055. VOCIS INAUDITOS SONITU SUBTUNDERE. Corrector oblongi SONITUS OBTUNDERE.

1058. VARIAS RES VOCE NOTARET. Bentleius VARIA; cui Wakefieldus obloquitur, me iudice absurde, Forbigero recte.

1062. QUIPPE ETENIM LICET IN REBUS COGNOSCERE APERTIS. Verum est quod Gifanius 'in quibusdam codicibus' esse dicit, *licet* ID. Lambinus sine auctore *id licet e rebus*.

1063. CUM PRIMUM MAGNA MOLOSSUM MOLLIA RICTA PREMUNT. Apud Nonium p. 221, 18 *tremunt:* Marullus FREMUNT. sed *magna mollia ricta* sine ulla vi dicuntur nimis incondite: aptius est INMANE *Mollia ricta fremunt*.

1065. LONGE ALIA SONITU RABIE STRICTA MINATUR. Itali et Marullus *Longe* ALIO *sonitu*. deinde iidem *rabies districta minatur*, quod rei contrarium est. multo melius

Digitized by Google

Naugerius *rabie distracta minantur*. et MINANTUR quidem sine dubitatione scribendum est, ut ad *ricta*, hoc est ora sive labia canum, referatur: sed ea ut nudatis dentibus distrahi ac distorqueri possunt dici, ita non minus retrahi et restringi; ut litterulas elapsas revocare liceat ita, *rabie* RESTRICTA *minantur*. quod vero Plautus *dentes restringi* dixit, per insitam praepositioni ambiguitatem efficitur: *restringitur* enim tam quod nudatur quam quod retrahitur.

1067. AT CATULOS. Immo ET: pergit enim iisdem canibus alios atque alios vocum sonos adscribere. paulo post versu 1083 recte scriptum est *Et*.

1068. AUT UBI EOS LACTANT PEDIBUS MORSUQUE POTENTES SUSPENSIS TENEROS IMITANTUR DENTIBUS HAUSTUS. Oblongus *imittantur*, quadratus *austus*. in ceteris *lactant* et *morsu potentes* inepte tuetur Wakefieldus: recte IACTANT Naugerius, *morsuque* PETENTES Itali et olim impressi. in versu altero recte Tanaquil Faber animadvertit canes, cum se catulos rictu hausturos fingant, non *teneros* haustus imitari, sed veros: non tamen, quod ille voluit *veros haustus* scribendum est, sed *Suspensis teneros* MINITANTUR *dentibus haustus*.

1070. GANNITU VOCIS. Sic quadratus et Nonius p. 450, 9: *cannitu* oblongus et olim impressi, *cannit* Nonius p. 17, 10.

1071. DESERTIBUS AUBANTUR. Nonius p. 80, 31 DESERTI BAUBANTUR. idem *omnes* pro *aut cum*.

1072. FLORANTIS FUGIUNT. Corrector oblongi PLORANTIS.

1076. ET FREMITUM PATULIS SUB NARIBUS EDIT AD ARMA. Hoc turpe et obscenum dicendi genus (nam *ad arma* intellegi debet *ad Venerem*) Forbigero nihil habere videtur in quo possimus offendere. Marullus et Wakefieldus, hoc versu post *Et cum sic alias concussis artubus hinnit* collocato, equum in bellum proruere gestientem elatis naribus nullum alium nisi vulgarem hinnitum edere faciunt. tamne difficile fuit videre hic tria membra orationis esse debere, ut tria hinnitus genera significarentur? Creechius in paraphrasi recte *vel cum*. scilicet scribendum est *Et fremitum patulis* UBI *naribus edit ad arma*. in III, 798 quadratus *corpus sub interiit*, pro *ubi*.

1077. CONCUSSIS ARTIBUS. Itali et impressi *artubus*,

Digitized by Google

quod membranae exhibent in I, 260 III, 7 620 644 IV, 632. Scaurus de orthographia p. 2259 *Artibus autem et artubus quidam variaverunt, et per i quidem dativo et ablativo plurali scribi putaverunt quotiens ab arte descenderet, ut sit ars artis artibus, artubus autem per u quotiens ab eo quod esset artus. unde apud Lucretium* (I, 260) *legunt 'hinc nova proles Artubus infirmis teneras lasciva per herbas.'* ipse Scaurus mavult scribi *artibus*, neque aliter Velius Longus p. 2229, ubi est *arcus* pro *artus*.

1082. ET QUOM DE VICTU CERTANT PREDATAQUE REPUGNANT. Oblongus *quom*, eiusdem corrector *cum*, quadratus *quo in*. deinde quadratus *cernant*. tum quod Avantius dedit egregium est, PRAEDAEQUE *repugnant*, velut angui capto: corrector oblongi, Itali, Marullus, Lambinus, ceteri, *praedaque*, absurde.

1084. CORNICUM ET SAECLA VETUSTA CORBORUMQUE GREGIS. *Et* deleverunt Itali et Marullus: Naugerius UT. tum oblongus *grecis:* eius corrector GREGES.

1087. VARIIS SENSUS. Corrector oblongi VARII.

1088. MULTA TAMEN CUM SINT. Itali et Marullus MUTA.

1090. ALIA RE VOCE. Italí et impressi RES.

1091—1160. ILLUD IN HIS REBUS. In huius libri prohoemio poëta, ubi singulas partes promittit, 73 a loquella ad metum deorum transit, quae quodam naturali vinculo inter se coniuncta sunt. hic vero admodum mire his interiecta est primum origo ignis, quem iam supra 1011 paratum fuisse dixerat, ut quaerendum sit cur unde is ortus fuerit non ante linguae sonos et rerum vocabula exposuerit: tum porro agit de regibus, de populari imperio, de magistratibus et iure; post quae longo intervallo 1361 sationem et culturam terrae commemorat, et postremo 1440 turres et agros divisos, cum 1108 iandudum reges sibi arces condidisse et terram divisisse dixisset. haec qui recte consideraverit, de hac tota carminis parte concedet, eam non posse a poëta eodem tempore compositam esse quo cetera scripserit.

1093. DIDITUR ARDOR. Sic oblongus: quadratus *diditus*.

1094. MULTA VIDEMUS ENIM CAELESTIBUS INSITA FLAMMIS FULGERE, CUM CAELI DONAVIT PLAGA VAPORIS. Apud Nonium p. 506, 15 *Multa vidimus* et *plaga vare*.

Digitized by Google

quorum hoc postremum paulo rectius est quam *vaporis:* debet enim esse *cum caeli donavit plaga* VAPORE, scilicet illas multas res. ita in II, 73 *augmine donat*, et in hoc libro 1215 *divinitus aeterna donata salute*. nam caeli plagam, id est fulmen (pueriliter enim errant Creechius et Eichstadius, qui *regionem caeli* intellegunt), hominibus vapores donare absurdum est. hoc unus omnium Wakefieldus sensit (si tamen sensit), qui voluit *roravit*, 'sine causa' Forbigero iudice. sed idem Wakefieldus, quippe Latinae linguae ignarus, *multa flammis insita* (sic libri et Nonius) recte dici defendit: esse enim 'conspersa seminibus flammarum.' hunc quoque inscitia vincere non frustra adnisus Orellius, ea quae *flammis caelestibus insita* fulgeant, dixit esse 'quibus *insita* sint, in quibus abscondantur semina flammarum caelestium, aetheris scil. particulae.' ceteri cum Marullo *incita*, id est pulsa et commota; quod neque ipsum rei convenit, neque Creechius recte interpretatur *accensa*. scribendum est *caelestibus* INLITA *flammis*, id est adspersa et contacta.

1096. UT RAMOSA TAMEN. Marullus ET. supra 768 *Et tamen ipsa suo si fulgit luna nitore*.

1097. AESTUA IN RAMOS INCUMBENS ARDORIS ARBOR. Itali et olim impressi AESTUAT et ARBORIS, sed iidem *ardor*.

1099. EMICAT INTER DUM. Marullus ET *micat*.

1101. IGNE. Corrector oblongi IGNEM.

1102. INDE CIBUM QUOQ;UERE. Quadratus *coq.uere*. eodem errore supra 1071 in archetypo fuit aut esse visum est DESERTIB.AUBANTUR, unde natum est in nostris *desertibus aubantur*, item in VI, 1240 POENIB.AT, in I, 690 IQ.NEM pro IGNEM. in VI, 538 quadratus *multosq.uelacus*. idem in V, 654 *Autque via* pro *Aut quia*. e contrario *quamquidemus* in II, 68 et *quamque demus* I, 562, quadratus I, 718 *acfractibaequor*, VI, 592 *frigusquaposque*, uterque IV, 351 *Obsiditquia*.

1105. INQUE DIES MAGIS INVICTUM. Optime Naugerius *magis* HI *victum*. *invictum* igitur, quem ex *incultu* fingunt, relinquamus Forbigero eiusque auctori quem non novi. dixi de hoc vocabulorum genere ad librum I, 455.

1106. NOVIS MONSTRABANT REBUS ET IGNI. Wakefieldus 'per ignem ad alias atque alias res novis experimentis indies admotum'. egregie vero: per ignem *Condere coeperunt*

Digitized by Google

urbes arcemque locare. scribendum est *victum vitamque priorem Commutare novis monstrabant rebu'* BENIGNI.

1110. ET PECUDES ATQUE AGROS DIVISERATQUE DEBERE. Infra 1291 *Et* PECUS *atque agros adimebant*, ubi quadratus *pecudes*. hoc Itali si animadvertissent, non scripsissent *Et pecudes et agros*. tum Marullus bene DIVISERE *atque* DEDERE.

1112. NAM FACIES MULTUM VALUIT, VIRESQUE VIGEBANT. Hoc postremum e versu superiore 1107 irrepsit: evagatur enim extra sententiam. Faber *viresque vigentes*. mihi magis placet *viresque* VIGORQUE. Ovidius metam. III, 492 *Nec vigor et vires et quae modo visa placebant*.

1116. ET PULCHRO CORPORE CERTI. Itali et impressi CRETI.

1121. FUNDAMENTO STABULI. Corrector oblongi STABILI.

1122. ET PLACIDA POSSUNT. Itali PLACIDAM POSSENT.

1124. CERTANTESQUE INTER INFESTUM FECERE VIA. Itali ITER *viai*. QUE Marullus sustulit.

1126. IN TARTARA THETRA. Corrector oblongi TAETRA. in proximis uterque *Quam regere imperio res:* in quadrato corrector saeculo XV adscripsit *f* supra *p*. hoc non commemorarem, nisi Havercampus narrasset in utroque Leidensi esse *inferiores*.

1129. PROINDE SIDE IN CASSUM DEFESSI. Quadratus *Proinde fidei in cassum*, oblongus ante quam emendaretur *defessis*. SINE Itali et Marullus.

1130. AMBITIONES. Iidem AMBITIONIS.

1133—1135. QUANDOQUIDEM SAPIUNT ALIENO EX ORE. Quinam? illi *Angustum per iter luctantes ambitionis*. hoc intellegi nequit, cum de effectu inepte interiecti sint duo versus, *Invidia quoniam ceu fulmine summa vaporant Plerumque et quae sunt aliis magis edita cumque*. rursum in his *quoniam* quo referatur non habet, nisi ei praemittatur illud *neque erit mox quam fuit ante*. sensit hanc rem Bentleius, qui volebat illos duo versus abesse, *Invidia quoniam, Plerumque*. sed ii traiciendi sunt.

1132. ALTIS MAGIS EDITA. Optime Lambinus ALIIS. Wakefieldus cum grege suo ad glandes rediit.

Digitized by Google

1141. Res taque ad summam faecem turbasque recidat. Oblongus *fecem* et prima manu *recidit*. Itali rectissime *Res* itaque redibat.

1142. Imperium sibi cum ac summatum quisque patebat. Quadratus *Imperium si cum*, oblongus *cum hac*, corrector oblongi petebat.

1143. docuere recreare. Corrector oblongi creare.

1145. defessum vicere aevom. Quadratus *vigere*, corrector oblongi *vincere*. Itali vi colere.

1147. artaque lura. Quadratus *lusa*, corrector oblongi iura.

1150. vi colore aevom. Idem corrector colere.

1152. Circumretit enim ius atque iniuriam quemque. Quadratus *Circumrecit:* iniuria corrector oblongi. Itali vis.

1159. dilirantes. Sic uterque. Antonius Marii *delerantes*. in III, 777 oblongus *diridiculum*.

1160. Et celata in medium et peccata dedisse. Marullus *et* deleto *Et celata diu in medium peccata dedisse*, quod adversatur regulae ad librum III, 954 expositae. scribi debet *Et celata* mala *in medium et peccata dedisse*.

1172. propterea quod. Primi correctores propterea.

1178. illa vi. Brixiensis editio et Marullus ulla.

1184. Et varias annorum. Itali et Marullus varia. in eodem versu quadratus *tempore*.

1185. id fierent. Italí et Marullus fieret.

1189. Per caelum volvi quia nox et luna videtur, Luna, dies, et nox, enoctis signa severa. In his primum scribendum est lux *et luna*, *Luna*, *dies*, *et nox:* nam si poëta in utroque ἐπανάληψιν voluisset, debebat scribere *nox et luna*, *Nox et luna*, *dies;* quibus non poterat subici id quod Itali et Brixiensis littera addita integrarunt, et *noctis signa*. haec autem Lambinus recte fecit serena ex *severis:* cur enim stellae *severae* dicantur? *serena sidera* sunt in IV, 212.

1192. Nubila, sol, imbres, nix, venti, flumina, grando. Quadratus *ventis*. fulmina Itali et Brixiensis. supra 675 *Fulmina postremo*, *nix*, *imbres*, *nubila*, *venti*. sed Isidorus orig. I, 35, 13 mirum versum exhibet neque ullo

Digitized by Google

bono poëta dignum. *Schesis onomaton*, inquit, *multitudo nominum coniunctorum quodam ambitu copulata, ut Nubila, nix, grando, procellae, fulmina, venti*.

1198. NEC PIETAS ULLA VELATUMST. Apud Lactantium instit. II, 3, 11 *ulla* EST *velatum*. idem mox *Vertere se ad lapidem atque omnes* sive *homines accedere ad aras*, tum *Et procumbere*.

1203. SED MAGE PLACATA —— MENTE. Marullus PACATA. hoc Lambinus, homo linguae Latinae peritus, probavit. sprevit cum Wakefieldo suo ille *venerabundae antiquitatis* (ita dicit p. CVII) auctor et vindex Eichstadius. neque iidem in Horatii epistularum primo 2, 45 ferunt *incultae pacantur vomere silvae;* quod qui defenderunt male explicarunt: *pacantur* enim *silvae*, cum ferae, ut aratro locus sit, vel fugantur vel trucidantur; quem admodum Manilius scripsit in IV, 182 *Et pacare metu silvas*, quod Huetius et Bentleius recte interpretati sunt, itemque Statius in Thebaidos IV, 250 de Atalanta *tum saltus forte remotos Pacabat cornu*. sed in eodem Manilii libro non capio illa 141, *Pacatique labor veniet;* ubi haud scio an cum Scaligero scribendum sit *simplicibus colonis Pacatisque*.

1208. ERIGER INFIT. Itali et impressi ERIGERE. in proximis libri veteres *Neque forte* 1209, *Ecquenam* 1212, *ecque sit* 1213.

1213. QUO AD MOENIA MUNDI ET TACITI MOTUS HUNC POSSINT FERRE LABOREM. Quadratus *quoa moenia:* idem *hinc*, sed (nequis Havercampo confidat) errore ab ipso librario agnito et *v* super scripta correcto. Avantius *Et tanti motus:* sed *moenia mundi et motus* absurde coniunguntur. item absurde Wakefieldus *laborem motus et taciti*, 'qui nempe, licet non cadat in observationem sensuum, necesse conterat atque labefactet tamen.' Bentleius eximie et vere SOLLICITI *motus*, ut in I, 343 et in VI, 1038.

1220. FULMINI HORRIBILI CUM PLAGA. *Fulmine* Antonius Marii et Veronensis editio, *Fulmine eum* Brixiensis: Marullus FULMINIS.

1221. MURMURE CAELUM. Corrector oblongi MURMURA.

1224. NEQUOD, OB ADMISSUM FOEDE DICTUMVE SUPERVE, POENARUM GRAVE SIT SOLVENDI TEMPUS AD-

Digitized by Google

AUCTUM. Ita haec interpungenda sunt contra mentem interpretum, qui ita acceperunt, quasi esset *Nequid, Nequod ob admissum foede*. itaque scribemus potius *Nequid*, si res postulabit; praesertim cum eo modo vel in publicis instrumentis peccatum esse videamus. certe in lege Iulia municipali 120 scriptum est *quemve kalumniae praevaricationis caussa accussasse fecisseve quod iudicatum est erit*, quod debet esse *fecisseve quid:* et ibidem 71 *neve eorum quod*, hoc est *quid*, *saeptum clausumve habeto*. iam *aliquod solvendi tempus* si diceretur *adductum* esse, intellegerem: *adactum*, quod fecit Marullus, non capio, quia *adigere* aliud est quam adducere. *adauctum* nemo fuit qui tueretur: qui vero solvendi tempus *ad auctum* esse dixerunt (id est ad plenam maturitatem suam perductum, ut Wakefieldus) aut cum Brixiensi editione *ad actum* (id est proxime ante actum rerum et dies fastos, ut priore eclogarum editione Orellius), non videntur meminisse griphos et implicationes verborum ab huius poëtae ingenio alienas esse. ergo si vocabulum simplex et rei opportunum quaerendum est, mihi, ut *aetas adulta* dicitur, itemque *ver* et *aestas*, ita non minus proprie videtur dici posse *Poenarum grave solvendi tempus* ADULTUM, quando maturum et perfectum est. hoc autem si probamus, *Nequod* locum non habet, sed NEQUID.

1226. SUMME ETIAM CUM VIS. Quadratus *Summet etiam*. Marullus SUMMA. versu proximo oblongus *clausis* pro *classis*.

1229. VOTIS ADITA PRECE QUESIT. Antonius Marii et Marullus *adit* AC *prece*. quadratus *praece*, quod frequentissimum scribendi genus est in libris nono saeculo antiquioribus, ut *praetium*, *praemere*, *graeges*, *haebes*, *adcaelerare*, *Paedianus*, *aepulari*, *caecidi*, *quaerella*, *vaeprecula*, *interpraetari*, *piaetas*, *sociaetas*, item *plaenus*, *aliaenus*, *raeda*, *laenocinium*, *plaerumque*, quae indicio sunt haec vocabula *e* aperto, quod Itali dicunt, proferenda esse. hoc aperto sono ruri dicebant *pretor* quo tempore in urbe *ae* diphthongus audiri nondum desierat.

1230. VENTORUM PAVIDUS PACES. De hoc versu idem dicendum est quod supra dixi de 1031 libri tertii. nam *ventorum paces* ineptissime subiciuntur *divom paci*, qua significatur pacata deorum sedes. ad *quaesit* autem mente addendum est *eos*.

Digitized by Google

Latina in Graecis abstinuit, credo quod iis illud *i*, quod est ante notam casus, Graecum videbatur, ut more Latino praeteriri non posset. quare facile credo Ennium dixisse *Brundisii* sive *Brentesii sargus* apud Apuleium de magia p. 487 Oud., et Manilium in II, 740 *Dodecatemorii*, neque aut Vergilio eripiendum esse *Palladii*, quod est in IX Aen. 151, aut Terentio *Rus Sunii ecquod habeam* Eun. III, 3, 13. ceterum paulo curiosius quam Sverdsiövus fecit p. 66 docendum erat observationem Bentleii scriptura legum antiquarum usque ad Augusti principatus finem constanter et sine ulla exceptione confirmari. in Thoria legitur *iudici* 35, *aedifici* 99, in Servilia *consili* p. 68, in lege pagi Herculanei *Cn. Laetori*, in lege de Termesibus maioribus Pisidis *portori* II, 34, in Rubria *municipei* I, 6, in Iulia municipali *municipi* 149 152 154 159, in lege fontanorum apud Marinum in Arvalibus p. 70 *hoiusce conlegi*, in decreto Pisano *imperi* I, 9, *Gaï et Luci* I, 38, *fIli* II, 7. at Verrius Flaccus in fastis Praenestinis VIII k. Ian. *Tarvilii*: in Augusti rerum indice semel *congiari* III, 10, sed saepius alio modo, *divi IulI* IV, 2 24 VI, 32, *collegI* IV, 37, *proelI* IV, 43, quibus *i* binas significari haec docent, *auri coronarI* IV, 26, *Iovis FeretrI* IV, 5 VI, 31. nequis autem pinguiore *i* litterae sono *collegj proelj conubj* trisyllaba dicenda putet, quem admodum sane *conubio conubium conubia* dixerunt veteres per *i* consonantem, ad eam rationem *consilj* media longa foret: ea vero semper corripitur, et accentu solo *Valeri* vocandi et gignendi casus distabant Nigidio (sed Gellius in utroque mediam syllabam acuebat, XIII, 25), item Vergilius *Caeli spatium* in ecl. III, 105 non alio sono protulit quam si *caelum* dicere voluisset, Varro *Plautii* nomen non aliter dicebat quam *Plauti*. hunc enim de lingua Latina VIII p. 419 ita scripsisse puto (nam Ritschelii et Spengelii sententiae, quae expositae sunt in Parergis Plautinis p. 25, mihi non satis faciunt), *Dissimilia* (Florentinus *dissimilę*) *Plautus et Plautius, et commune M.* (Flor. *ut*) *huius Plauti et Macci* (Flor. *marci*); nisi quod *hunc Plautium* (sic enim iterum dicitur rerum rusticarum II, 5, 5) exempli causa *M.* feci, cuius verum praenomen ignoro: sed paulo post, p. 424, ubi perspicuum est scribendum esse *nunc ponam potissimum eam* (Flor. *iam*) *qua dividitur oratio secundum naturam in quattuor partis*, ibi in Florentino est *secunda ut naturam*, *ut* pro *m*. non aliter autem quam Vergilius

Digitized by Google

et Varro Lucilius; cuius haec sunt praecepta, *porro hoc, filiu' Luci, Feceris i solum, ut Corneli Cornificique*, item *i si faci' solum, Pupilli, pueri, Lucili, hoc uniu' fiet*. quare non debemus credere Lucilium hos genetivos *i* duplici finiendos praecepisse, quamvis Caesellius Vindex quendam eius versiculum ita interpretari videatur apud Putschium p. 2318, quem in contrariam partem recte accipiunt Beda p. 2373 et Charisius p. 60. sed in Charisii codice quid sit, non a Lindemanno discendum est, sed ex H. Keilii in Catonem et Varronem observationibus p. 96. itaque grammaticum haec de Lucilio scripsisse certum est, *Numquam enim hoc intulisset, nisi et Numerium per i huius Numeri faciendum crederet:* Lucilii autem versum ad hunc fere modum cum cetera oratione coniunctum fuisse suspicor, *'[memento] Servandi Numeri,' numerum ut servemu' modumque, [Dicimu': quod si alio pacto nomen paterentur Versus, dixissem 'servandum tute memento.']* ceterum extremae ignorantiae est *pugnam Pompilii* Lucilio adfingere, quae debetur librariis Nonii p. 255, 15, cum apertum sit poëtam scripsisse *Percrepa pugnam Popilli, facta Corneli cane:* nam M. Popillius Laenas proelio victus est a Numantinis anno ab urbe condita 616, bellum Africanus confecit 621, et pertinent ad eundem locum hi versus, *Ut Romanus populus victus vi et superatus proeliis Saepe est multis, bello vero numquam, in quo sunt omnia*, itemque hi, *Contra flagitium nostrae re* (apud Nonium p. 186, 30 *nescire*) *bello vinci a barbaro, Viriatho, Hannibale*. denique Italorum sermonis in re cum his genetivis coniunctissima similis quaedam vicissitudo praetermittenda non fuit. horum enim plerique hodie, cum *studium* plurali numero efferunt, ita locuntur ut se verum sonum non expressuros putent, nisi aut *studj* aut *studii* scripserint: contra veteres scripserunt *studi*, neque videntur illum pinguiorem sonum audisse. certe Petrarcha in sonetto 166 hoc medium collocat inter alia quae vocalem extenuatam habent, *chiudi* (hoc est *claudis*) *studi crudi ignudi*. idem in triumpho mortis I, 62 paria ponit *tu guidi, ti fidi, molti fastidi*, ut hodierno more *fastidj* dici non debeat. similiter Dantes in Paradiso VI, 47 *Deci e Fabi, Arabi, tu labi*, non *Fabj*. idem *tripudi*, non *tripudj*, in eadem carminis parte XXVIII, 124, scilicet coniunctum cum tenuioribus *virtudi* et *ludi*.

Digitized by Google

1007. LETO MEMBRA DAEANT. Oblongus *laeto Membra deant*. Itali DABAT.

1009. ILLI PRUDENTES IPSI SIBI SAEPE VENENUM VERGEBANT, NUDANT SOLLERTIUS IPSI. Quadratus *solertius*. ita oblongus *solemni* I, 90 et *solemnia* V, 1163. *Illi* IMPRUDENTES Marullus. idem *nunc dant aliis*, Antonius Marii *nunc dant letum*, Brixiensis editor *et nudabant*. Marullianum plerique omnes probarunt, in quo *ipsi* nocet sententiae. non potest hoc non coniunctum esse cum illis quae praecesserunt, *nunc rerum copia mersat:* itaque de luxuria aptissimum est NUNC SE perdunt, spoliant, NUDANT, *sollertius ipsi*. Horatii est *quos praeceps alea nudat*.

1011. INDE CASSAS POST QUAM AC PELLUS. Olim impressi CASAS *ac* PELLES. Antonius Marii *pelvis*.

1012. ET MULIER CONIUNCTA VIRO CONCESSIT IN UNUM COGNITA SUNT. Immo CONUBIUM. paene irascor Marullo, qui hoc non viderit ac maluerit totum versum inserere hoc modo, *Castaque privatae Veneris connubia laeta*. hunc primus Avantius, deinde omnes secuti sunt.

1016. FERRI. Itali et Marullus FERRE.

1019. TUNC ET AMICITIEM COEPERUNT IUNGERE AVENTES FINITIMI INTER SE NEC LAEDERE NEC VIOLARE. *Amicitiem* oblongus, 'veteri dignitate', ut dicit Plinius apud Charisium p. 94: quadratus *amicitiam*. corrector oblongi et olim impressi *habentes:* deinde quadratus *Finitimi*, oblongus et Veronensis editio *Finitim*. hinc Antonius Marii *habentes Finitum*, Brixiensis *habentes Finitima*. recte probarunt *aventes Finitimi* Marullus et Turnebus adversariorum XXX, 22: sed iidem, quod valde miror, non viderunt scribendum esse *aventes inter se nec laedere nec* VIOLARI. hoc res postulat, et perpetuo ita locutus est Epicurus in expositione iusti; velut in his, quae habet Laërtius Diogenes in libro X, 150. Οὐκ ἦν τι καθ' ἑαυτὸ δικαιοσύνη, ἀλλ' ἐν ταῖς μετ' ἀλλήλων συστροφαῖς καθ' ὁπηλικουσδήποτε ἀεὶ τόπους συνθήκη τις ὑπὲρ τοῦ μὴ βλάπτειν μηδὲ βλάπτεσθαι. at Wakefieldus cum suis ineptissime *habentes*, 'i. e. habitantes' inquit, *Finitumei:* nemo enim hoc modo *habere* dicitur nisi addita significatione loci, ubi possideat.

1023. ESSE AECUM MISERERIER OMNI. Sic libri, 'ele-

Digitized by Google

ganter' Wakefieldo iudice 'et expeditâ de constructione.' recte Marullus OMNEIS.

1025. SED BONA MAGNAQUE PARS SERVABAT FOEDERA CASTI. Hoc quoque quis credat Wakefieldo pulchrum videri? Marullus de coniectura *servabant*, male: nam Lucretius in hoc genere plurali numero non utitur. II, 1017 *multo maxima pars est Consimilis*. IV, 464 *pars horum maxima fallit*. recte Antonius Marii filius *servabat foedera* CASTE.

1032. MONSTRET. Marullus MONSTRENT.

1033. SENTIT ENIM VIS QUISQUE SUAM QUOD POSSIT ABUTI. Olim impressi et Avantius VIM *quisque suam*. tum idem Avantius *quam possit abuti*, verius, nisi fallor, Lambinus hic ut in II, 850 QUO AD *possit abuti*, id est qua tenus. in II, 248 *quod cernere possis* ferri potest, sed bonus interpres dicet *quo ad*, non ut Creechius *et hoc ipsi oculi demonstrant*. *quod* pro *quo ad* scriptum est in Varronis rerum rusticarum I, 37, 1, *quod ad* in II, 2, 17. de *qua ad* Victorius dixit ad librum I, 1, 2 et maiore cum cura H. Keilius in observationibus p. 39. hoc homines doctissimi in VII de lingua Latina p. 288 non animadverterunt, ubi est *quaqua intuiti erant* (sic recte Schoppius) *oculi, a tuendo primo templum dictum; quocirca caelum, qua at tuimur, dictum templum*.

1035. ATQUE INFESSUS INURGET. In quadrato librarius primum scripserat *infestus*, sed fecit ipse *infessus*. Itali olim et Marullus *infestus*, Brixiensis editio *infenstus*, Avantius *infensus*. INFESTUS propterea praefero, quod Lucretius hoc vocabulo saepe usus est, *infensum* autem numquam dixit. versum proximum Nonius p. 457, 16 totum apponit, Isidorus orig. XII, 2, 6 dimidiatum.

1038. VIX TIAM CUM SUNT. Ita quadratus: oblongus et olim impressi *Vix iam*. Marullus *Vix* ETIAM.

1039. ALITUUM PROPORRO GENUS ALIS OMNE VIDEMUS. Apud Nonium p. 74, 18 *Tum porro genus omne videmus*. recte Marullus *Alituum* PORRO *genus*. hoc malo quam *Alituum proporro alis genus*, quia *proporro*, ut dixi ad versum 311, ceteris locis alia significatione positum est.

1040. A PINNIS. Oblongus et Nonius *a pennis*. in VI, 834 *pinnarum* oblongus, quadratus *pennarum*. ceteris locis codices nostri in formam alterutram consentiunt.

1048. UTILITAS, ET UNDE. 1049. FACERE UT SCIRET

Digitized by Google

ANIMOQUE VIDERET. Marullus *unde insita notities est* UTILITATIS? tum Avantius optime, sed ipse non intellegens et ab alio furatus, qui *Utilitas etiam* male scripsisset (dedit enim *utilitatis: etiam unde*), *unde data est huic prima potestas Quid vellet facere ut* SCIRENT *animoque* VIDERENT? scilicet potestas faciundi ut scirent quid vellet. ceterum poëta hoc versu iterum usus est in hoc libro 183, sed oratione aliter structa, *Notities hominum dis unde est insita primum, Quid vellent facere ut scirent animoque viderent*. ita in VI, 200 est *Quaerentesque viam circum versantur et ignis Semina convolvunt:* at in V, 520 *ignes* sive *ignis* accusandi casu, *Quaerentesque viam circum versantur et ignes Passim per caeli volvunt immania templa*. idem observare licet in versu 211 et 212 libri primi, si conferantur cum 210 et 211 quinti.

1052. NEC RATIONE DOCERE ULLA SUADEREQUE SURDES QUID SIT OPUS FACTO. FACILE SI NEQUE ENIM PATERENTUR. Brixiensis editor SURDIS. tum Marullus *faciles neque enim paterentur*. sed Lambinus recte sensit, si haec ad *Non poterat*, quod praecessit, referrentur, scribendum esse *Quid facto esset opus*. at idem si animadvertisset poëtas vetustos ante Catullum *neque* aliis vocabulis non subiunxisse, facile intellegere potuit quod ceteros fugisse non miror, legendum esse *Nec ratione docere ulla suadereque surdis Quid sit opus facto* FACILEST.

1055. VOCIS INAUDITOS SONITU SUBTUNDERE. Corrector oblongi SONITUS OBTUNDERE.

1058. VARIAS RES VOCE NOTARET. Bentleius VARIA; cui Wakefieldus obloquitur, me iudice absurde, Forbigero recte.

1062. QUIPPE ETENIM LICET IN REBUS COGNOSCERE APERTIS. Verum est quod Gifanius 'in quibusdam codicibus' esse dicit, *licet* ID. Lambinus sine auctore *id licet e rebus*.

1063. CUM PRIMUM MAGNA MOLOSSUM MOLLIA RICTA PREMUNT. Apud Nonium p. 221, 18 *tremunt:* Marullus FREMUNT. sed *magna mollia ricta* sine ulla vi dicuntur nimis incondite: aptius est INMANE *Mollia ricta fremunt*.

1065. LONGE ALIA SONITU RABIE STRICTA MINATUR. Itali et Marullus *Longe* ALIO *sonitu*. deinde iidem *rabies districta minatur*, quod rei contrarium est. multo melius

Digitized by Google

Naugerius *rabie distracta minantur*. et MINANTUR quidem sine dubitatione scribendum est, ut ad *ricta*, hoc est ora sive labia canum, referatur: sed ea ut nudatis dentibus distrahi ac distorqueri possunt dici, ita non minus retrahi et restringi; ut litterulas elapsas revocare liceat ita, *rabie* RESTRICTA *minantur*. quod vero Plautus *dentes restringi* dixit, per insitam praepositioni ambiguitatem efficitur: *restringitur* enim tam quod nudatur quam quod retrahitur.

1067. AT CATULOS. Immo ET: pergit enim iisdem canibus alios atque alios vocum sonos adscribere. paulo post versu 1083 recte scriptum est *Et*.

1068. AUT UBI EOS LACTANT PEDIBUS MORSUQUE POTENTES SUSPENSIS TENEROS IMITANTUR DENTIBUS HAUSTUS. Oblongus *imittantur*, quadratus *austus*. in ceteris *lactant* et *morsu potentes* inepte tuetur Wakefieldus: recte IACTANT Naugerius, *morsuque* PETENTES Itali et olim impressi. in versu altero recte Tanaquil Faber animadvertit canes, cum se catulos rictu hausturos fingant, non *teneros* haustus imitari, sed veros: non tamen, quod ille voluit *veros haustus* scribendum est, sed *Suspensis teneros* MINITANTUR *dentibus haustus*.

1070. GANNITU VOCIS. Sic quadratus et Nonius p. 450, 9: *cannitu* oblongus et olim impressi, *cannit* Nonius p. 17, 10.

1071. DESERTIBUS AUBANTUR. Nonius p. 80, 31 DESERTI BAUBANTUR. idem *omnes* pro *aut cum*.

1072. FLORANTIS FUGIUNT. Corrector oblongi PLORANTIS.

1076. ET FREMITUM PATULIS SUB NARIBUS EDIT AD ARMA. Hoc turpe et obscenum dicendi genus (nam *ad arma* intellegi debet *ad Venerem*) Forbigero nihil habere videtur in quo possimus offendere. Marullus et Wakefieldus, hoc versu post *Et cum sic alias concussis artubus hinnit* collocato, equum in bellum proruere gestientem elatis naribus nullum alium nisi vulgarem hinnitum edere faciunt. tamne difficile fuit videre hic tria membra orationis esse debere, ut tria hinnitus genera significarentur? Creechius in paraphrasi recte *vel cum*. scilicet scribendum est *Et fremitum patulis* UBI *naribus edit ad arma*. in III, 798 quadratus *corpus sub interiit*, pro *ubi*.

1077. CONCUSSIS ARTIBUS. Itali et impressi *artubus*,

Digitized by Google

quod membranae exhibent in I, 260 III, 7 620 644 IV, 632. Scaurus de orthographia p. 2259 *Artibus autem et artubus quidam variaverunt, et per i quidem dativo et ablativo plurali scribi putaverunt quotiens ab arte descenderet, ut sit ars artis artibus, artubus autem per u quotiens ab eo quod esset artus. unde apud Lucretium* (I, 260) *legunt 'hinc nova proles Artubus infirmis teneras lasciva per herbas.'* ipse Scaurus mavult scribi *artibus*, neque aliter Velius Longus p. 2229, ubi est *arcus* pro *artus*.

1082. ET QUOM DE VICTU CERTANT PREDATAQUE REPUGNANT. Oblongus *quom*, eiusdem corrector *cum*, quadratus *quo in*. deinde quadratus *cernant*. tum quod Avantius dedit egregium est, PRAEDAEQUE *repugnant*, velut angui capto: corrector oblongi, Itali, Marullus, Lambinus, ceteri, *praedaque*, absurde.

1084. CORNICUM ET SAECLA VETUSTA CORBORUMQUE GREGIS. *Et* deleverunt Itali et Marullus: Naugerius UT. tum oblongus *grecis:* eius corrector GREGES.

1087. VARIIS SENSUS. Corrector oblongi VARII.

1088. MULTA TAMEN CUM SINT. Itali et Marullus MUTA.

1090. ALIA RE VOCE. Itali et impressi RES.

1091—1160. ILLUD IN HIS REBUS. In huius libri prohoemio poëta, ubi singulas partes promittit, 73 a loquella ad metum deorum transit, quae quodam naturali vinculo inter se coniuncta sunt. hic vero admodum mire his interiecta est primum origo ignis, quem iam supra 1011 paratum fuisse dixerat, ut quaerendum sit cur unde is ortus fuerit non ante linguae sonos et rerum vocabula exposuerit: tum porro agit de regibus, de populari imperio, de magistratibus et iure; post quae longo intervallo 1361 sationem et culturam terrae commemorat, et postremo 1440 turres et agros divisos, cum 1108 iandudum reges sibi arces condidisse et terram divisisse dixisset. haec qui recte consideraverit, de hac tota carminis parte concedet, eam non posse a poëta eodem tempore compositam esse quo cetera scripserit.

1093. DIDITUR ARDOR. Sic oblongus: quadratus *diditus*.

1094. MULTA VIDEMUS ENIM CAELESTIBUS INSITA FLAMMIS FULGERE, CUM CAELI DONAVIT PLAGA VAPORIS. Apud Nonium p. 506, 15 *Multa vidimus* et *plaga vare*.

Digitized by Google

quorum hoc postremum paulo rectius est quam *vaporis:* debet enim esse *cum caeli donavit plaga* VAPORE, scilicet illas multas res. ita in II, 73 *augmine donat*, et in hoc libro 1215 *divinitus aeterna donata salute*. nam caeli plagam, id est fulmen (pueriliter enim errant Creechius et Eichstadius, qui *regionem caeli* intellegunt), hominibus vapores donare absurdum est. hoc unus omnium Wakefieldus sensit (si tamen sensit), qui voluit *roravit*, 'sine causa' Forbigero iudice. sed idem Wakefieldus, quippe Latinae linguae ignarus, *multa flammis insita* (sic libri et Nonius) recte dici defendit: esse enim 'conspersa seminibus flammarum.' hunc quoque inscitia vincere non frustra adnisus Orellius, ea quae *flammis caelestibus insita* fulgeant, dixit esse 'quibus *insita* sint, in quibus abscondantur semina flammarum caelestium, aetheris scil. particulae.' ceteri cum Marullo *incita*, id est pulsa et commota; quod neque ipsum rei convenit, neque Creechius recte interpretatur *accensa*. scribendum est *caelestibus* INLITA *flammis*, id est adspersa et contacta.

1096. UT RAMOSA TAMEN. Marullus ET. supra 768 *Et tamen ipsa suo si fulgit luna nitore*.

1097. AESTUA IN RAMOS INCUMBENS ARDORIS ARBOR. Itali et olim impressi AESTUAT et ARBORIS, sed iidem *ardor*.

1099. EMICAT INTER DUM. Marullus ET *micat*.

1101. IGNE. Corrector oblongi IGNEM.

1102. INDE CIBUM QUOQ;UERE. Quadratus *coq.uere*. eodem errore supra 1071 in archetypo fuit aut esse visum est DESERTIB.AUBANTUR, unde natum est in nostris *desertibus aubantur*, item in VI, 1240 POENIB.AT, in I, 690 IQ.NEM pro IGNEM. in VI, 538 quadratus *multosq.uelacus*. idem in V, 654 *Autque via* pro *Aut quia*. e contrario *quamquidemus* in II, 68 et *quamque demus* I, 562, quadratus I, 718 *acfractibaequor*, VI, 592 *frigusquaposque*, uterque IV, 351 *Obsiditquia*.

1105. INQUE DIES MAGIS INVICTUM. Optime Naugerius *magis* HI *victum*. *invictum* igitur, quem ex *incultu* fingunt, relinquamus Forbigero eiusque auctori quem non novi. dixi de hoc vocabulorum genere ad librum I, 455.

1106. NOVIS MONSTRABANT REBUS ET IGNI. Wakefieldus 'per ignem ad alias atque alias res novis experimentis indies admotum'. egregie vero: per ignem *Condere coeperunt*

Digitized by Google

urbes arcemque locare. scribendum est *victum vitamque priorem Commutare novis monstrabant rebu'* BENIGNI.

1110. ET PECUDES ATQUE AGROS DIVISERATQUE DEBERE. Infra 1291 *Et* PECUS *atque agros adimebant*, ubi quadratus *pecudes*. hoc Itali si animadvertissent, non scripsissent *Et pecudes et agros*. tum Marullus bene DIVISERE *atque* DEDERE.

1112. NAM FACIES MULTUM VALUIT, VIRESQUE VIGEBANT. Hoc postremum e versu superiore 1107 irrepsit: evagatur enim extra sententiam. Faber *viresque vigentes*. mihi magis placet *viresque* VIGORQUE. Ovidius metam. III, 492 *Nec vigor et vires et quae modo visa placebant*.

1116. ET PULCHRO CORPORE CERTI. Itali et impressi CRETI.

1121. FUNDAMENTO STABULI. Corrector oblongi STABILI.

1122. ET PLACIDA POSSUNT. Itali PLACIDAM POSSENT.

1124. CERTANTESQUE INTER INFESTUM FECERE VIA. Itali ITER *viai*. QUE Marullus sustulit.

1126. IN TARTARA THETRA. Corrector oblongi TAETRA. in proximis uterque *Quam regere imperio res:* in quadrato corrector saeculo XV adscripsit *f* supra *p*. hoc non commemorarem, nisi Havercampus narrasset in utroque Leidensi esse *inferiores*.

1129. PROINDE SIDE IN CASSUM DEFESSI. Quadratus *Proinde fidei in cassum*, oblongus ante quam emendaretur *defessis*. SINE Itali et Marullus.

1130. AMBITIONES. Iidem AMBITIONIS.

1133—1135. QUANDOQUIDEM SAPIUNT ALIENO EX ORE. Quinam? illi *Angustum per iter luctantes ambitionis*. hoc intellegi nequit, cum de effectu inepte interiecti sint duo versus, *Invidia quoniam ceu fulmine summa vaporant Plerumque et quae sunt aliis magis edita cumque*. rursum in his *quoniam* quo referatur non habet, nisi ei praemittatur illud *neque erit mox quam fuit ante*. sensit hanc rem Bentleius, qui volebat illos duo versus abesse, *Invidia quoniam, Plerumque*. sed ii traiciendi sunt.

1132. ALTIS MAGIS EDITA. Optime Lambinus ALIIS. Wakefieldus cum grege suo ad glandes rediit.

Digitized by Google

1141. Res taque ad summam faecem turbasque recidat. Oblongus *fecem* et prima manu *recidit*. Itali rectissime *Res* itaque redibat.

1142. Imperium sibi cum ac summatum quisque patebat. Quadratus *Imperium si cum*, oblongus *cum hac*, corrector oblongi petebat.

1143. docuere recreare. Corrector oblongi creare.

1145. defessum vicere aevom. Quadratus *vigere*, corrector oblongi *vincere*. Itali vi colere.

1147. artaque lura. Quadratus *lusa*, corrector oblongi iura.

1150. vi colore aevom. Idem corrector colere.

1152. Circumretit enim ius atque iniuriam quemque. Quadratus *Circumrecit:* iniuria corrector oblongi. Itali vis.

1159. dilirantes. Sic uterque. Antonius Marii *delerantes*. in III, 777 oblongus *diridiculum*.

1160. Et celata in medium et peccata dedisse. Marullus *et* deleto *Et celata diu in medium peccata dedisse*, quod adversatur regulae ad librum III, 954 expositae. scribi debet *Et celata* mala *in medium et peccata dedisse*.

1172. propterea quod. Primi correctores propterea.

1178. illa vi. Brixiensis editio et Marullus ulla.

1184. Et varias annorum. Itali et Marullus varia. in eodem versu quadratus *tempore*.

1185. id fierent. Itali et Marullus fieret.

1189. Per caelum volvi quia nox et luna videtur, Luna, dies, et nox, enoctis signa severa. In his primum scribendum est lux *et luna*, *Luna*, *dies*, *et nox:* nam si poëta in utroque ἐπανάληψιν voluisset, debebat scribere *nox et luna*, *Nox et luna*, *dies;* quibus non poterat subici id quod Itali et Brixiensis littera addita integrarunt, et *noctis signa*. haec autem Lambinus recte fecit serena ex *severis:* cur enim stellae *severae* dicantur? *serena sidera* sunt in IV, 212.

1192. Nubila, sol, imbres, nix, venti, flumina, grando. Quadratus *ventis*. fulmina Itali et Brixiensis. supra 675 *Fulmina postremo*, *nix*, *imbres*, *nubila*, *venti*. sed Isidorus orig. I, 35, 13 mirum versum exhibet neque ullo

Digitized by Google

bono poëta dignum. *Schesis onomaton*, inquit, *multitudo nominum coniunctorum quodam ambitu copulata, ut Nubila, nix, grando, procellae, fulmina, venti*.

1198. NEC PIETAS ULLA VELATUMST. Apud Lactantium instit. II, 3, 11 *ulla* EST *velatum*. idem mox *Vertere se ad lapidem atque omnes* sive *homines accedere ad aras*, tum *Et procumbere*.

1203. SED MAGE PLACATA —— MENTE. Marullus PACATA. hoc Lambinus, homo linguae Latinae peritus, probavit. sprevit cum Wakefieldo suo ille *venerabundae antiquitatis* (ita dicit p. CVII) auctor et vindex Eichstadius. neque iidem in Horatii epistularum primo 2, 45 ferunt *incultae pacantur vomere silvae;* quod qui defenderunt male explicarunt: *pacantur* enim *silvae*, cum ferae, ut aratro locus sit, vel fugantur vel trucidantur; quem admodum Manilius scripsit in IV, 182 *Et pacare metu silvas*, quod Huetius et Bentleius recte interpretati sunt, itemque Statius in Thebaidos IV, 250 de Atalanta *tum saltus forte remotos Pacabat cornu*. sed in eodem Manilii libro non capio illa 141, *Pacatique labor veniet;* ubi haud scio an cum Scaligero scribendum sit *simplicibus colonis Pacatisque*.

1208. ERIGER INFIT. Itali et impressi ERIGERE. in proximis libri veteres *Neque forte* 1209, *Ecquenam* 1212, *ecque sit* 1213.

1213. QUO AD MOENIA MUNDI ET TACITI MOTUS HUNC POSSINT FERRE LABOREM. Quadratus *quoa moenia:* idem *hinc*, sed (nequis Havercampo confidat) errore ab ipso librario agnito et *v* super scripta correcto. Avantius *Et tanti motus:* sed *moenia mundi et motus* absurde coniunguntur. item absurde Wakefieldus *laborem motus et taciti*, 'qui nempe, licet non cadat in observationem sensuum, necesse conterat atque labefactet tamen.' Bentleius eximie et vere SOLLICITI *motus*, ut in I, 343 et in VI, 1038.

1220. FULMINI HORRIBILI CUM PLAGA. *Fulmine* Antonius Marii et Veronensis editio, *Fulmine eum* Brixiensis: Marullus FULMINIS.

1221. MURMURE CAELUM. Corrector oblongi MURMURA.

1224. NEQUOD, OB ADMISSUM FOEDE DICTUMVE SUPERVE, POENARUM GRAVE SIT SOLVENDI TEMPUS AD-

Digitized by Google

AUCTUM. Ita haec interpungenda sunt contra mentem interpretum, qui ita acceperunt, quasi esset *Nequid, Nequod ob admissum foede*. itaque scribemus potius *Nequid*, si res postulabit; praesertim cum eo modo vel in publicis instrumentis peccatum esse videamus. certe in lege Iulia municipali 120 scriptum est *quemve kalumniae praevaricationis caussa accussasse fecisseve quod iudicatum est erit*, quod debet esse *fecisseve quid:* et ibidem 71 *neve eorum quod*, hoc est *quid*, *saeptum clausumve habeto*. iam *aliquod solvendi tempus* si diceretur *adductum* esse, intellegerem: *adactum*, quod fecit Marullus, non capio, quia *adigere* aliud est quam adducere. *adauctum* nemo fuit qui tueretur: qui vero solvendi tempus *ad auctum* esse dixerunt (id est ad plenam maturitatem suam perductum, ut Wakefieldus) aut cum Brixiensi editione *ad actum* (id est proxime ante actum rerum et dies fastos, ut priore eclogarum editione Orellius), non videntur meminisse griphos et implicationes verborum ab huius poëtae ingenio alienas esse. ergo si vocabulum simplex et rei opportunum quaerendum est, mihi, ut *aetas adulta* dicitur, itemque *ver* et *aestas*, ita non minus proprie videtur dici posse *Poenarum grave solvendi tempus* ADULTUM, quando maturum et perfectum est. hoc autem si probamus, *Nequod* locum non habet, sed NEQUID.

1226. SUMME ETIAM CUM VIS. Quadratus *Summet etiam*. Marullus SUMMA. versu proximo oblongus *clausis* pro *classis*.

1229. VOTIS ADITA PRECE QUESIT. Antonius Marii et Marullus *adit* AC *prece*. quadratus *praece*, quod frequentissimum scribendi genus est in libris nono saeculo antiquioribus, ut *praetium*, *praemere*, *graeges*, *haebes*, *adcaelerare*, *Paedianus*, *aepulari*, *caecidi*, *quaerella*, *vaeprecula*, *interpraetari*, *piaetas*, *sociaetas*, item *plaenus*, *aliaenus*, *raeda*, *laenocinium*, *plaerumque*, quae indicio sunt haec vocabula *e* aperto, quod Itali dicunt, proferenda esse. hoc aperto sono ruri dicebant *pretor* quo tempore in urbe *ae* diphthongus audiri nondum desierat.

1230. VENTORUM PAVIDUS PACES. De hoc versu idem dicendum est quod supra dixi de 1031 libri tertii. nam *ventorum paces* ineptissime subiciuntur *divom paci*, qua significatur pacata deorum sedes. ad *quaesit* autem mente addendum est *eos*.

Digitized by Google

1232. NIHILO FERTUR MINUS AQUADA LETI. Corrector quadrati, item Antonius Marii et Marullus, AD *vada leti*.

1236. DENIQUE SUI PEDIBUS. Corrector quadrati et ceteri SUB *pedibus*.

1241. QUOD SUPER EST, AEQUE AURUM. Marullus AES ATQUE *aurum*.

1243. UBI GENTIS SILVAS. Itali et impressi *ubi* INGENTIS.

1244. SEU CAELO FULMINE MISSO. Sic oblongus: eius corrector *caeli*, ut quadratus et Itali et impressi. *missum* fulmen minus proprie dicitur: neque dixit alibi Lucretius *fulmen caeli*, sed *plagam caeli* supra 1095. Sallustius in Iugurtha 75,7 *tanta repente caelo missa vis aquae dicitur*.

1248. PANDERE AGROS PANGUIS. Corrector oblongi PINGUIS.

1252. QUICQUID. QUIDQUID scribendum esse dixi ad librum III, 135 et hoc libro supra 264. in lege Rubria I, 26 Petrus de Lama scriptum edidit *tum quicquid eum Q. Licinium ex ea stipulatione L. Seio d. f. oportiret;* Marinus in Arvalibus p. 108 *quic quid*. Quintilianus in I, 7, 6 *Frigidiora his alia; ut* quidquid *c quartam haberet, ne interrogare bis videremur, et* quotidie *non* cotidie, *ut sit quot diebus. verum haec iam etiam inter ipsas ineptias evanuerunt*. hoc dicit, neminem superesse qui scribat *quicquid* et *quotidie*. at nostro tempore quotus quisque ita non scribit?

1253. HORRIBILI SONITUS SILVAS EXEDERAT ALTIS A RADICIBUS. Corrector quadrati SONITU, neque aliter Itali. *altis* oblongus, olim impressi; Marullus: *altas* corrector oblongi, quadratus, Avantius. AB *radicibus* ante Marullum non invenio: sed ante *r* litteram hic poëta semper scripsit *ab*, contra ante *m* semper *a*, itemque ante *l*, ut dixi libro III, 676. in *n* littera certam regulam non observavi.

1255. MANABAT VENIT FERVENTIBUS. Oblongus prima manu *feventibus*. corrector quadrati et ceteri VENIS.

1258. IN TERRAS SPLENDERE. Lambinus *in terris*. praestat *in* TERRA.

1259. NITIDO CAPITI. In oblongo *capite*, radendo factum *capiti*, quod ipsum habent quadratus et Brixiensis editio. Veronensis cum Italis et Marullo CAPTI.

1260. VIDEBAT ESSE. Itali et impressi VIDEBANT.

Digitized by Google

1266. Ut sibi tela parent silvasque et cedere possint. Ante Wakefieldum, qui suos haec admirari docuit, scribebant cum Brixiensi et Marullo *excidere*. Lambinus, qui volebat *silvas quibu' caedere possint*, nisi leviter festinasset, videre poterat legendum esse *Ut sibi tela* darent, scilicet hae massae, *silvasque* ut *caedere* possent.

1267. Materiemque dolaret levare ac radere tigna. Marullus *dolare et levia*, paulo melius quam Lambinus *Materiem levare dolare*. mihi probabatur *Materiemque dolare, secare ac radere tigna*, ne omitteretur quod summe necessarium est, quodque Cicero posuit solum, cum dixit *materia quid iuvaret, nisi consectionis eius fabricam haberemus?* de divinatione I, 116. poterat idem effici scribendo *aequare ac radere tigna*. sed illud exquisitum *levandi* verbum oblitterari non debet, *dolabra* autem hic facile caremus. quare mihi Lucretius ita scripsisse videtur, *silvasque ut caedere possent Materiemque* domo, *levare ac radere tigna*. *domo* dandi casu, ut Horatius *Ponendaeque domo quaerenda est area primum*. nec multo saepius in versibus invenietur *domui*, quo usi sunt Ovidius ac Manilius.

1272. Nec poterant. Recte Lambinus *Nec* poterat: alterum enim durum est.

1273. Nam fui in pretio magis, aurumque iacebat. Corrector oblongi fuit. *praetio* quadratus, ut mox 1277 uterque et in versu proximo oblongus *haebeti*. aes addiderunt Itali et Brixiensis. ita Isidorus orig. XVI, 20 inter multa alia ex hoc loco ducta *eratque in pretio magis aes*. sed *Nam* ferri non potest, quod causam indicat pro effectu. scribamus igitur, quod Creechius in paraphrasi posuit, Tum *fuit in pretio magis aes*. ceterum si Lucretii poësis non extaret, ex iis quae Servius adfert ad Aen. XII, 87 facile aliquis poëtam de *orichalco* post aes invento dixisse suspicaretur: nunc videmus eum hic quoque ut alibi de Lucretio parum accurate rettulisse, cum non tam Lucretiana proponeret quam quae in commentariis, quos Hieronymum quoque tractasse diximus, legisset. ex his certe petitum est quod scripsit in eodem Aeneïdos libro 419: nam cum Lucretius *panacas*, quantum scimus, semel IV, 124 commemorasset, ille *Sciendum tamen* inquit *Lucretium panaceam ubique salem dicere*. ex eodem genere esse puto quae habet ad georgicon

Digitized by Google

III, 478 *Describit pestilentiam Venetiae Galliae Illyrici. nam quodam tempore cum Nilus plus aequo excrevisset et diu permansisset in campis, ex aqua fluminis et calore provinciae diversa et plurima in limo animalia sunt creata, quae recedente in alveos suos Nilo et integra et quae semiplena fuerant putrefacta sunt: exinde corrupto aëre nata pestilentia est, quam auster flans primo ex Aegypto ad Atticam provinciam pepulit, mox inde in tractu Venetiae et Illyrici usque quaque universa vastavit. hanc autem pestilentiam ordine quo diximus plenissime Lucretius est executus.* quae e commentariis aliorum ducta credo a Servio, qui ea quae e Sallustio consignata essent a Lucretianis non satis recte distinxisset: Sallustii enim mentionem facit ad versum 475 481 482.

1278. ET CONTEMPTIBUS EXIT. De hoc dixi ad versum 833.

1280. CLAUDIBUS. Corrector quadrati cum Italis LAUDIBUS. in eodem versu *mortalis* oblongus, quadratus *mortaleis;* quorum hoc alterum, si in utroque esset, praeferrem: nunc malo credere in archetypo fuisse *mortalis e* supra adscripto. certe huius accusativi formae nullum in libris nostris exemplum superest, nisi forte huc referimus quod oblongus in III, 311 habet prima manu, *iras decurrit ad acras*, et uterque *faucas* in VI, 639, item *auras* in VI, 777, *omnus* in I, 966, *pellus* in V, 1011. uterque *partiis* in III, 809, *quodviis* in II, 371. *cycniis* in III, 7.

1285. ET FLAMMATQUE IGNES. Quadratus FLAMMA *atque* a correctore antiquissimo ac fortasse ab ipso librario. *flammae* cur Naugerius maluerit nescio.

1288. ET COPIA MAIORE. Correctores antiquissimi MAIOR.

1294. VERSAQUE IN OBPROBRIUM SPECIEST FALCIS ATHENAE. Quadratus *athene*, apud Macrobium Saturn. VI, 1 *aeneae:* AHENAE Itali. *species est facilis* apud Macrobium, corrector quadrati antiquissimus SPECIES EST *falcis*. denique apud Macrobium *Versaque in obscurum*, ex quo editores Macrobii non inspecto Lucretio fecerunt *in obscenum*, idque Wakefieldo visum est 'minus resipere glossatorem'. versu ab hoc altero Nonius utitur p. 13, 19.

1300. ET BIIUGO PRIUS EST QUAM BIS CONIUNGERE BINOS. Wakefieldus *biiugom*, scilicet currum biiugum (ita

Digitized by Google

interpretatur) coniungere et bis binos currus (id est quadriiugos, inquit) coniungere: currus autem quomodo coniungatur non docet. *currum iunctum* non ignoro, scilicet *equis iunctum*, et scio *tigres currui subiungere* Daphnin Vergilianum instituisse, neque Handius ad diatriben Gronovii I p. 98 dubitare debuit quin Manilius in IV, 231 eodem dicendi genere usus sit: sed 'coniunguntur duo currus', ut recte dicit Scaliger ad versum Manilii p. 291. Forbigero tamen illa quamvis absurda videntur recta. Eichstadius in indice *biiugum prius est*, puto neutro genere. rectissime Faber *Et* BIIUGOS.

1301. ARMATUM ESCENDERE CURRUS. Sic uterque Vossianus, sed correctores fecerunt *ascendere:* neque fallit Gronovius ad Livium II, 28, ut videtur Wakefieldo, sed Havercampus. errat tamen Gronovius, cum ex Vossiano (quadratum dicit) *inventum* adfert, quod est a Marullo.

1302. INDE BOVES CAS TURRITO CORPORE TETROS. *Boves* LUCAS corrector quadrati et Itali. sed scribendum est TAETRAS. sic infra *boves lucae ferro male mactae:* itaque Varro bis de lingua Latina VII p. 325 326, *cur ita sit dicta, si ab Libya dictae essent lucae;* apud quem non videtur ferendum esse p. 327 *quod longe relucebant propter inauratos regios clupeos, quibus eorum tum ornatae erant turres:* immo aut *earum* aut *elefantorum*. neque *bos Lucas* dicitur nisi a Salmasio in exercitationibus p. 218, sed *luca bos*, et fortasse *lucus bos* vel *taurus:* sic certe Varro *neque ursi potius Lucani quam luci*, scilicet dicerentur, si lucae boves essent Lucanae.

1307. BELLIS TERRORIBUS. Itali et Marullus BELLI.

1315. TERRIFICAS CAPITUM QUATIENTIS UNDIQUE CRISTAS. quadratus *quatientes*. versus est uno vocabulo minus Lucretianus, sed ex libro II, 632 huc inepte translatus. vidit hoc Faber: 'neque enim facile crediderim' inquit 'cristas capitibus leonum annexas'. at Wakefieldus *cristas* interpretatur 'villosas *iubas* hirsutasque', *caput* autem *cervices* esse; quibus succlamat 'eleganter et magnifice'. Forbiger haec omnia nihil curans tacet.

1319. ORA PATEBANT. Marullus PETEBANT. versus ante hunc proximus est apud Nonium p. 134, 8. in eo qui hunc sequitur *deripiebant* oblongus, quadratus male *diripiebant*.

Digitized by Google

1325. ET TERRAM MINITANTI MENTE RUEBANT. Immo *minitanti* FRONTE.

1327. 1328. TELA INFRACTA SUO TINGUENTES SANGUINE SAEVI, IN SE FRACTA SUO TINGUENTES SANGUINE TELA. Horum versuum utrumque cum altero coniunctum probare sana mente nemo potest. uter alteri praeferendus sit vix certo dicetur: malo tamen eum in quo est *infracta tela tinguentes*, quia hoc cum Vergilianis maxime concinit, quae ex Aeneïdos x, 731 Bentleius rettulit, *et calcibus atram Tundit humum expirans infractaque tela cruentat*.

1330. EXIBANT DENTIS ADAUCTUS. Oblongus et olim impressi *dentibus adauctus*. Antonius Marii *dentibus auctus*, Marullus vere *dentis* ADACTUS.

1331. ERECTA PETEBAT. Corrector oblongi PETEBANT.

1340. FERA FACTA SUIS CUM MULTA DEDERE. Quadratus, *c* littera erasa, *fera* FATA, recte: *dantur* enim *fata*, *fortuna*, *mors*, sed *facta* alteri *dare* nemo potest.

1341. SI FUIT UT FACERENT. Haec intellegere nullo modo possum. recte, nisi fallor, Marullus SIC *fuit ut facerent*, hoc est Sic illi, ut pote imperiti ingenii bestiarum, *Temptarunt etiam tauros in moenere belli* et cetera quae dicta sunt versu 1308 1309.

1341—1343. SED VIX ADDUCOR UT ANTE NON QUIERINT ANIMO PRESENTIRE ATQUE VIDERE QUAM COMMUNE MALUM FIERET FOEDUMQUE FUTURUM. Hic Veronensis editio et Avantius *fueret futurum*: Lambinus *fuerat futurum*, indicativo non ferendo in tam severo et oratorio dicendi genere. praeterea gradus significatio, quae inest in *quam* particula, inepta est. at immutato versuum ordine omnia optime procedunt, hoc modo. *sed vix adducor ut, ante Quam commune malum fieret foedumque, futurum Non quierint animo praesentire atque videre*.

1344—1346. ET MAGIS ID POSSIS FACTUM CONTENDERE IN OMNI, IN VARIIS MUNDIS VARIA RATIONE CREATIS, QUAM CERTO ATQUE UNO TERRARUM QUOLIBET ORBI. Haec quomodo intellegenda sint ex iis apparet unde repetita sunt, supra 526 *Nam quid in hoc mundo sit eorum ponere certum Difficile est: sed quid possit fiatque per omne In variis mundis varia ratione creatis, Id doceo*. sed ibi poëta dicebat

Digitized by Google

astrorum rationes in variis mundis Epicuri posse varias esse, quae *in hoc nostro* sint certo dici non posse: hic autem hoc agitur, bestiis ad bellum inhabilibus fortasse homines in uno vel altero ex illis variis mundis ad bellum usos esse, quid *in uno quoque eorum* fecerint non constare. atqui satis erat si de hoc nostro mundo constabat: neque de hoc dubitabat poëta, *Temptarunt etiam, Sic fuit ut facerent:* cur igitur quaereret quid in uno quolibet certo terrarum orbe factum esset? iam, nisi fallor, apparet haec Lucretium non scripsisse, sed istum lectorem, a quo poëtam, ubi incredibilia tradere videretur, versibus interpositis derisum intelleximus in libro III, 412 743. huius rei Forbigero nihil suboluisse, cum eius verba subiecero, apparebit. 'Mihi', inquit, 'ut verum fatear, hic locus semper suspicionem aliquam movit, inprimis quum v. 1344. prorsus eodem modo voci *omne* explicandae adhibitus, sed loco longe aptiori, supra v. 529. iam adfuerit; de quo tamen aliquid certi pronuntiare non audeo'.

1354. VIROS IANAM. Corrector quadrati, Itali, impressi, LANAM. paulo ante quadratus *Ininsilia ac fusi*.

1361. ASPECIMEN SATIONIS. Ita membranae et Antonius Marii. corrector quadrati AT *specimen*, Veronensis editio *Ad specimen*, Brixiensis *Ad spetiem*.

1366. DEFODIRE. Corrector oblongi DEFODERE. *fodire* nullo tempore Latinum esse desiit.

1368. FRUCTUSQUE FEROS MANSUESCERE TERRA CERNEBANT. Structuram orationis fulciamus opus est. scribemus igitur *fructus mansuescere* TERRAM. nam qui *consuescere* (VI, 397) et *insuescere* (IV, 1282) activa significatione dixit, potuit eodem modo *mansuescere*.

1379—1435. AT LIQUIDAS AVIUM VOCES. Haec quoque poëtam alio tempore addidisse suspicor, in quibus, pariter atque in iis quae supra ad versum 1091 notavi, sui temporis mores cum antiquis collatos reprehendit. his enim quae subiecta sunt de temporibus 1436, ea ad sationem et culturam spectant, de quibus modo egit.

1388. 1389. SIC UNUM QUICQUID PAULATIM PROTRAHIT AETAS IN MEDIUM RATIOQUE IN LUMINIS ERUIT ORAS. Quadratus ab antiquissimo correctore, et fortasse ab ipso librario, *erigit oras*, quod uterque codex habet infra 1455. hoc Gronovium in diatribes Statianae capite 41 (p. 417

Digitized by Google

ed. Handii) recte tueri existimo: quomodo enim aliquid *in lucem erui* possit non intellego. neque Attii versibus, quos habet de natura deorum II, 89 Cicero et ex eo Priscianus de metris p. 243 Lind., ullo modo aptum est *ad caelum eruit*, sed potius *Aut forte Triton, fuscina evertens specus Supter radices penitus undanti in freto, Molem ex profundo saxeam ad caelum erigit*. sed hos duo versus hic tollendos esse quivis per se videre potest, et miror hoc Marullum Naugerium Lambinum Bentleium Creechium non animadvertisse: nam ceteri rarius attendunt.

1390. MULCEBANT ATQUE IUVABAT. Itali IUVABANT.

1391. NAM TUM SUNT OMNIA CORDI. Optime Faber *otia;* nisi quod hoc modo ad illa *otia dia* reditur paulo argutius atque urbanius quam pro simplicitate huius poëtae. qui scripserit potius *nam tum sunt* CARMINA *cordi*, cum allitteratione.

1392. IN GRAMINA MOLLI. Corrector oblongi GRAMINE. in II, 29 quadratus *gramina*.

1393. PROPTEREAQUE RIVOM. In secundo PROPTER *aquae rivum*. hic quoque quadratus et a correctore oblongus *rivum*.

1397. TUM LOCA. Itali et Marullus IOCA.

1399. REDIMERE CORONIS. Iidem REDIMIRE.

1400. LASCIVIA LETA MOVEBAT. Marullus MONEBAT.

1404. ET MIRA VIGEBAT. Itali et Veronensis editio. non Brixiensis, VIGEBANT.

1405. ET VIGILANTIBUS HINC ADERANT SOLACIA SOMNO. Recte Lambinus, secutus, ut ait, codicem Vaticanum, *solacia* SOMNI, quod dicit ὕπνου ἀντίμολπον ἄκος apud Aeschylum vigil. dandi casus ferri non debet: nam quamvis solacium *malis*, quae adsunt, reperiri possit, tamen quae patri in *liberorum amissorum solacium* praestantur, ea *liberis amissis* non sunt solacio.

1409. ET NUMERUM SERVARE GENUS DIDICERE. Sic membranae et Antonius Marii, item Marullus: olim impressi *numeris*. ego neutrum intellego, cum vigilum canticis quod conveniat certum numerorum genus cognoverim nullum. Lucretius scripsit *numerum servare* SONIS, id est cantu ad artem composito.

Digitized by Google

1410. MAIORE INTEREA CAPIUNT DULCEDINE FRUCTUM. Antonius Marii MAIOREM. sed *fructum capere* vigiles inepte dicuntur, nisi cum Lambino addimus DULCEDINIS. ceterum *interea* hic est nihilo minus, ut in III, 1020 et in hoc libro supra versu 83, item 394, ubi olim impressi habent *in terra*, quos male secuti sunt Avantius Naugerius Lambinus Forbiger.

1416. SIGILLA RELICTA. Corrector oblongi SIC *illa*.

1418. PELLIS ITEM CECIDIT VESTIS CONTEMPTA FERINA. Recte Marullus *Pellis* FERINAE.

1419. NUNC ESSE REPERTAM. Brixiensis editor et Marullus TUNC.

1425. QUO MAGIS INANOBIS. Correctores antiquissimi IN *nobis*.

1429. DUM PLEBELA TAMEN SIT. *Sid* quadratus et a correctore oblongus. *reliquid* quadratus in IV, 1137, idem *id* II, 683 V, 737. PLEBEIA Itali et Marullus.

1431. SEMPER ET CURIS. Itali et Marullus *et* IN *curis*.

1436. MUNDI MAGNUM VERSATILE TEMPLUM. Marullus *magnum et versatile*. sed *versatile* non magis *templum* esse potest quam *locus*. ergo scribendum est *mundi* VERSATILIS: nam caelum etiam non versatile esse posse poëta non dixit nisi supra in emblemate, versu 517. duxit tamen e vitiosa scriptura poëta ineptissimus suum illud, quod est in anthologiae Burmannianae tomo II p. 298, *Sol facies mundi caelique volubile templum*.

1440. DEGEBAT. Itali et impressi DEGEBANT.

1441. DISCERETAQUE. In oblongo *ta* syllaba est in litura. in utroque factum DISCRETAQUE.

1442. TUM MARE VELIVOLIS FLOREBAT PROPTODORES, AUXILIA AC SOCIOS IAM PACTO FOEDERE HABEBANT. Haec cum nemo priorum probasset, elegantissima visa sunt Wakefieldo Eichstadio Forbigero Orellio, et si qui hunc poëtam, scilicet *arte rudem*, quaecumque nec Latina nec sanae mentis sunt decere existimarunt. plerique Marullum secuti scripserunt *Tum mare velivolum florebat navibus pandis*. Servius Petri Danielis (nam Burmannus verba interpolata dedit) ad Aeneïdos VII, 804 *Lucretius Florebat navibus pontus*. sic ille grammaticus carmina Lucretii neglegenter referre solet. mihi in vitiis apertis certam emendationem

Digitized by Google

apponere licet sine argumentorum ambagibus. scripsit poëta IAM *mare velivolis florebat* PUPPIB., ET *res Auxilia ac socios iam pacto foedere habebant*.

1444. CAEPERE. Sic uterque codex. supra 1416 *coepit* oblongus, quadratus *cepit*. in VI, 432 Wakefieldus cum suis *cepit*, imperite.

1449. VESTES, CETERA. Itali et Marullus *vestes* ET *cetera*.

1451. ET DEDALA SIGNA POLITO. *Dedala* per *e* semper membranae. *politos* olim impressi, Wakefieldus absurde *politus:* Antonius Marii et Marullus *signa* POLIRE.

1456. NAMQUE ALID EX ALIO CLARESCERE CORDE VIDEBANT. Quadratus *crescere*. *corde videmus* Faber; 'quod pro *animo* positum est', inquit. debebat certe esse *claruisse*, *donec ad summum venere* vel potius *venissent*. *videbant* autem Wakefieldus, qui revocavit, non magis quam ullus priorum explicavit. scribendum est *Namque alid ex alio clarescere* CONVENIEBAT, *Artibus ad summum donec venere cacumen*.

VI, 1. FRUGIPAROS FETUS MORTALIBUS AEGROS. Corrector oblongi *frugiferos* et AEGRIS.

2. DIDIDERUNT. Sic prima manu oblongus, a correctore antiquo *Didederunt*, quadratus *Dediderunt*.

4. SOLACI DULCIA. Durum hoc et ineptum. recte Itali et libri impressi SOLACIA, sed barbare qui per *t* scriptum exhibent, cum tamen *mendatium* nemo probet. libro V, 21 *Dulcia permulcent animos solacia vitae*.

6. PROFUDIT. *Profundit* quadratus. alterum confirmat Probus p. 1429.

7. ET EXTINCTA. Marullus EXTINCTI. *et* capiendum ita, *et eius extincti;* ut apud Vergilium *timeo Danaos, et dona ferentis*, id est *et eos dona ferentis;* quam superlativam dicit coniunctionem Diomedes p. 411. infra versu 19 *conlata foris, et commoda*. hoc ideo dico, nequis forte pro *etiam* positum existimet.

10. FERME ACORTALIBUS. Itali et impressi MORTALIBUS.

11. ET PRO QUAM POSSENT VITAM CONSISTERE TUTAM. Marullus non satis proprie *per quae* et *consciscere*. Avantius *per quae possent vitam consistere;* quo Turnebum decepit, qui illud quasi bono auctore traditum defendere ag-

Digitized by Google

gressus est, in adversariis II, 12 diversissima conferens, *insistere viam* et *feras subsistere*. *consistere* ita ut *constituere* valeat non dici Gronovius et Drakenborchius demonstrarunt ad Livii librum XXVII, 17, 11. neque credo Gellium libro V, 10 scripsisse *et cum ad iudices coniciendae consistendaeque causae gratia venissent*, sed *consciendaeque:* iudex enim *conscit*, hoc est cognoscit, *causam*; cum eam partes *coniciunt;* quapropter ex XII tabulis et *causam conscito* et usitatiore vocabulo *conicito* relatum legimus, quia utrumque coniunctum est. in Lucretii versu apparet scribendum esse *pro quam* POSSET. Handius in Tursellino, tomo IV p. 616, *pro quam* libro II, 1137 et III, 199 quod non sine magna librorum scriptorum discrepantia legi dicit, fallitur: nam vetera exemplaria non discrepant. aeque Latina sunt *pro ut*, *prae ut*, *pro quam*, *prae quam*, neque ab his differunt *praeter quam*, *post quam*, *ante quam*, *super quam*.

13. BONA GNATORUM EXCOLERE FAMA. Quadratus *gnotorum excollere*. EXCELLERE Itali.

14. NEC MINUS ESSE DOMI CUIQUAM TAMEN ANXIA CORDI. Haec, perversa cum sint, Wakefieldo placent. quadratus *domui*. recte Marullus CORDA. neque Lambinus haerere debebat in plurali: nam ita de Sibylla Vergilius *Et rabie fera corda tument*, neque aliter ceteri poëtae.

15. ATQUE ANIMI INGRATIS VITAM VEXARE QUERELLIS PAUSA ATQUE INFESTIS COGET SAEVIRE QUERELLIS. In priore versu Pium et Wakefieldum *ingratis* fefellit, quod est *invitos*. in V, 44 *At nisi purgatumst pectus, quae proelia nobis Atque pericula tumst ingratis insinuandum*. e quibus apparet in versu alterutro *periclis* scribendum esse, cum *querellae* bis locum tueri non possint. tum qui decursum sententiae perceperit (praecesserunt enim haec, 'cum vidit homines tamen anxios esse et invitos vexari'), non dubitabit scribere PASSIMQUE *infestis* COGEI *saevire*, id est irasci ac trepidare. et *cogi* Lambinus scribendum vidit, cetera non est assecutus. superest ut quaeratur utri versui *pericla* magis conveniant. *animi querellas* recte dici quae ex animo fiant, nemo negabit: *infestas querellas* non intellego. ergo dicemus *infestis saevire* PERICLIS, ut in III, 1076 *tanto opere in dubiis trepidare periclis*.

17. INTELLEGIT IBI VITIUM FAS EFFICERE IPSUM.

Digitized by Google

Egregie Itali VAS, ex re et ex libro III, 440, ubi est *corpus quod vas quasi constitit eius*, item 555 *illius quasi quod vas esse videtur*. et simillima sunt haec in III, 936 *Et non omnia pertusum congesta quasi in vas Commoda perfluxere atque ingrata interiere*. recte autem Wakefieldus restituit *Intellegit;* qua forma Lucretium usum esse eo credibile fit quod eodem prope tempore C. Licinius Macer in XVI annalium dixit *omnium nostrum neglegerit auctoritatem*. hoc qui referunt, Diomedes p. 366 et Priscianus p. 895 Aemilium Macrum appellant; quod falsum esse Weichertus docuit de Licinio Calvo p. 92. *neglegisse* et *neglegistis* Sallustio Tullioque vindicat Cortius ad Iugurtham 40, 1. Orellius ex Sallustio adfert *intellegerint*, oratione Lepidi §. 9 (23), neque aliter capiendum *intellegit* in Iug. 6, 2; quamquam *intellexi* et similia scribi video in Cat. 20, 3, in Iug. 93, 3, in oratione Macri 5 (9), *neglexeris* in Cat. 51, 24. *neglegi* pro *neglexi* Maius fortasse nimis confidenter adscribit Frontoni p. 328, cuius aetate Afri dixerunt *collexistis* et *colleximus*, quae inveniuntur in euangelio Matthaei vulgatae editionis XXV, 35 et 38. hoc scholiasten Iuvenalis in sat. III, 175, ubi libri habent *quae exissent*, usum esse puto, *ut quicquid lacrimarum adque tristitiae conlexissent ex tragicis affectibus, huiusce spectaculi risus detergeret*.

22. CONSPURGARE. Corrector oblongi CONSPURCARE.

25. CUPPEDINIS. *Cupedinis* quadratus. *torpedinis* apud Lactantium institutionum VII, 27, 6. unice verum est *finem cuppedinis atque timoris*, τοὺς ὅρους τῶν ἀλγηδόνων καὶ τῶν ἐπιθυμιῶν, λύειν τοὺς φόβους τῆς διανοίας καὶ τὸ πέρας τῶν ἐπιθυμιῶν διδάσκειν. sic Epicurus apud Laërtium X, 142. sic in V, 45 Lucretius *Quantae cuppedinis acres curae quantique perinde timores*. ad Epicurum Horatius quoque respicit, cum dicit *Qui cupit aut metuit*, et *qui cupiet metuet quoque*.

27. TRAMITE PARVO. Exemplaria Lactantii *limite parvo* vel *prono*. haec de via et tramite non dubito quin poëta ab Epicuro sumpserit: sed adhuc nihil eius modi relatum inveni. Horatius epistularum I, 18, 103 *An secretum iter et fallentis semita vitae*, quae dicta est ἐκχώρησις τῶν πολλῶν apud Laërtium X, 143. Epicureus apud Ciceronem de finibus I, 57 *o praeclaram beate vivendi et apertam et simplicem et directam viam!* Metrodorum Epicureum scripsisse περὶ τῆς εἰς σοφίαν πορείας testatur Laërtius X, 24. Varro περὶ αἱρέσεων apud

Digitized by Google

Nonium p. 94, 30 *a primo compito dextimam viam munit Epicurus*. idem Sciamachia περὶ τύφου apud eundem p. 202, 5 *hoc dico, conpendiaria, sine ulla sollicitudine ac molestia ducundi, ad eandem voluptatem posse perveniri*.

28. RECTA CONTENDERE CURSU. RECTO apud Lactantium, neque aliter corrector oblongi.

30. QUOD FUERIT NATURALI VARIEQUE VOLARET SEU CASU SEU VI, QUOD SIGNATURA PARASSET. Iacobus Susius apud editorem Londinensem *Quod* FIERET. corrector oblongi *quod* SIC *natura parasset*. par vitium similiter curari debet in M. Tullii de natura deorum I, 24 *Quae vero tribuitur vita isti rotundo deo? nempe ut ea celeritate contorqueatur, cui par nulla ne cogitari quidem possit. in qua non video ubinam mens constans et vita beata possit insistere; quodque in nostro corpore, si minima ex parte sic incitetur* (libri *significetur*), *molestum sit, cur hoc idem non habeatur molestum in deo*. porro recte docti *naturalem casum* nullum esse dicunt: neque casus secundum Epicurum a natura differt; quo fit ut in libro V, 107 *fortuna gubernans* dicatur eadem quae paulo ante 77 *natura gubernans*. nihil tamen probabile adferunt. legendum est *naturali Seu* CAUSA *seu vi*. omnia mala natura parante evenire dicit, sive ea causa appellanda sit, sive vis caeca: fieri enim casu. ceterum ad hos versus, *Quidve mali foret*, in quadrato manu saeculi decimi adscriptum est *O iuvenis, audi bonum consilium*.

32. E QUIBUS E PORTIS. Quadratus *et portis*. sed recte Itali ET *quibus*.

33. PRUSTRA. Corrector oblongi FRUSTRA.

34. VOLNERE. Impressi VOLVERE.

35. OMNIA CAELIS. Corrector oblongi CAECIS, ut in II, 55 et III, 87.

44. ESSE, NATIVO. Non satis est, si addimus *e*: recte editor Brixiensis et ante eum Itali ET. nam in his quae secuntur,

45. ET QUE CUMQUE IN EO FIUNT FIERIQUE NECESSEST PLERAQUE DISSOLUI, nimis absurda sunt illa, *fierique necessest*, aptissime posita infra versu 414. Lambinus nullo auctore dicto *Et quaecumque in eo fiunt fientque, necesse Esse ea dissolui*. lenius sic formabimus, *Et quoniam — quae cumque in eo fiunt* FATEARE *necessest Pleraque dissolui*.

Digitized by Google

47. QUANDOQUIDEM SEMEL INSIGNEM CONSCENDERE CURRUM VENTORUM EXIRTANT PLACENTUR OMNIA RURSUM, QUE FUERINT SINT PLACATO CONVERSA FAVORE. Quadratus et a correctore oblongus, item olim impressi, *placentur omnia:* oblongus prima manu *lacentur*. hic unus aliquid vidit Iohannes Auratus, homo ingeniosus. is et *currum Ventosum* scribendum intellexit, id est ΝΑΪΑΝ ἀΠΗΝΗΝ, navem celerem et agitatam ventis, et in fine *placato conversa furore:* nam placari favor qui possit, non apparet, etsi aliquis de ΚΡΟΤΟΘΟΡΥΒΟΙΣ amicorum Epicuri accipiat, de quibus Plutarchus ΠΕΡΙ ΤΟΥ ἀΚΟΥΕΙΝ p. 45 F. Auratum igitur secuti postrema facile integrabimus scribendo *Quae fuerint*, SINE, *placato conversa* FURORE. neque prima iam difficilia sunt, *Quandoquidem semel* INSTITUI *conscendere currum* VENTOSUM. quae a Manilio expressa esse monuit me Iacobus Bernaysius. sic igitur ille in V, 10, *Cum semel aethereos iussus conscendere currus Summum contigerim sua per fastigia culmen*. supersunt monstra medii versus, cuius sententia ut obscura non est (debet enim huius modi esse, 'et quoniam *rursus* novae tempestates instant'), ita de verbis nihil certi possum dicere: digna tamen Lucretio videntur haec, ET CERTANT PLANGENTIA FLAMINA *rursum*.

51. PAVIDIS CUM PENDENT MONTIBUS SAEPE. Corrector quadrati et Itali MENTIBUS.

52. ET FACIUNT ANIMOS HUMILIS. Non aliter Lactantius in II institutionum 3, 10 et in epitoma 25, 4. sed hae coniunctiones, quae sunt *et que*, hoc modo inter se coniunctae *Et faciunt humilis, depressosque premunt*, ut altera alteri ordinata sit, non sunt antiquae consuetudinis. Marullus *Efficiunt*. lenius est *Cetera* —, HAEC *faciunt animos humilis*.

53. AT TERRAM. Ita hic in oblongo scripta est *ad* praepositio, in quadrato *a*. oblongus in capitulo VI, 749 *at aedem*. *atmoderate* in II, 169 et *Atportant* in V, 221 uterque, quadratus *Atmixtumque* in I, 569, *atmixta* in II, 467, *atlisa* in IV, 570, *atfine* in III, 733. apud Frontonem p. 240 (124 Nieb.) *atpositas* homines doctissimos fefellit. in Varronis rerum rusticarum libro II, 8, 2, ubi est *Pullum asininum a partu recentem subiciunt equae, cuius lacte ampliores fiunt, quod id lacte at* (impressi *ac*) *alia omnia dicunt esse melius*, perspicuum est scribendum esse *at alimonia*.

Digitized by Google

56. 57. QUORUM OPERUM CAUSAS NULLA RATIONE VIDERE POSSUNT AC FIERI DIVINO NUMINE RENTUR. Haec orationis cursum interrumpere Lambinus vidit, qui male temptavit *et Quorum operum — Possunt, haec fieri:* recte Bentleius delenda censuit. qui huic assentitur Forbiger, idem, ne usquam perite iudicet, et eosdem versus infra (90) reicit et hic decem proximos (58—67) delet, quorum ultimus ne est quidem aliunde sumptus.

63. ADCISCUNT. In v, 87 ADSCISCUNT.

64. QUOS MISERIS CREDUNT. Ibidem MISERI.

68. LONGIQUE REMITTI DIS INDIGNA PUTARE. Impressi et olim Itali LONGEQUE REMITTIS, recte: sed coniungenda inter se haec sunt, *putare dis indigna*. Cicero in Catone 5 *quis coëgit eos falsum putare?* quod opponitur iis qui *obrepere aiunt senectutem citius quam putavissent*. idem ad Atticum epistularum XIV, 10, 2 *stantibus nobis, in quibus plus virtutis putarunt quam experti sunt*. Vergilius in VIII, 522 *Multaque dura suo tristi cum corde putabant*.

71. SAEPE ODERUNT; NON QUO VIOLARIS SUMMA DEUM VIS POSSIT, UT EXIRE POENAS PETERE INBIBAT ACRIS. Antiqui correctores VIOLARI. Marullus *ex* IRA. idem male *Saepe aderunt:* primus, quod mirere, Wakefieldus *Saepe* OBERUNT, quod ipse perverse interpretatur.

73. QUIETUS. Hoc absurdum. QUIETOS Marullus, ut in v, 168 *Quidve novi potuit tanto post ante quietos Inlicere?* sic Vergilius *Scilicet is superis labor est, ea cura quietos Sollicitat*.

74. IRARUM VOLVERE FLETUS. Itali FLUCTUS. in III, 298 *Nec capere irarum fluctus in pectore possunt*. et hic paulo ante 34 *Volvere curarum tristis in pectore fluctus*. Vergilius *Irarum tantos volvis sub pectore fluctus*.

76. SIMULACRA FUERUNT. Sic membranae et Antonius Marii: recte Brixiensis editor et Marullus FERUNTUR. in IV, 735 *Omne genus quoniam passim simulacra feruntur*.

82—84. MULTA TAMEN RESTANT ET SUNT ORNANDA POLITIS VERSIBUS, ET RATIO CAELISQUE TENENDA, SUNT TEMPESTATES ET FLUMINA CLARA CANENDA. Haec specie quam re difficiliora sunt, nec de versu mutilo desperandum. primum ubi enumerare incipit quae canere velit, non potest dicere *et*, sed *est ratio*. tum illa ratio non est *tenenda*, sed aut *habenda*, ut in I, 126 *superis de rebus*

Digitized by Google

habenda Nobis est ratio, aut, quod hic aptius, *canenda:* poterit tamen hoc etiam abesse, si ea quae necessaria sunt totum versum expleverint. quaenam sunt autem illa necessaria? Brixiensis editio *ratio caelis* (*caeli* Avantius) *speciesque*. quidam codices Pii *ratio caeli superumque*, Lambinus auctoribus libris manu scriptis (scilicet ita Antonius Florentinus et Marullus) *superum caelique*, unus Wakefieldi *caeli terraeque*. at illa omnia imperitorum commenta sunt ab argumento libri sexti aliena. in eo poëta sibi et *tempestates* canendas dicit, id est nubila, et *fulmina clara* (sic enim recte Antonius et impressi), idque fecit inde a versu 219 usque ad 494. ante haec a versu 96 usque ad 159 de tonitribus agit, deinde usque ad 218 de fulgurationibus: haec igitur illo mutilo versu contineri certum est, neque in tam anguste conclusa sententia de verbis dubitari potest, praesertim cum illud *tenenda* viam emendandi demonstret. ergo poëta scripsit EST *ratio* FULGENDI VISQUE TONANDI, *Sunt tempestates et* FULMINA *clara canenda*.

85—89. QUID FACIANT —— DOMINATUS UT EXTULERIT SE. Haec omnia pulcherrima sunt et huic loco valde accommodata. sed ii duo versus qui ea excipiunt orationis ordinem perturbant. nihilo minus iidem versus, *Quorum operum causas*, et ipsi prorsus ad rem faciunt, si illa priora abessent. ex quo apparet Forbigerum parum recto iudicio omnia pariter delevisse, nisi quod duos primos versus, *Quid faciant*, *Ne trepides*, qui soli per se nullum leporem habent, retinuit. quid enim clarius esse potest quam Lucretium, cum primo impetu hos quinque versus scripsisset, postea quam eos prope omnes maiore etiam cum vi et effectu alio loco poni posse viderit infra post versum 382, hic eis duos alios pariter aptos substituisse ex libro I, 153 repetitos?

86. NE TREPIDAS. Corrector quadrati et ceteri *Ne* TREPIDES.

87. PERVENERET. Sic oblongus: quadratus *pervenere*. recte in utroque scriptum versu 383. Wakefieldus tamen mavult *provenerit:* pro altero dicam ad versum 324.

91. FIER DIVINO. Corrector oblongi FIERI. sic uterque versu 57.

92. TU MIHI SUPREME PRESCRIBITA AC CANDIDA CALLIS CURRENTI SPATIUM PRAEMONSTRA. Corrector

Digitized by Google

oblongi PRAESCRIBTA. AD *candida* CALCIS Turnebus in adversariis II, 12.

95. CUM LAUDI CORONAM. Corrector oblongi LAUDE.

97. PROPTEREA QUIA. 98. CONTRA. In Apuleii de deo Socratis libro p. 137 Hildebr. antiquissima exemplaria *Propter alia* et *pro*.

102. PRETERE NEQUE TAM CONDENSO CORPORE NURE. Quadratus *Pratere*. oblongus *tamen*. corrector oblongi PRAETEREA. Itali et Marullus NUBES.

103. QUAM SUNT PEPIDES AC IIGNA. Quadratus *ac igna*, ex quo corrector fecit LAPIDES *aut* TIGNA. *lapides* impressi, sed iidem *ligna: tigna* Itali et Marullus.

105. NAM CADERE AVI BRUTO DEBERENT PONDERE PRESSAE. Oblongus *Nam candere*. eius corrector, Itali, impressi, *aut bruto;* quod probandum esset, nisi Lucretius semper *aut* ante diiuncta poneret. itaque quia non potest scribi *Nam aut cadere bruto*, puto poëtam dedisse *Nam cadere* AB *bruto deberent pondere pressae*. malo autem *ab* quam *a*, quia membranae habent *aui* et pro *ab* aliquando *au* scribitur. in II, 99 codex uterque *av ictu*, item *aveant* in I, 1108, in IV, 288 et 1234 oblongus prima manu *av speculo* et *Avsterrent:* in Lucilii versu apud Nonium p. 35, 11 *sustulit* pro *avstulit:* glossaria Labbaei *avsumat:* in gromaticorum corpore p. 176, 4 *av agrorum*. Lucretius ante *b* litteram hac praepositione saepius non utitur. in lege Thoria 56 *ab bonorum emptore*. *ab boreae gyro* Manilius in I, 685. Charisius p. 207 *ab bibliotheca*. apud Caesarem de bello Gallico III, 11 *ab Belgis*, VI, 14 *a bello*, scilicet in vulgari vocabulo alterum, alterum in proprio et signato.

110. MATOS. Itali MALOS. sic in IV, 77 *Per malos volgata trabesque*.

111. PETUIANTIBUS AURIS. Corrector quadrati et ceteri PETULANTIBUS.

112. ET FRAGILIS CHATARUM COMMEDITATUR. Quadratus *flagilis*. CHARTARUM corrector oblongi. SONITUS Itali addiderunt; quod satis bonum est, sed incertum.

114. CHARTASQUE VOLANTIS. Marullus CHARTASVE.

115. PLANGUENTQUE PER AURAS. *Plaguentque* quadratus. Marullus PLANGUNTQUE.

Digitized by Google

116. Fit quoque enim inter dum non tam concurrere —— possint. Hic Pius 'lego' inquit 'ex prisca lectione *interdum* ut *non tam*'. cui de prisca lectione non confido: sed Marullus et Avantius *ut* ingerendum esse non viderant, nedum Wakefieldus. exhibet tamen illud Antonius Marii filius.

118. radentes corpore tractim. I. F. Gronovius observationum II, 1 p. 214 et T. Faber corpora.

119. auris terget. Apud Nonium p. 245, 6 *auris et* vel *auritopet*.

120. exierum. Creechius exierunt, cum vulgo inventum Italorum, quod erat *exierit*, male probassent.

122. graviter emere. Corrector oblongi *gravi* tremere.

124. concollecta. Corrector oblongi collecta.

126. Turbine versante. Itali et Marullus versanti. in V, 664 *Dispersos ignis orienti lumine cerni*. in eodem 887 *Membraque deficiunt fugienti languida vita*. in I, 306 Nonius *eaedem candenti sole serescunt*, in VI, 1197 *Octavoque fere candenti lumine solis*. sic saepe in versibus hexametris in consequentiae significatione.

128. Post ubi conminuit vis eius. Quadratus *comunuit*, oblongus a correctore *commovit*, itaque Antonius et impressi. sed verissimum est *conminuit*, quod in oblongo prima manu agnoscere videor: nam *min* litterae plane conspici non possunt. id Isidorus, qui hunc totum locum exprimit originum XIII, 8, rectissime interpretatur *perscidit*. huius verba subieci. *cum procella vehementissimi venti nubibus se repente immiserit, turbine invalescente exitumque quaerent nubem, quam excavavit, impetu magno perscindit*. editur quidem illic *proscindit*, sed male, et correxit Wakefieldus ad versum proximum.

129. Tum perterricrepo sonitu dat missa fragorem. Lambinus 'procella emissa edit fragorem.' neque aliter Isidorus, qui iis verbis quae modo apposui subicit haec, *ac sic cum horrendo fragore defertur ad aures*. sed id huic rationi, de qua poëta nunc agit, non congruit: hic enim nubes perscissa ac perforata vento sonum edit, non ventus perscindens nubem, de quo mox dicet septem versibus interiectis. adde quod in proximis vesicula displosa sonitum

Digitized by Google

dare dicitur, non anima vesica inclusa. ergo manifestum est Lucretium scripsisse de nube *dat* FISSA *fragorem*. pertinent huc illa Epicuri apud Diogenem x, 100, βροντὰς ἐνδέχεται γίνεσθαι —, καὶ κατὰ ῥήξεις δὲ νεφῶν καὶ διαστάσεις, non ea quae Lambinus attulit, καὶ κατὰ πνεύματος ἐν τοῖς κοιλώμασι τῶν νεφῶν ἀνείλησιν, καθάπερ ἐν τοῖς ἡμετέροις ἀγγείοις, id est *per ventum in nubium cavitatibus tortum, qualia sunt in visceribus nostris tormina*.

130. NEC MIRUM, CUM PLENA ANIMAE VENSICULA PARVA SAEPE ITA DAT PARVUM SONITUM DISPLOSA REPENTE. *Vessicula* in quadrato factum antiqua manu, non a solitis correctoribus. *vensicam* scribi iubet Caper p. 2246, *Vensica n habeat, quoniam non est sine vento:* ita haec ad numeros suos revocanda sunt, quorum permulta extant in Capri praeceptis vestigia. *de vensica* Puteaneus Martialis in XIV, 62. Isidorus, *quod mirari quis non debeat, cum vesicula quamvis parva magnum tamen sonitum displosa emittat*. multo rectius hic *magnum emittat*, quam aut Marullus *Saepe ita dat pariter* aut Wakefieldus *Saepe ita dat magnum* vel *per vim*. non potest dubitari quin poëta dederit *Saepe* DET HAUT *parvum sonitum*.

132 et 136. PERFIANT. Corrector oblongi PERFLANT. ceterum Brixiensis editio *Et sonitus faciunt*, Lambinus *Cur faciant*. recte libri antiqui et Veronensis editio *Est ratio ut sonitus faciant*. infra versu 639 *ratio quae sit, per fauces montis ut Aetnae Exspirent ignes*.

138. PERFINGENS. *Perfrigens* quadratus. corrector oblongi PERFRINGENS.

141. ARBUSTA VOLVENS. Corrector oblongi EVOLVENS.

144. CUM FRANGITUR AEST. Corrector oblongi et exemplaria impressa *aestu*, absurde. verum est AESTUS, quod scripsit Antonius Marii.

145. FIT QUOQUE, UBI E NUBI IN NUBEM VIS INCIDIT ARDENS FULMINIS, HAEC — IGNEM CONTINUO — TRUCIDAT. *Continuo ut* Lambinus, cum Marullus fecisset *trucidet*. curandum lenius una littera subtracta, ID *quoque*. id est *quin etiam*. libro I, 655 *Id quoque, si faciant —, Denseri poterunt ignes*. Ovidius in tristium V, 3, 53 ad poëtas contubernales *Id quoque, si vestrum merui candore favorem —, Sic*

Digitized by Google

igitur dextro faciatis Apolline carmen, Quod licet, inter vos nomen habete meum, id est Quin etiam, quod licet, nomen meum vestrae professioni adscribite. sic ille Flacco modestius, qui cum se *lyricis vatibus insertum iri* sperat, Maecenati docto poëtarum iudici adeo probari cupit ut ab eo in ordinem lyricorum redigatur decimus et idem unus Italorum.

149. PROPTER DEMERSIMUS. Inepte adiectum *propter*, id est iuxta. egregie Marullus PROPERE.

151. INGENTIS SONITU SUCCENSA RECENTE. Corrector oblongi INGENTI. RFPENTE Itali et Brixiensis editio.

153. TURNE VENTORUM. In utroque vetere correctum TURBINE.

154. NEC RES. UITA MAGIS. Apud Macrobium Saturnaliorum VI, 4 *res* ULLA. infra versu 1009 oblongus prima manu *res ula*.

155. SONITUM. Correctores veteres et Macrobius SONITU.

156. GELI. Alieno loco positum apud Nonium p. 487, 4.

158. FRANGUNTUR IN ARTUM CONCRETI MONTES NIMBORUM. Immo *in* ARTO *franguntur* nubes gelu concretae, cum eas ventus confercit. Epicurus apud Diogenem X, 100 καὶ κατὰ παρατρίψεις δὲ νεφῶν καὶ κατάξεις, πῆξιν εἰληφότων κρυσταλλοειδῆ.

160. NUBES. *Nubis* apud Nonium p. 506, 11.

162. PERCUCIAT. Sic uterque vetus; quod miror. corrector oblongi fecit T.

165. FUGERE. Corrector quadrati et impressi FULGERE.

165. AD AURIS TARDIUS ADVENIUNT. Isidorus, qui his utitur originum XIII, 8, bis dicit *tardius ad aures pervenit*, atque ita ipse alibi poëta. fortasse hic quoque *s* litterae elisio emendatoribus displicuit, *Tardiu' perveniunt*. idem Isidorus de natura rerum cap. 30 *Dehinc sequuntur tonitrua; quae licet sonitu tardiora sint, praecedenti concussa luminis claritate, pariter tamen cum fulgure emittuntur. sed eorum sonitus tardius penetrat aures quam oculos splendor fulguris, ad instar securis arborem procul caedentis, cuius quidem ante cernis ictum quam ad aures perveniat sonitus.*

168. UNGIPITI VIDEAT FERRO. Brixiensis editio AN-

Digitized by Google

CIPITI *videant*, Antonius Marii *Ancipiti veniat*. VIDEAS Marullus.

170. SIC FULGUREM QUOQUE. Veronensis editio FULGOREM, itaque Antonius. hoc Cicero pro *fulgure* usus est, cum Homericum Ζεὺς δέ σφι Κρονίδης ἐνδέξια σήματα φαίνων Ἀστράπτει ita expressit, *Prospera Iuppiter his dextris fulgoribus edit*, de divinatione II, 82: et placuit hoc ipsi Maroni in VIII Aeneidos 524, *Namque inproviso vibratus ab aethere fulgor Cum sonitu venit*. sed Lucretius *fulgorem* proprie dicit et hic et in versu 217.

171. PARITER QUI MITTITUR IGNI E SIMILI CAUSA. Sic oblongus et Brixiensis: *Et simili* quadratus, Antonius, Veronensis. verius est *E*. 'tonitrua tardius ad aures veniunt, cum tamen pariter ac fulgura ab igni e simili causa emittantur'. at si duo membra sint, utrumque vim suam habere debet: horum autem prius, quo ignis utraque mittere dicitur, nullum momentum facit.

175. VERSATUS IBIDEM. His utitur Isidorus de natura rerum cap. 29. *Tonitrua autem*, inquit, *ex fragore nubium generantur: concepti enim intra sinum nubium ventorum spiritus versantur ibidem*.

178. ADESCERE. Corrector quadrati, Antonius, Brixiensis, ARDESCERE.

178. PLUMBEA VERO GLANS ETIAM LONGO CURSU VOLVENDA QUIESCIT. Immo CALESCIT: hoc enim nunc agitur, non quod a Marullo omnes acceperunt *liquescit*. Priscianus p. 726 et 750 nihil testatur nisi Lucretium recto casu *glans* dixisse, quod fecit et hic et versu 307.

180. PERSCINDIT. Itali et Brixiensis editio PERSCIDIT.

183. QUI TARDIUS ADLICIT AURIS. Absurdum de sono tonitrus. necessario scribendum est ADFICIT cum Bentleio.

184. OCULORUM AD LUMINA NOSTRA. *Limina* oblongus et Antonius Marii; quod probat ineptiarum amator Wakefieldus. *oculorum lumina* saepius dixit Lucretius.

185. ALTI. Marullus ALTE.

191. CULATA. Corrector quadrati CUMULATA, itaque olim impressi et Marullus.

192. ATQUE URGERE SUPERNA IN SATIONE LOCATA. Oblongus URGUERE hoc uno loco: sed servandae sunt vel tenues antiquitatis reliquiae. tum corrector quadrati et ce-

Digitized by Google

teri *In* STATIONE *locata*. sed praeterea scribendum est *urguere* SUPERNE; quod Susio adscribit Havercampus, editor Londinensis eidem *superno:* certe *superne* Bentleius. nubila in statione manentia nullis ventis commota alia super aliis cumulata esse et superne urgere dicit. ita poëta *in statione manere* quater, IV, 388 395 V, 478 517, id est ΚΑΤΆ ΧΏΡΑΝ ΜΈΝΕΙΝ, item alii *in statione poni* vel *collocari* vel *stare* vel *paratum esse* vel *adesse* vel *tenere manus*, quibus nihil addi potest nisi forte *sua*. non satis proprie, ut intellego, in prognosticis Germanicus 59 *Nubila continua magis in statione manebunt*, et Manilius III, 76 *Non ut in aeterna caeli statione manerent*. sed *urgeri superne* est in libro Lucretii III, 893. post hos autem versus, *Contemplator enim* et cetera, collocandi sunt illi duo qui eos praecedunt, in utroque Vossiano nulla littera variante (nam Havercampus hic ut ubique fallit) ita scripti,

187. 188. NE TIBI SIT FRUDI QUOD NOS INFERNE VIDEMUS QUAM SIT LATA MAGIS QUAM SURSUM EXTRICTA QUID EXTENT. Olim impressi *quod extent*, non male, si intellegimus de numero, quot sint: nec tamen minus probabile *quid*, id est quantum. cetera aperta sunt et a Marullo correcta, *Quam* SINT et EXTRUCTA. sed illo loco et nimis dure positum est *enim*, hoc modo, *Ne tibi sit frudi, contemplator enim;* quae minus reprehenderem, si his nihil interiectum esset: et cum modo de *densis nubibus* dixisset, inepte subicitur neutro genere *lata* et *extructa*. quae incommoda evitabimus, si hos versus traiciemus: manet alterum, si cum Marullo scribitur *Nec tibi sit fraudi*.

199. FREMITU. Itali et impressi FREMITUS. Isidorus de natura rerum 46, 1 *huc atque illuc ventus fremitum et murmura mittit. dehinc quaerentis* (sic) *vi viam evadendi, dum sustinere eum terra non potuerit, aut tremit aut dehiscit, ut ventum egerat*.

201. CONVOLVUNT NUBIBUS. In impressis E additum.

205. LIQUIDI CALOR AUREUS IGNIS. *Calor* apud Macrobium quoque in VI Saturnaliorum, capite 5, *color* apud Servium ad eclogam VI, 33. ad rem facit COLOR, non *calor*.

207. IGNES HABERE. Itali IGNIS.

208. FLAMEUSQ. PLERUMQUE COLOS ET SPLENDIDUSOLIS. Quadratus et corrector oblongi *Flammeus plerum-*

Digitized by Google

que: idem corrector *splendidus solis*. Itali FLAMMEUS EST: iidem Itali et corrector quadrati *splendidus* OLLIS.

209. QUIPPE ENIM SOLIS DE LUMINE. Corrector quadrati et cum Italis exemplaria impressa *Quippe etenim*. sed in proximo membro erat item *etenim*, ut putes nunc causam causae dici. fugientes litteras codicis archetypi rectius ita colligemus, QUIN ETIAM *solis*. 'nubes cum natura sua semina ignis continent, tum alia a lumine solis concipiunt'. versu 271 *permulta vaporis Semina habere cavas nubes, et multa necessest Concipere ex solis radiis*.

210. UT MERITO IUBEANT. Itali et Brixiensis editio RUBEANT.

213. QUE FACIUNT FLAMMAE FULGERE COLORES. *Fulgure* Veronensis editio. recte Avantius FULGORE: nam *fulgere* producte Lucretium non dicere vidimus libro v, 768. versum proximum Nonius habet p. 506, 12.

216. INGRATIUS. I. B. Pius INGRATIS.

217. TUM SINE TAETRO TERRORE ET SONIS FULGIT. *Et* SONITU Marullus. Wakefieldus cum Antonio Marii filio *sonitis*, quasi in hoc genere quidlibet audere liceat. genetivi innumeri sunt, ut *soniti*, *ornati*, *adventi*, *gemiti:* pluralia nulla novi, nisi *flucti* et *versi*, et in obliquis *versorum*, *versis*, *specis*, *fetis*, *caestis*, quae notarunt Nonius p. 487, 23 488, 11 489, 5 492, 8 et Priscianus p. 712. errat Nonius in *mercatis* p. 138, 9.

219. QUOD SUPER EST, NATURA PREDITA CONSTENT FULMINA, DECLARANT ICTU ET INUSTA VAPORIS SIGNA NOTAEQUE GRAVIS HALANTIS SULPURIS AURIS. *Alantis sulduris* quadratus. Lambinus rectissime QUALI *natura praedita constent*, ut versu 739. tum *vapore* impressi omnes: Itali et Marullus *declarant ictus et inusta* (Marullus vel Candidus *mista*) *vapore Signa*. sed ictus fulminis, id est plaga, quomodo declaret igneam esse fulminis naturam non video. Wakefieldus subbalbe ac subinsulse *ictu subinusta vaporis Signa*. fortasse latet aliquid doctius, sed simplicissimum est *ictu* LOCA *inusta*, *vaporis Signa*, *notaeque gravis halantis sulpuris* AURAS. nam *auras* recte Marullus.

223. PRAETEREA SE ACCENDUNT. Itali et Marullus sine sensu *per se*. Vossius et Wakefieldus SAEPE, quod sufficit.

Digitized by Google

226. MINUTIS MONTIBUSQUE CORPORIBUS. Sic libri veteres et Veronensis editio. Marullus verissime MOBILIBUSQUE. Antonius Marii et Brixiensis editor inepte *motibus atque:* id Wakefieldus probat cum asseclis suis.

228. 229. TRANSIT ENIM VALIDUM FULMEN PER SEPTA DOMORUM, CLAMOR UT AC VOCES, TRANSIT PER SASCA, PER AERA. Oblongus *hac voces*. *per* SAXA corrector quadrati et Itali. horum prior pars in primo quoque libro legitur ita 489, *Transit enim flumen caeli per saepta domorum, Clamor ut ad voces;* ubi scribendum esse vidimus *Transit enim fulmen caelum, per saepta domorum Clamor it ac voces*. sed illa quae libri exhibent ne hic quidem ferri possunt: nam neque domorum saepta tam dura sunt ut ea fulmini non obsistere mirandum sit, neque hoc ea transit ita ut clamor ac voces, sed plerumque laedit et ut modo dictum est accendit et in aedibus dominatur. itaque in his quoque illum interpolatorem philosophum agnosco, qui cum utrobique *Transit enim fulmen* legisset, aut utrumque locum pariter corruperit, aut quae in libro primo iam corrupta invenisset huc imperite transtulerit. poëta haec tantum scripserat, *Transit enim validum fulmen per saxa, per aera*.

231. CURAT ITEM VASIS INTEGRIS VINA REPENTE DIFFUGIANT. Lambinus *item ut*. sane *curare* cum simplici coniunctivo dixerunt paucissimi. in omnibus Plauti ac Terentii fabulis unum exemplum est, in Curculione IV, 2, 31: sed versus ruit, nisi *ut* vel *et* infulcimus ita, *Elóquere quid vis. quáeso ut hanc curés, [ut] bene sit ísti*. item in versu Pomponii, qui est apud Nonium p. 275, 24 et 469, 20, potius est ut scribamus *Mágis curabo ut, ubi cognorint, omnes una assentiant*, quam cum Munkio p. 92 *Magis curabo ubi*. Lucilius apud Nonium p. 118 *curare domi sint Gerdius, ancillae, pueri, zonariu', textor*. in lexicis est ex Ciceronis epistulis II, 8, 1 *ne illa quidem curo mihi scribas*, et ex Phaedro V, 2 *iam curabo sentiat Quos adtemtarit*. addit Burmannus Petroniana ex cap. 58, *curabo iam tibi Iovis iratus sit et isti qui tibi non imperat;* scilicet magistro tuo Agamemnoni (nam interpretes non recte capiunt); et ex eodem capite *curabo longe tibi sit comula ista bessalis*. Fronto p. 228 (78 N.) *tibi saepe numero curandum, in theatrum crocum longe adque alte exprimatur*. in Ciceronis pro Caecina oratione libri dissentiunt §. 11, *curavit [ut] in eo fundo*

Digitized by Google

dos collocaretur: vide Kellerum in semestrium II p. 443: Erfurtensis codex habet coniunctionem. ex poëtis bis ita Horatius, *nihil adlabores Sedulus, curo*, et *Imprimat his cura Maecenas signa tabellis*, neque is umquam *ut* addidit. Vergilius quidem Ovidius Iuvenalis neutra ratione usi sunt: sed Lucretius III, 127 *curare in membris ut vita moretur* et V, 1015 *Ignis enim curavit ut alsia corpora frigus Non ita iam possent caeli sub tegmine ferre*. ergo hic aut cum Lambino addendum est *ut*, aut potius faciendum *Curat* UTEI *vasis integris*. similiter exemplaria peccare vidimus libro I, 753 et tertio videbimus infra versu 1022.

233. RAREQUE FACIT LATERAMINA VASIS. Quadratus *facet*. oblongus *latera minua*. Marcianus Capella libro III §. 295 *Lucretius tamen genetivo vasi, ut rarique facit lateramina vasi*. utramque genetivi formam Charisius agnoscit p. 119, cuius tempore *vasum* antiquatum erat, sed vulgo dicebatur *vaso*, quo iam usus est Columella II, 2, 20. Vitruvius VIII, 1, 4 *vaso*, sed idem *in vasum* IX praef. 11. declinationem *iugeri*, in qua simillima imparilitas est, ante aliquot annos docui in novo museo Rhenano III p. 609: sed tum praetermisi *iugerum* genetivum, quem notavit ex Lucilio Charisius p. 40, ubi scriptum est *iugerum*, quod dixerunt omnes.

234. ADVENIENS CALOR EIUS, UT INSINUATUS IN IPSUM MOBILITER SOLVENS DIFFERT PRIMORDIA VINI. Haec quia sententiam non faciunt, Wakefieldo eiusque asseclis placuerunt. apparet autem scribendum esse ET *insinuatus*. Antonius Marii *ut insinuetur*. Marullum et Lambinum fefellit impressorum exemplarium vitium, in quibus erat *ut insinuatur*. recentiores debebant scire *ut* pro *ubi* in temporis significatione non esse Lucretiani usus.

237. USQUE ADEO TELLENS FERVERE CORUSCO. Sic veteres, nisi quod in oblongo est *usquae* priore *u* in litura posito. FERVORE correctores utriusque Vossiani. *tollens* inepte corrector oblongi, neque prudentius *cellens* Wakefieldus probavit, quod in quadrato esse falso, ut pleraque, Havercampus rettulerat. Lambinus verissime POLLENS.

239. NUNC EA. Sic oblongus, sed *cea* in litura: *Non ea* quadratus. itaque in codice archetypo quid fuerit non constat: neque refert scire.

241. AVELLERE IGNA TRABESQUE. Factum in qua-

Digitized by Google

drato *signa* antiqua manu et fortasse ab ipso librario. in oblongo prima manus totum vocabulum omisit: corrector vetus in margine addit *ligna*. TIGNA Antonius Marii et Lambinus.

242. ET MONIMENTA VIRUM COMMOLIRI ATQUE CIERE. Marullus *demoliri*. hoc probato Pius *ciere* interpretatur commovere, disturbare. hoc illi saeculo condonandum est: Wakefieldus perversior, qui haec effutire audeat, 'ita commoliri, vel aggredi, ut cieant, sive eruant, et e loco moveant'. immo 'monimenta extruere et ad progrediendum excitare'; quod absurdum est. rei consentaneum est *Et* LAMENTA *virum commoliri atque ciere*.

245. NEQUE IN PROMISSIS PLURA MORABOR. Sic oblongus: quadratus *nequiquam promissis*. *neque* TE *in* Itali et Marullus. libro v, 91 *ne te in promissis plura moremur*. sic ibi oblongus, quadratus *nec in promissis plura meremur*.

246. FULMINA GIGNI E CLASSIS. Titulus in oblongo *Fumina* (corrector *Fulmina*) *in crassioribus nubibus et alte gigni*. Marullus GIGNIER *e* CRASSIS.

250. QUOD TUNC PER TOTUM. TUM scribendum esse dixi ad librum I, 130.

257. UT PICIS E CAELO DIMISSUM FULMEN. Marullus DEMISSUM FLUMEN.

258. SIC CADIT ET FERTUS TENEBRIS. *Et* constructioni obstare Havercampus vidit. cur ergo nec ipse nec qui eum secuti sunt viderunt scribendum esse EFFERTUS? praesertim cum *fertus* Latine non dicatur, sed *fartus*. nam Cicero in oratore 163 dubitari non potest quin scripserit *at 'Auratus aries Colchorum' splendidis nominibus inluminatus est versus, sed proximus inquinatus insuavissima littera, 'Finis frugifera et efferta arva Asiae tenet'*. in priore versu alterum nomen Graecum fuisse, quod Cicero reticuerit, verba indicant. fortasse scripserat tragicus *et qua Lydiae Finis frugifera et efferta arva Asiae tenet*.

269. OMNIA PLANA. Impressi PLENA, itaque Antonius Florentinus.

272. SEMINA HAECDERE CAVAS NUBES, ET MULTA NECESSET. *Semina* HABERE Marullus, ut versu 207. NECESSE EST olim impressi et Antonius.

277. INSINUATUS IBI VORTEX VERSATUR IN ALTO.

Digitized by Google

Vertex quadratus. sed cur *in alto?* immo ubi ventus nubes in unum forte locum quemvis coëgit. ergo *in* ARTO.

281. INDE UBI PERCALUIT GRAVIS VENTIVIS IGNI IMPETUS INCESSIT. Modo dictum erat venti verticem et sua mobilitate incalescere et ab ignibus nubium supervenientibus. ergo ita nubes, in qua ventus inclusus est, percalescit aut a vento incluso aut ab ignibus increscentibus. hinc apparet quomodo versus mutilus restituendus sit: scribendum est enim *Inde ubi percaluit* GRAVIDA, AUT *vis* IGNIS ET ACER *Impetus incessit*. paulo ante versu 259 erat *fulminibus gravida tempestas*, infra 440 *gravida nubes*, et hic 296 de certa coniectura *gravida maturo fulmine nubes:* adde Manilium I, 853 et II, 75. supra 128 *impetus acer*.

285. QUEM GRAVIS INSEQUITUR SONITUS, DISPLOSA REPENATI OPPRIMERE UT CAELI VIDEANTUR TEMPLA SUPERNE. Oblongus *displosa* REPENTE, *te* in litura, cui quid subsit non apparet. sed *Opprimere* non satis proprie dictum est, cum deberet esse *oppressura terras*. rectius diplosa caeli templa gravem sonitum EXPRIMERE dicuntur.

288. MURMURA PECURRUNT CAELUM. Quadratus *Murmura appecurrunt*. Correctores antiqui PERCURRUNT.

290. QUO DE CONCUSSUS. Oblongus prima manu *concussas:* corrector *concussus*, ut quadratus. huius corrector et post eum primus Marullus CONCUSSU. reliqua huius versus verba habet Priscianus p. 647.

291. OMNIS UT VIDEATUR. Marullus UTI.

292. AD DILUVIEM REVOCARE. Immo REVOCARI cum Bentleio, ut in V, 255 *Pars etiam glebarum ad diluviem revocari*. Wakefieldus absurde, ut solet, 'aether videtur revocare imbrem in diluviem'. sed versu proximo discidio nubis ventique procella non sonitus mitti dicitur, ut visum est interpretibus, sed imber.

295. ES ETIAM. Sic oblongus: *Esset iam* quadratus. corrector oblongi EST *etiam*.

296. IN VALIDA MATURO CULMINE NUBEM. Marullus FULMINE: sed praeterea scribendum cum Bentleio GRAVIDAM.

297. IGNEUS ILLE VERTEX, QUEM SPATIO VOCITAMUS NOMINE FULMEN. *Quem expatio* quadratus. corrector quadrati *Latio*, non male, sed haud scio an melius Itali PA-

Digitized by Google

TRIO: interpretes Vergilii Veronenses ad Aen. II, 649 *Epicuri* (sic) *autem ita tractant ut poëta elocutus est, ventumque igneum fulmen vocant ac nubibus excuti aiunt, sicut et Lucretius tradit*. πῦρ πεπνευματωμένον dicit Epicurus apud Diogenem X, 100 104.

302. DUM VENIT, AMITTENS. Immo CUM *venit amittens:* alioquin oratio non constat.

308. CONCIPIT. Itali et impressi CONCEPIT.

309. IPSIS PLAGAE. Marullus IPSIUS.

315. HOC SETIUS ILLE SEMINA CONCURRUNT. *Secius* prima manu oblongus; quod falsum est. tum qui Lucretium noverit ILLI scribendum videbit. male omnes Marullum secuntur, qui fecit *illa*.

318. ET INDONEAT FLAMMIS. Corrector quadrati et Itali IDONEA.

320. EX QUAE TANTAU MISSA SUPERNEST. Quadratus *exque* et *supernist*. TANTA VI recte Itali, sed iidem male *ex quo*. scribendum EA *quae*.

321. IN CURSUS NON. Itali *in cursu* SI *non*.

322. COLORE. Iidem CALORE.

323. NOBILITAS. Corrector oblongi MOBILITAS.

324. AT CELERI FERME PERCUNT FULMINA LAPSU. Naugerius ET *celeri*. Wakefieldus Marullum secutus cum suis *Ac*, turpiter ignorantes quod olim observatum est, hanc particulam ante gutturalem aut vocalem non poni; in qua regula quid excipiendum esset, egregie exposuit Hauptius in observationibus criticis p. 35. tum corrector oblongi *pergunt*, Antonius Marii *iam pergunt*, olim impressi *pergunt ubi*, Marullus *pergunt sic*, Wakefieldus *pergunt tibi*. verum est PERCURRUNT, id est usque ad finem propositum currunt. ita in V, 1407 *Et supera calamos unco percurrere labro*, et Propertius III, 16, 49 *Vidistis toto sonitus percurrere caelo*. nostro sermone dicimus *hin laufen*. Vitruvius in IX, 1, 10 *Martis (stella) — in quibus signis celerius percurrit*, 14 *reliquae stellae — celerius percurrere videntur*. hoc rarissimi usus est; paulo tritius *pervagari in locis*, ut apud Vitruvium II, 6, 3, apud Ovidium fastorum VI, 521 *Rumor, ut est velox, agitatis pervolat alis*; minime mirum id quod me Hertzbergius ad Propertium praetermisisse arguit, cum etiam in lexica relatum sit, *percurrere ad forum*. eadem lexica *percurrere per* e Lucretio exhibent, VI,

Digitized by Google

668, *Perque mare ac terras rapidus percurrere turbo*, et e Cicerone in III accusationis 100, *nam per omnes civitates quae decumas habent percurrit oratio mea*. sic in Aetna 98 *atque animantis Per tota errantes percurrunt corpora venae*. sic Vitruvius in VIII, 3, 2 *per longum spatium terrae percurrentes*, 7 *quod per terrae dulcem sucum percurrit*. item 26. quibus simile est quod Handius in Tursellini tomo IV p. 432 protulit ex Caesaris bello Gallico IV, 33, *primo per omnes partes perequitant*. item eo modo Caesar in comm. VII, 66 *qui non bis per agmen hostium perequitassent*. non aliter Lucanus VII, 341 *totumque per agmen Sublimi pervectus equo*, Cicero de oratore I, 222 *peragrat per animos hominum*, Vitruvius II, 6 *penitus ignis et flammae vapor per intervenia permanans*, in II, 8, 12 *opinio per orbem terrarum pervagata*. nec mirabile est *perrumpere* addita viae significatione apud Silium Italicum in XII, 698, *etiamne parabit Nostras ille domos, nostras perrumpere in arces?* et in XIV, 522 *Perrumpunt Itali qua caedes prima reclusit Monstravitque viam*. sed *pervenire* absolute, ut esset venire quo aliquis perrexisset, Lucretius satis insolenter dixit in hoc libro 383 ita, *Unde volans ignis pervenerit*, id est huc pervenerit, et similiter in IV, 285 554; nec tamen solus: nam in Vergilii ecloga IX, 2 ingrata sunt quae homines docti comminiscuntur, ut mihi tenendum videatur quod libri veteres praebent, *O Lycida, vivi pervenimus, advena nostri (Quod numquam veriti sumus) ut possessor agelli Diceret 'haec mea sunt'*. *perducere* vero, in quo inest actio, dubito an non possit ita dici. certe Lucretius in V, 1027 id ausus non est, sed scripsit non sine demonstratione finis *Nec potuisset* adhuc *perducere saecla propago*. neque credibile videtur aut a Catullo esse haec 109, 5, *Ut liceat nobis tota perducere vita Aeternum hoc sanctae foedus amicitiae*, aut a Propertio I, 3, 39 *O utinam tales perducas, improbe, noctes*.

329. MISA. Alibi iidem libri MISSA. sed haec sono non differunt in longa vocali. *dimisa* quadratus in III, 356. in V, 629 oblongus *demisior*, *dimisior* quadratus. sine ullo ad pronuntiationem emolumento veteres scripserunt *caussa cassu comessum cessit ussit*.

335. DEINDE QUOD OMNINO — DEORUM. Itali DEORSUM. sed illud *quod* unde pendeat nihil est. ergo faciemus ADDE *quod*: hoc enim solet ita repetere Lucretius. vide III, 828 829 1036 1037 IV, 1121 1122 VI, 611 613.

Digitized by Google

336. CUM PLAGASI ADDITA VERO. Hoc est *cum* PLAGAST *addita*, ut versu 246 et 262 oblongus prima manu *putandumsi*. impressi omnes soloece *cum plaga sit*.

339. PLAGIS. Apud Nonium p. 482, 25 *gladis* vel *gladiis*.

344. E REGIONEM LOCUM. Oblongus, cui deerat *E* prima manu, a correctore *E* REGIONE.

346. TRAHAT HERE. Corrector oblongi AERE.

347. INCENDUNT MOBILITATEM. Oblongus *incedunt*: sed recte quadratus *incendunt*. recte protulit Vergiliana illa Wakefieldus, *Illam incendentem luctus, Tum pudor incendit vires*.

349. FORAMINIBUS LIQUIDUS QUIA TRANSVIAT IGNIS. Infimae aetatis vocabula sunt *obviare* et *deviare*, hoc est obsistere et de via deflectere, eodemque modo Itali dicunt *ovviare*, id est prohibere, *inviare* et *avviare*, mittere, *diviare sviare trasviare traviare* in abducendi vel aberrandi significatione. his multo peiora sunt quae Solino et Ambrosio adscribuntur *inviare* et *praeviare*, quibus nihil subest nisi inire et praeire. atque ex hoc peiore genere est *transviare*, quod Wakefieldo dilucidum videtur ac vetusti moris. Forbiger, quasi magnum, *traviat* edidit, causa addita ut sibi constaret: scilicet in I, 355 dederat *Transvolitant*, in IV, 559 et 602 *travolat*. non dubito quin verum viderit Naugerius, qui scripsit TRANSVOLAT.

350. MULTAQUE PERFIGIT. Quadratus *perfrigit*. corrector oblongi *perfregit* et versu proximo *inciderint*. firmiter tenendum est *perfigit*, quod et rei conveniens est (nam modo dictum erat multas res fulmen pervadere incolumes: secuntur aliae quas perfigit), neque huius verbi participium alium auctorem habet quam Lucretium, qui eo et alibi usus est et iterum de fulmine versu 392 *icti flammas ut fulguris halent Pectore perfixo*. ita *perstridere*, quod Forcellinus praetermisit, unus habet Germanicus in prognosticis, I, 6 *At geminis leviter perstridunt caerula venti*.

356. ET VINCIA RELAXANT. *Vicia* quadratus. VINCLA corrector oblongi.

357. STELLIS FULGENTIBUS ALTA. APTA Turnebus in adversariis XXIX, 6.

359. TEMPORA SERIS. Itali SE VERIS.

Digitized by Google

360. VENTIQUE CALORES DEFICIUNT. Marullus CALORE.

362. INTER UTRASQUE. INTERUTRAQUE, ut dixi libro II, 517.

364. PERMISCET FRIGUS AESTUM. Apud Nonium p. 205, 26 *frigus ad aestum*. ET *aestum* Marullus.

365. QUORUM UTRUMQUE OPUS EST FABRICANDA AD FULMINA NOBIS. Hic Marullus non satis attendit: itaque ceteri se Lucretium fulminatorem vel Cyclopem facere ne animadverterunt quidem. poëta scripsit *opus est fabricanda ad fulmina* NUBI. nam his tribus opus est, *Hinc flammis, illinc ventis*, umoreque *mixto*. Manilius in I, 853 *Sunt autem cunctis permixti partibus ignes, Qui gravidas habitant fabricantes fulmina nubis*.

366. UT DISCORDIA RERUM. Marullus SIT *rerum*. Antonius Marii *sic*.

368. PRIMA CALORIS ENIM PARS EST POSTREMA LIGORIS: TEMPUS ID EST VERNUM. *Liquoris* corrector oblongi. egregie Marullus RIGORIS. sed idem non bene *Prima — et postrema — Tempus adest vernum*. Lambinus rectius *Prima — et postrema —, Tempus id est vernum*. sed proxima non conveniunt, ubi quaeritur quare calor et frigus inter se pugnent: id enim non fit quia ver est, sed quia *Prima pars caloris est postrema rigoris, Tempus* UT *est vernum*, id est. quale vernum tempus est. ita in II, 465 *Sudor uti maris est*. in III, 809 *ut materiai Corpora sunt*. infra 1167 *ut est per membra sacer dum diditur ignis*.

370. INTER SE. In impressis recte additum RES. in oblongo esse *sese* mendacium est Havercampi.

373. VOVITUR. Corrector oblongi VOLVITUR.

374. PROPTEREA SUNT HAEC ANNI NOMINITANDA. *Haec* prima manu oblongo afuit. Itali *sunt haec bella anni nominitanda;* quod ceteri ab iis accipiunt, nec vident id, ut credi possit, aliorum scriptorum testimonio firmandum esse. Italis parata venia est, ceteris turpe, quod non intellexerunt scribendum esse *Propterea* FRETA *sunt haec anni nominitanda*, ut ante *Nam fretus ipse anni permiscet frigus et aestum*.

375. NEC MIRUMST IN EOS TEMPORE. Corrector quadrati *in eo* SI *tempore*. hoc ipsum Lambinus edidit primus:

Digitized by Google

'sic' inquit 'habent quattuor libri manu scripti'. Antonius Marii *in eo sic tempore*.

376. CIE TURBIDA. CIETUR corrector quadrati et Brixiensis editio, item Antonius.

377. BELLIO. Corrector oblongi BELLO.

382. MENTI. Hoc probat cum suis Wakefieldus. Marullus, homo simplex et sanus, MENTIS.

383. AUT IN UTRAME VERTERIT HIC PARTIM. Quadratus *in utram*. supra versu 87 *in utram* SE, et quod editores hic neglexerunt HINC. huius disciplinae Hetruscae particula restat in scholiis Veronensibus ad Aeneïdos II, 693, ubi haec post alia leguntur. *sed fulmen unde exoritur, id servari oportet, et tonitru ubi desinit. (et cum a sinistr)a tonat, optimum fit auspicium, si modo non posticis sed anticis evenit*. plura in codice esse, quae Maius non ediderit, indicavit H. Keilius p. 90.

385. UT EATULERIT SE. Oblongus *fatulerit*. supra EXTULERIT. in libro Manilii I, 10 pro FACIS scribendum puto EXCIS, *viresque excis ad tanta canenda*.

386. FULMINES ICTUS. Corrector oblongi FULMINIS.

389. QUO INQUEST CUMQUE VOLUNTAS. Quadratus *quoque est cumque*. optime Marullus et ante eum Antonius *quo* CUIQUE *est cumque* VOLUPTAS.

393. CONCIUS. Corrector oblongi CONSCIUS.

401. IUPPITERRAS FULMEN. In quadrato *p* simplex. huius corrector et ceteri IN TERRAS.

402. IPSE IN AESTUM DESCENDIT. Vere et acute Lambinus *ipse in* EAS TUM. versus 405 maxima pars est apud Macrobium Saturn. VI, 1.

406. PRAETEREA SI VIVIT. Sic quadratus: oblongus *Propterea si iuvit*. Antonius *Propterea sevi ut*, impressi *Praeterea* (sed Brixiensis *Propterea*) *siniunt*. corrector quadrati et Avantius *si* VULT. paulo post oblongus *volt oprimere*, quadratus *vel opprimere*.

417. DEUM DILUBRA. Sic miro consensu membranae.

421. ALTAQUE CUR PLERUMQUE PETIT IOCA, PLURIMAQUE PLUS MONTIBUS IN SUMMIS VESTIGIA CERNIMUS IGNIS? Corrector quadrati et ceteri LOCA. porro Avantius *plurima quo plus*, quem Wakefieldus secutus est.

Digitized by Google

quo magis ferri posset, illud non item. Lambinus bene *plurimaque huius:* sed potuit propius ad litteras accedere scribendo EIUS, ut 694 *montis ad eius Radices*. in IV, 260 *Particulam venti sentire et frigoris eius*.

424. PRESTERAS GRALI. Corrector quadrati *Graii*. alias membranae semper *Grai*, itaque Antonius et Brixiensis: hic duplex *i* relictum est, quia Lucretius et antiquiores librarii scripserant GRAIEI vel *Graiiei*. *Graiii* tamen vix umquam lectum esse existimo, neque *coiiicit* aut *eiiicit*, quae Velius Longus p. 2219 et 2232 admittit, nec multo saepius *coiicit*, quamvis Quintilianus agnoscat in I, 4, 11, ut dixi ad Gai commentarium III, 119, aut *eiicit*, a Longo in quaestione positum: et *Pompeiii* genetivum veteres per tria *i* scripsisse cum dicit Priscianus p. 545, fingit, puto, quod numquam viderat.

426. TAM CUM. Itali et impressi TAMQUAM, ut versu 433. sed Wakefieldus versu proximo inepte *descendant*, ubi oblongus *discendat*, ut quadratus mox versu 438 *discendit*.

428. LACITA. Itali INCITA.

430. VENIUNT. Immo VENIANT. hoc suavius quam si in superiore versu scribamus *tum sunt*, quod fecit ante Lambinum Antonius Marii.

434. BRACHIIQUE. Lucretius ipse scribebat, nisi fallor, *bracique* vel *braccique*. *bracioque aperto* est in lege Servilia p. 62. nostri codices consensu *brachia* exhibent in IV, 769 et 790, sed iidem *r* omisso *bacchia* in IV, 829 (sic Mediceus Vergilii Aen. XII, 209 prima manu, item Mediceus Varronis de lingua Latina V p. 20 *clamide clupeat bacchium*, ubi Nonius p. 87, 26 *etaccium*, item *bacchium* apud Nonium p. 117, 26, Groninganus Propertii *bacchia* IV, 14, 5), *bracchia* oblongus in IV, 952 et quadratus in VI, 397 altero utrobique repugnante, ut appareat librarios morem vetustum suae consuetudini parentes depravasse. itaque hic scribo BRACCHIQUE, et *bracchia* constanter. *bracchium* digesta Florentina, *brachium* librorum sacrorum codices.

436. VENT. Sic oblongus, *ventus* quadratus. corrector oblongi VENTI.

440. DETRUIT. Corrector oblongi *detrudit*. Lambinus rectius DETRUSIT.

Digitized by Google

444. EX AERI. Corrector oblongi AERE.

447. ATQUE PROCELLAT. Hoc Wakefieldo cum mancipiis suis placeat: recte Itali PROCELLAE.

449. OFFICERET IN. Itali OFFICERE *in*.

452. HOC SUPER IN CAELI SPATIO COIRE. Itali et Brixiensis editio COIERE. sed praeterea scribendum SUPERO *in spatio*. versu 855 *supera de parte* et *superum lumen*.

453. ASPERIORA, MODIS QUE POSSINT INDUPEDITA EXIGUIS TAMEN INTER SE COMPRESSA TENERI. Recte Lambinus COMPRENSA, ut paulo post versu 456, ubi quadratus *compreendunt*. sed idem quod *modis exiguis* interpretatur *modice*, quantitatem cum qualitate confundi non animadvertit. scribendum est *hamis exiguis*, vel eodem sensu propius ad litteras MORIS *exiguis*. sic versu 531 *mora quae fluvios passim refrenat euntis* pro glacie. sic Vergilius in x, 485 *Loricaeque moras et pectus perforat ingens*. sic alia apud I. F. Gronovium ad Senecam de beneficiis v, 12.

456. INDE EA COMPRENDUNT INTER SE. Non *ea* corpuscula quae parvas nubes constituunt, sed *eae* ipsae nubeculae. ceterum neque *eae* neque *hae* alibi dixit Lucretius, sed HAEC feminino genere in libro III, 601; quare non dubito quin id ipsum hic quoque illis praeferendum sit. *eaedem* tamen semel dixit, et quidem duabus syllabis, in I, 306, ubi *e* primum in quadrato est a recentiore manu in litura, cui quid subsit videre non possum. apud alios poëtas qui hexametris scripserunt neque *eae* neque *eaedem* invenio. *eos* multi dixerunt, *eosdem* et *easdem* pauci, duabus syllabis Propertius in v, 7, 7 8, ubi Neapolitanus habet *Hosdem* — *Eosdem*, ceteri bis *Hosdem*. Ennius apud Ciceronem de officiis I, 12 *Eorundem libertati me parcere certum est*.

459. VICINA CACUMINA CAELO QUAM SINT QUOQUE MAGIS. Ut hic *quam quoque magis*, ita *Tanto quique magis* in III, 700 et in v, 343; *um je wie viel mehr*, *um je so viel mehr*. haec qui similiter dixerit neminem novi: sed proximum est *multo tanto amplius*, quo Plautus utitur in Menaechmis v, 2, 49 ita, *si ille quid deliquerit*, *Multo tanto illum accusabo quam te accusavi amplius*. sic saepius ille in adiectivis, ut *multo tanto carior*, *multo tanto miserior*, *ter tanto peior*.

461. FULVAE NUBES. Marullus NUBIS. *fulvae* autem servandum esse, non FURVAE scribendum, mihi N. Heinsius

Digitized by Google

ad Ovidii metam. III, 273 et Näkius ad Diras p. 71 aegre persuadent, ubi de *crassa caligine* agitur.

465. HIC DEMUM FIT UTI TURBAMMOR COORTA ET CONDENSATQUE ARTA PARERE ET SIMUL IPSO VERTICE DE MONTIS VIDEATUR SURGERE IN AETHRAM. Quadratus *turbamur coorta*, Antonius Marii *turba minore cohorta*, Marullus *turba* MAIORE. porro Marullus *Et condensata arcte apparere et simul — videatur surgere in aethram*: 'id est nubes' Wakefieldus inquit. Lambinus *apparere videatur* non tulit, et recte *videantur* legendum vidit (agitur enim de nubilis), cetera temere temptavit. *videantur* ante eum Antonius Marii, qui habet *Et condensa atque arta apparere*. nihil clarius est quam haec ita scribere oportere, *Hic demum fit uti — Et condensa* QUEANT APPARERE *et simul ipso Vertice de montis* VIDEANTUR *surgere in aethram*.

468. NAM LO DECLARAT. Itali LOCA.

469. RES IPSA ET SENSUM. Naugerius *et* SENSUS. at Wakefieldus, quia *sensa* dicuntur quae sensimus, *senso* etiam sentiri putavit; quod est absurdum.

473. QUOD MAGIS. Marullus QUO.

474. CONSURGEREM HOMINE. Itali *consurgere* MOMINE.

475. NAM RATIO CONSANGUINEASE UMORIBUS OMNIS. Haec cum in impressis exemplaribus multo magis corrupta essent, Isaacus Vossius primus intellexit CONSANGUINEAST scribendum esse. sed *omnis* sententiam corrumpit. debet esse *umoribus* OLLIS, nubium scilicet ac maris.

476. FLUVIS. Sic libri pro FLUVIIS. mire scholiastes ad Statii Thebaidem libro I, 207 *secundum Lucretium, qui dicit ex* udore *terrae nebulas oriri, ex nebulis nubes, ex nubibus pluvias*. Servius ad Aeneidos I, 743 UNDE IMBER. *Scilicet de nubibus fit. secundum Lucretium de terrae* alitu *nascuntur, qui nebulas creat: quae cum altius elevatae fuerint, aut solis calore resolutae* (v. 514), *aut vi ventorum compressae* (v. 510), *mittunt leves pluvias, vel exprimunt* (v. 518) *contentiores*.

481. URGIT — SUPE. Corrector oblongi URGET. quadratus *sub*, Itali SUPER.

483. FIT QUOQUE UT HUNC VENIANT IN CAELUM EXTRINSECUS ILLI CORPORA. Quadratus *extrinxecus ille*. HUC

in caelum Avantius, rectius quam Marullus *hunc in coetum:* nam cum modo de aethere dictum esset, ita magis apparet extra quem locum illa corpora esse dicantur quae *extrinsecus* adveniunt. sed ILLA *Corpora* verissime Marullus et ante eum Itali. mox versu 486 quadratus *quantaque*, oblongus et Italici *cunctaque*.

488. INMEMORABILE SPATIUM. Marullus PER *spatium*.

489. HAUT ⊨GITUR MIRUMST, SI PARVO TEMPORE SAEPE TAM MAGNIS MONTIS TEMPESTA ATQUE TENEBRAE COPERIANT MARIA AC TERRAS INPENSA SUPERNE. Hic ante omnia COPERIUNT scribendum est ex constanti usu Lucretii. vide IV, 814 V, 192 748 799 1238 VI, 375 1012. tum TEMPESTAS Itali et impressi. sed non bene Marullus et ceteri *Tam magnos montis tempestas atque tenebrae Cooperiant, maria ac terras impensa superne:* nam et *tam magni* montes tenebris obduci prorsus inepte dicuntur, et tenebrae *maria ac terras impensae* mira CYNTAŻIC est, cui similem non tulit in Terentii Phormione I, 4, 2 Bentleius, ubi erat *tanta me impendent mala*. hic fortasse non recte: certe confirmat illud Messius p. 383 in Frontone Maii, et apud Festum p. 161, 6 leguntur haec, *Me pro mihi dicebant antiqui, ut — Lucilius Nunc ad te redeo, ut quae res me impendet agatur;* item apud Lucretium I, 326 *Nec, mare quae inpendent, vesco sale saxa peresa*. et hoc ad Terentii versum a Donato adhibitum fuisse ex eis apparet quae Lindenbrogius p. 647 e libro vetere adfert, *tu es corsali saxa peresa*. veteres dixisse *impendeo te* Diomedes refert p. 305. sed in nostro versu ita orationem structam accipere necesse non est: aptius enim *maria ac terrae* tempestate et tenebris *cooperiri* dicuntur; et satis certum est, quamquam ne Lambinus quidem vidit, *impensa* dici posse quae impendent. dixit ita Seneca in Hercule 1592, *nulla dominetur aula Qui putet solum decus esse regni Semper impensum tenuisse ferrum*, id est *gladium tenere impendentem*. cetera in aperto erunt, si scribemus *Tam magnis* NIMBIS.

492. PER CAVIAS AETHERIS. *Per* CAULAS Marullus. in lege Cornelia de XX quaestoribus 2, 41 *quorum viatorum praeconum nomina in eis decurieis ad aedem Saturni in pariete intra cavias proxume ante hanc legem*..... ita Göttlingus, Sigonius *intra caveas:* legendum *caulas*. Charisius p. 211, inter exempla praepositionum, *intra caulas*. apud Macrobium de

Digitized by Google

Iano, Saturnal. I, 9, *Patulcium et Clusivium, quia bello caulae eius patent, pace clauduntur*. glossaria Περίβολοι, *menia —, caulae*.

496. IN TERRAS DIMISSUS. Lambinus DEMISSUS.

498. VINEAM. Itali et impressi VINCAM.

500. ET NUBIBUS, ET AQUAM. Iidem NUBIS.

502. SUDOR IDEM. Iidem ITEM.

503. CONCIDIUNT. Brixiensis editio CONCIPIUNT, Veronensis *Concuderint*.

509. CONFERTE NUBES VI VENTI MITTERE CERTANT DUPLICITER. Hoc absurdum esse post Creechium Wakefieldus intellexit. sed is commenta ineptissima effundere maluit quam in vero, quod tamen invenerat, adquiescere. id erat UMENTIA *mittere*.

511. COPIA NIMBORUM TURBAM MORE COACTA URGETE SUPERO PRIMIT AC FACIT EFFLUERE IMBRIS. *Turba* MAIORE Marullus. tum oblongus *Urgite*, ut versu 481 *Urgit*. eiusdem corrector *Urget et e supero* PREMIT. sed Wakefieldus recte observavit Lucretium semper dixisse *ex supero* II, 227 241 248: idem vero quod se non erubuisse scribit ex ingenio *ex* restituere, et rubori et ingenio parcere potuit, si id quo vetus scriptura ducit reprehendisset, *Urget*, DE *supero premit*. magis proprie *de supero*, quo Plautus usus est, dicitur quam *desuper*, quod ante Vergilium a Caesare de bello Gallico I, 52, 5 scriptum esse non credo, sed *de supero vulnerarent*. *de supernis* Vitruvius in X, 7, 3, qui numquam dixit *desuper*: in eodem libro 16, 10 exemplaria vetera vitiose *desuperna*, pro *de superno*, nisi fallor. simillima his sunt *de plano*, *de subito*, *de repente*.

514. SOLIS SUPER ICTA CALOREM. Antiquissimi correctores CALORE. *super* non est desuper, ut expressit Creechius, sed insuper, praeterea. in III, 672 *Cur super ante actam aetatem meminisse nequimus?* et 901 *nec tibi earum Iam desiderium rerum super insidet una*. in I, 648 *sic partes ignis eandem Naturam quam totus habet super ignis haberent*. in V, 763 *Et cur terra queat lunam spoliare vicissim Lumine et oppressum solem super ipsa tenere?* Ovidius metam. XV, 308 *Plurima cum subeant audita aut cognita nobis, Pauca super referam*. Serenus Samonicus 957 (989) *Non solum miseros deterrima febris adurit, Sed super optato pergit viduare sopore*. Silius in VIII, 121

Digitized by Google

Namque super somno dirus me impleverat horror, ubi libri habent *Namque asper*.

515. STILLANTE, QUASI IGNI TELA SUPER CALIDO TABESCENS MULTA LIQUESCAT. Corrector quadrati et post eum Lambinus STILLANTQUE, quod mihi unice probandum videtur: nam *stillata* Lucretio adscribere non ausim, quamvis Ovidius et *stillatum* et *instillatum* dixerit. agnoscit tamen passivum Isidorus originum XIII, 10, in ceteris Servium secutus, cuius verba exhibui ad versum 476. *Pluviae eo quod fluant, quasi fluviae. nascuntur enim de terrae et maris anhelitu. quae cum altius elevatae fuerint* (scilicet *nebulae:* sed ita solet omnia confundere Isidorus), *aut solis calore resolutae, aut vi ventorum compressae*, stillantur *in terris*. Marullus male *stillando*, sed idem egregie CERA. corrector quadrati *Teda*.

517. SED VEMENS IMBER FIT, UBI VEHEMENTER UTRAQUE NUBILA VI CUMULATA PREMUNTUR ET IMPETE VENTI. *Vemens*, sic oblongus, ut dixi ad librum II, 1024. sed *utraque vi* caret sensu: nam Wakefieldi interpretatio relatu indigna est. necessario scribendum est *Nubila* AQUIS *cumulata premuntur*. sed *utraque*, id est utroque casu, in utraque parte, temptari non debet. ita in IV, 86 *ex summo quoniam iaculantur utraque*, et versu 291 *Aëribus binis quoniam res confit utraque:* sic utrobique quadratus, oblongus *utraeque*.

519. AT RETINERET DIU PLUVIAE LONGUMQUE MORARI CONSUERUNT, UBI MULTA FIENTUR SEMINA AQUARUM. Correctores antiqui *At retinere*, quod Lambinus et Faber inepte interpretantur 'morari homines et domi retinere'. proprium est ATQUE TENERE *diu*. Livius libro XXIII, 44, 6 *imber continens per noctem totam usque ad horam tertiam diei insequentis tenuit*. plura huius usus exempla Dukerus collegit ad librum Livii IV, 7, 7 et ad VI, 35, 10. tum recte Wakefieldus *ubi multa* CIENTUR; quod tamen nec ipse tenuit nec Forbiger commemorandum duxit, cum magis probarent Itali nescio cuius commentum longe insulsissimum, qui fecerat *fluenter*. ita Antonius Marii.

521. NIMBIQUE RIGNANTE INSUPER AQUE OMNI. Correctorum antiquissimus RIGANTES et ATQUE.

523. HUMOREM TOTA REDRALAT. *Humorem* cum aspi-

Digitized by Google

ratione hic uterque Vossianus, oblongus solus I, 309 VI, 472; idem in II, 1114 *Umor ad humorem*, ubi quadratus *Umor ad umore*. tum corrector oblongi et impressi cum lexicis barbare *rehalat:* Wakefieldus monitu Vossii REDHALAT.

524. TEMPESTATE INTE OPACAM. Oblongus prima manu *ime, inte* a correctore ut quadratus. Itali TEMPESTATEM INTER.

526. EXISTI NUBIBUS ARQUI. Quadratus *existin*, apud Nonium p. 425, 6 *extit*, correctores antiquissimi EXISTIT.

527. CETERA QUAE SURSUM CRESCUNT SURSUMQUE CREANTUR, ET QUE CONCRESCUNT IN NUBIBUS. Nihil horum quae poëta dicit sursum crescit, sed omnia deorsum feruntur, nix, venti, grando, pruina. contra, ut est in II, 189, *sursum nitidae fruges arbustaque crescunt*. at interpretes *crescunt* et *creantur* idem esse dicunt, *sursum* autem *creari* quae in summa aëris regione fiant; quorum alterum putidum est, alterum ne Latinum quidem. in II, 188 fruges arbustaque *sursus versus gignuntur et augmina sumunt:* scilicet tota res sursum versus procedit, origo et auctus. *nares* cum Cicero *sursum esse* scribit de natura deorum II, 140, foramina earum ascendere significat, *eo quod omnis odor ad supera feratur:* et Varro rerum rusticarum libro I, 6, 3 quos *susum colere* dicit, eorum culturae ad superiora pertinent. idem ibidem *eadem illa susum quam deosum tardius seruntur ac metuntur*, item *hic, susum, deosum nascuntur*, hoc est in locis ad summa vel infima vergentibus, *nach oben oder nach unten zu*, non in ipsis summis aut infimis. itaque ipso directionis fine addito idem Varro in III, 5, 4 *deorsum in terram esse aquam quam bibere possint*. in Lucretii versu rei commodum est *quae* CURSU *crescunt* CURSUQUE *creantur*, τῇ φορᾷ.

531. ET MORA QUE FLUVIOS PASSIM REFRENAT AVINTIS. Oblongus prima manu *fluvius*, a correctore *aventis*. optime corrector quadrati et Avantius EUNTIS.

532. PERFACILESI TAMEN. Itali *Perfacile* EST.

533. QUO PACTO FLUANT. Quadratus *fluvant*. FIANT Marullus.

536. TERRAS FAC UT ESSE REARIS SUPTER ITEM UT SUPER VENTIS UNDIQUE PLENAM SPELUNCIS. Oblongus prima manu *ut asse*, quadratus *Subter*. TERRAM Anto-

Digitized by Google

nius Marii et Marullus, *ut* SUPERA Avantius, VENTOSIS egregie Wakefieldus.

538. MULTOSQUE LACUS MULTASQUE LUCUNAS. Hinc Isidorus de natura rerum 41, 1 *Denique videmus lacus multasque lacunas parvo sub momenti spatio ventorum flatibus solisque ardore consumi*.

539. ET RUPES DERUPES DERUPTAQUE SAXA. *Derupes* corrector quadrati delevit, omiserunt Antonius et Brixiensis.

541. VOLVERE VI FLUCTUS SUMMERSOSCA PUTANDUMST. Itali SUBMERSAQUE SAXA. hoc rei tam aptum est, ut nihil ultra quaerendum sit. *per sasca* scriptum vidimus supra versu 229.

542. SIMILE ESSE VI. Marullus SIMILEM *esse* SUI.

548. QUONIAM PLAUSTRIS CONCUSSA TREMESCUNT TECTA VIAM PROPTER NON MAGNO PONDERE TOTA. Immo PLAUSTRI *non magno pondere concussa*, id est levi plaustro. editores quomodo *tecta non magno pondere* patienter ferre potuerint non video. inepte Creechius 'plaustris non magno pondere *onustis*.'

550. NEC MINUS EXULTANTES DUPUIS CUMQUE VIM FERRATOS UTRIMQUE ROTARUM SUCCUTIT ORBES. In his VIM in fine versus collocatum necessario legendum est VIAI, ut versu 465 et 511 MMORE MAIORE, ut libro I, 665 MIA ALIA. porro currum ab utraque parte rotis ferratis instructum quid tam facile succutiet quam viae publicae salebrae aut lapides? hinc apparet litteras fugientes ad hunc modum reprehendendas esse, *Nec minus exultant*, ET UBI LAPIS *cumque* VIAI *Ferratos utrimque rotarum succutit orbes*. quae his structura orationis simillima sunt, *Nec ratione fluunt alia — Et cum mollis aquae fertur natura* I, 281, ea una cum aliis ex eodem genere, III, 1093 II, 420 V, 1075 1082 II, 416, posuit Mauricius Hauptius in observationibus criticis p. 36.

552. FIT QUOQUE UBI IN MAGNAS AQUAE VASTASQUE LUCUNAS. *In magnas aeque* Marullus, *magnas in aquas* Avantius, *magnas in aquae* Lambinus. versu 1072 pessime Marullus *Vitigeni latices in aquai fontibus audent Misceri*, addito *in*, quod debebat certe *cum* esse. sed praestat grammatico antiquo fidem habere, quem Beda secutus de metris p. 2375 versum huius libri 859 ita scriptum exhibet, *Quae*

Digitized by Google

calidum faciunt aquae tactum atque vaporem, ubi in libris nostris est *laticis tactum*. illud autem Bedae credendum non est, quod vocalem brevem, quae *q* et *u* et vocali qualibet exciperetur, veteres communem esse voluisse scribit: neque credibile est tam anticum poëtam eo usum esse quod grammaticus Eichenfeldii p. 444 tamquam barbarum reicit, cum dicit *aqua, non acqua*. est igitur scribendum *aqüae* et *aqüai*. similiter Horatius, isque unus inter omnes, *siluae* tribus syllabis dixit, idemque e contrario *larvam* quae Plauto et Priapei 33 poëtae *larua* est, Adamantio Putschii p. 2304 *larba*, item *miluum* antiquiores, *milvum* Persius Martialis Iuvenalis (in halieuticis 95 scribendum *ïuli* e Plinio), et Plautus, nisi fallor, *acuam* aliquotiens, ut in Truculento II, 7, 13 *Nisi derivetúr tamen, omnis éa aqüa abeat ín mare*, in Milite II, 6, 71 *Nam ex uno puteo similior numquam potis Aqua áqüae sumi, quam haec est atque ista hospita*. denique qui est a Cicerone in Tusculanarum I, 10 positus de Tantalo versiculus, eum omnes auctores ita scriptum fuisse consentiunt, *Mento summam aqüam attingens, enectus siti*. neque aliter Titinius apud Nonium p. 245, 31 *Térra haec est, non aqüa, ubi es* (hoc addidi) *tu solitus argutarier Pedibus, cretam dum compercis* (libri *compescis*), *vestimenta qui laves* (libri *que levas*).

554. UT IACTETUR AQUE FLUCTU QUOQUE TERRA VACILLAS. *Vacillat* corrector oblongi et olim impressi, *vacillet* Antonius: VACILLANS corrector quadrati et Avantius.

555. UT VAS INTER NON QUIT CONSTARE. *In terra* Marullus, sine sensu. Wakefieldus inepte *inter nos*. verum est INTER DUM. nimis breviter Servius ad georgicon II, 479 *Alii aquam dicunt genitalem sub terris moveri et simul eas concutere, sicut vas aquae, ut dicit Lucretius*. quae exscribit Isidorus originum XIV, 1.

558. ET URGES. Correctores antiqui URGET.

563. INCLINATA MINENT IN EADEM PRODITA PARTEM. A. A. Q. Q. Quadratus *prodit partem aqueq.*, ut appareat librarium illa *a.a.q.q.* non intellexisse, quae Veronensis et Venetus ita scripta exhibent, *a a ii q.*, omiserunt Antonius et Brixiensis: neque ego quid per ea significetur exputare possum. hoc scio, finem paginae huius libri vigesimae secundae in codice antiquo non hic fuisse, sed paulo ante ubi est *spelunoas viribus altas*. neque vero, siquis hic notae ali-

Digitized by Google

cuius Probianae vestigium remansisse suspicetur, ad versum ipsum emendandum mihi quicquam proficere videbitur. in quo primum Itali recte scripserunt *in* EANDEM. tum corrector quadrati *manent*, Antonius Marii et Marullus *minant;* quorum illud sententiam pervertit, hoc aut Latinum non est (nam *mino* et *minor* veteres in una eademque significatione protulisse Prisciano credendum non est, quem *interminatus* participium fefellit), aut in pellendi significatione ruris potius quam urbis. ab hoc factum *eminare* lexica ignorant, agnoscunt Actuum apostolorum exemplaria Latina perantiqua XVIII, 21|6 ridiculi sunt qui aut per tmesin accipiunt. *Inminent clinata*, aut *minere* a se hic et in versu 1195 restitutum gloriantur, 'verbum simplex' sane, sed sensu cassum, quod homines docti in Sallustii verbis a Nonio p. 555, 2 consignatis ferendum non existimarunt. multo melius est quod Pius dedit, *Inclinata micant*, id est saliunt et tremescunt; nisi quod *micare* in igneis tantum vel animatis locum habere existimo. quare, cum hic quod certum sit nihil videam, malo credere Lucretium suo et apto vocabulo scripsisse *Inclinata* MEANT *in eandem prodita partem*.

565. ET METUUNT. Oblongus *Te metuunt*, Veronensis editio *Te metiunt*.

568. QUOD NISI RESPIRENT VENTIS NULLA REFREMET RES NEQUE AB EXITIO POSSIT REPREHENDERE EUNTIS. Quadratus *refert met Res nec que ab*, oblongus *reprehendereuntis*. VENTI et REFRENET Itali. tum Brixiensis editio *si nulla*, nec multo melius ad orationem absolvendam Itali *non ulla*, factum ad exemplum versus in I 850, ubi est *neque ab exitio res ulla refrenat*. hic Wakefieldus valde laudandus est, qui verissime correxit scribendo VIS *nulla refrenet Res*.

574. ET RECIPIT PROLAPSA SUAS IN PONDERA SEDES. *In pondera* quadratus, *in pondere* oblongus et Itali impressique libri. *prolapsa in pondera* est ab omni parte in aequalia pondera prolapsa, εἰς ἰσοροπίαν. ita Turnebus in adversariis IV, 17 Ovidianum illud interpretatur in metam. I, 13, *Nec circum fuso pendebat in aëre tellus Ponderibus librata suis*. ita Lucretius in II, 218 *Corpora cum deorsum rectum per inane feruntur, Ponderibus propriis incerto tempore ferme Incertisque loci spatiis decellere paulum*. Lucanus in I, 57 *Aetheris im-*

Digitized by Google

mensi partem si presseris unam, Sentiet axis onus: librati pondera caeli Orbe tene medio. neque iam his consideratis quemquam fore spero qui Gesnero repugnet in Horatii epistularum I, 6, 51 illud *trans pondera dextram Porrigere* interpretanti ultra libramentum sive aequilibrium corporis.' sed *pondus* singulari numero ita dici non posse Turnebus recte observavit; quo fit ut in Lucretii versu *in pondere* reiciendum sit.

582. VERSABUNDA PORTATUR. Verissime Itali *Versabunda* QUE.

584. DIFFIDENS. Iidem DIFFINDENS.

586. QUA EXITUS. Quadratus *que*. Avantius QUAS, sed idem male *Disturbatque*.

588. CECIDERET. Quadratus *caecideret*. impressi CECIDERUNT.

589. POSSUM SUBSEDERE. Corrector quadrati et ceteri PESSUM.

594. UT IN NOSTROS. Corrector quadrati et Marullus UTI *nostros*.

600. IDQUE SUIS CONFUSA VELIT COMPLE RUINIS. Corrector oblongi COMPLERE. sed *Idque* solus Wakefieldus se intellegere professus est, qui non clarissime interpretatur hoc modo, *id quod hiatu fecerit*. Lambinus hic ut alibi suum *Im* infulcit. unice aptum est ADQUE, quam scribendi rationem librarius oblongi numquam admisit, aliquotiens habet quadratus, in II, 881 918 1119 1128 III, 29 284.

604. SUBDITA ET HUNC STIMULUM QUADAM DE PARTI TIMORIS. PARTE scribendum esse vidit corrector oblongi; in quo erat prima manu *Subdit et hunc*, quod Antonius et Avantius quoque dederunt, cum olim impressi quadratum et correctorem oblongi sequantur. *Subditat hunc* Marullus. hoc Lambinus cum ceteris nihil miratus transmittit, idque in lexica receptum est tamquam frequentativum media syllaba truncatum. Wakefieldus glossario vetere male usus debuit certe ex eo omnia apponere, ut appareret ea huc non pertinere. sunt autem huius modi. ἐνεχυρίαcιc, *subditas* (*subtas*), *pigneracio*, *subditus*. ἐνεχυριαcμόc, *clarigatio*, *subditacio*, *pigneracio*, *clarigatio*. ἐνεχυριάζω, *clarigo*, *subdito*, *pignero*, *pignoro*, quae ut fateor me non intellegere, ita adfirmare possum a Lucretio esse *Subdit* ATHUC *stimulum*.

Digitized by Google

605. SUBSTRUCTA. Impressi SUBTRACTA, itaque Antonius Marii.

608. PRINCIPIO MARE MIRANTUR. Hoc quo referatur nihil est: nam nemo ea de causa, quod mare maius non fieri miratur, timet ne rerum summa pereat: hoc enim praecesserat. illud ipsum autem quod poëta, cum *principio* multos aliquam certam rem *mirari* dicit, necessario in mente habet, nusquam apparet, id est mortales multa quae naturalibus causis efficiantur frustra mirari. nam quamvis eius modi aliquid in huius libri principio dictum sit inde a versu 50 usque ad 55, tamen illic de formidine agitur, non de admiratione, hic autem secuntur alia quae homines causis non recte perceptis *mirantur*, 654 760 850 910 1056. huc accedit quod omnia haec, quibus mare fines suos non excedere demonstrat, non satis apte collocata sunt inter res multo magis coniunctas: nam a terrae motibus commodius ad Aetnae montis eruptiones quam ad maris continentiam transitur. quae cum ita sint, facile est ad cognoscendum ne hic quidem Lucretio per fatum licuisse poëma suum absolvere eiusque partes et recte disponere et apta iunctura inter sese conectere. atque id vel ex hoc intellegere possumus, quod, cum versu 50 ad libri totius argumentum respiciens dixisset *Cetera quae fieri in terris caeloque tuentur Mortales*, postea autem versu 83 et 84 nihil nisi μετέωρα promisisset, tamen his pertractatis versu 535 nihil praefatus ad terrestria transiit. haec omnia interpretes cum non animadvertissent, mirabili mentis inertia probarunt versum a Marullo fictum, *Nunc ratio reddenda, augmen cur nesciat aequor*, qui non modo inutilis est, sed curiosius examinanti absurdus. eum solus Avantius non recepit, quem sequitur, ut solet, Iohannes Baptista Pius.

609. NATURA. Marullus NATURAM.

613. TAMEN AD MARIS OMNIA SUMMAM GUTTA VIX INSTAR ERUNT UNIUS ADAUGMEN. Itali et Marullus GUTTAI: sed iidem *ad augmen* vocibus divisis, oratione turpiter abundanti. hoc nullus interpretum animadvertit; quo factum est ut *adaugmen* lexica adhuc ignorent, qui *adauctus* dictus est in libro II, 1122. sunt tamen rara huius generis composita. *ablegmina*, *prosegmina*, *praesegmina*, *resegmina* Plinii, *subtegmen* sive *subtemen*, *examen*, *sufflamen* (a *suffrangendo*, puto, ut *suffragines*), *propagmen* (sic a *pangendo* Ennius Nonii p. 64, 32 et 221, 9),

Digitized by Google

substramen, *discrimen*, *abdomen*, *cognomen*, *praenomen*. in Silii XII, 444 *substamina*, ubi recte docti *substramina*, *Lubrica roboreis sed erant substramina plaustris*, *Inque* (libri *Atque*) *recens caesi tergo prolapsa iuvenci Aequoream rota ducebat per gramina puppim*. a verbis primae et quartae declinationis non ante Ovidium facta *revocamen*, *renovamen*, *remoramina*, *relevamina*, *respiramen*, *adspiramina*, *oblectamen*, *inritamen*, *suffimen*. exiguae vel nullius auctoritatis *adfamen*, *effamina*, *praefamen*, *perflamen*, *alligamen*, *adspectamen*, *adhortamina*, *antecantamina*, *involumen*.

616. PRAETEREA SOL MAGNAM. Oblongus prima manu *magnum*. Marullus MAGNAM SOL.

621. AD EQUORE. Antiquissimi correctores AB.

624. VERRENTES AEQUORA VENTI. Absurda et sine pondere repetitio, cum praecesserit *Tum porro venti quoque magnam tollere partem Umoris possunt*. nec tamen recte Itali *aequora ponti:* nam quae secuntur satis intellegi non possunt, nisi addimus qua re efficiantur, ita, VENTIS *Una nocte vias quoniam persaepe videmus Siccari*.

626. CRUSTRAS. Correctores veteres CRUSTAS.

629. IN ORBIS. *In* ORBI Marullus. proximis Vergilius utitur Aen. X, 807 ita, *Dum pluvit in terris*. ubi Servius mire archaismon dicit *in terris*, scilicet constructione antiquata; quod mihi antiqua simplicitate additum esse potius videtur, cum abesse posset. *debuit enim*, inquit, *dicere in terras: tamen sciendum hemistichium hoc Lucretii esse, quod ita ut invenit Vergilius ad suum transtulit carmen*.

632. ORAS MAGIS. Corrector quadrati et Antonius Florentinus MARIS.

638. LIQUIDO PEDE TULIT UNDAS. Corrector oblongi DETULIT. ita scholion Lucani X, 248 in libro Bernensi quem saeculo decimo scriptum Sinnerus dicit. in eo scholio hic versus cum quinque proximis profertur ex libro sexto, non e V, 272.

639. PER FAUCAS MONTIS UT AETHNAE. Corrector oblongi FAUCES. *th* litteras oblongus habet in litura; versu 669 et 681 idem *Aetneus* et *Etne*, quadratus *Aethneus* et *Aethne;* in I, 722 uterque *Aetnea;* in II, 593 oblongus *Aetnae*, quadratus *Aethnae*.

641. NEQUE ENIM MEDIA GRECIA DE COORTA FLAM-

Digitized by Google

MAE TEMPESTAS. Oblongus *Flamme*, apud Nonium p. 495, 17 *Flammea*. hic Antonius Marii et Marullus permire *media de glande*. Pius, vel potius aut Hermolaus Barbarus aut Pomponius Laetus aut Philippus Beroaldus (Pius enim *antiquam lectionem* testificatur), cum CLADE scribendum vidisset, tamen sententiam et orationis formam non percepit. hic igitur quod fecerat, *media de clade*, cum id Naugerius expressisset, Lambinus libris suis non inspectis frustra explicare conatus est, Gifanius et Daniel Pareus tamquam apertissimum transierunt. Fabro et Bentleio parata venia est, quod alter numquam alter nondum cognita vetere scriptura non satis vere temptarunt *dia de clade* et *Enceladi de clade:* Salmasius autem pariter ac vetus ille Italus peccavit, cum ineptissime fecit *media e re clade coorta*. Isaacus Vossius egregie et in homine iudicii alias perversissimi valde laudanda simplicitate *neque enim* MEDIOCRI *clade*. id probarunt Nicolaus Heinsius ad Ovidii metamorph. IV, 536, Richardus Bentleius, postquam cognovit (vide editionis Glasguensis tomum IV p. 454), Gilbertus Wakefieldus hic quidem veritati concedens: contra reiecerunt Creechius, Havercampus, Eichstadius, splendida scilicet ingenui iudicii exempla: Forbiger illud 'quem sensum idoneum praeberet' sese perspicere negavit, lectores autem suo iudicio uti iussit. mihi dubium non est quin eum omnes Pareo simillimum habituri sint. ceterum *flammae tempestas* quae sit non intellego: recte probaverunt FLAMMEA Heinsius et Wakefieldus.

648. DESPICIENDUM. Impressi DISPICIENDUM. simili modo Vitruvius *dispiciendi* verbo usus est in IX, 4, 5, *earumque capita inter se dispicientia sunt collocata*.

651. MULTAESIMA. Apud Nonium p. 136, 14 *multesima*, omisso *sit*. *ae* litteris librarius archetypi usus est ad indicandum illum apertum *e* litterae sonum de quo dixi ad librum V, 1229, eoque Itali hodie utuntur in *ventesimo* et ceteris eius modi. huic sono exprimendo aptum est signum, quod multis placuit, *æ*, litteris complicatis. Terentianus Maurus p. 2393 2394 non reprehendit eos qui *cæu* vel *Æupolin* per diphthongon dicerent, sed qui priore vocali producta diphthongon diducerent, ut *A-urunci* et *cæ-u* sonarent ut *Archelaus* et *Aristæ-us;* quamquam productiorem sonum concedit *auspici* et *auro* et Graeco ΑΫΡΙΟΝ, cuius differentiae causam

Digitized by Google

non perspicio, rem non miror, qui sciam ipsum Petrarcham scripsisse *Pur Fa-ustina il fa qui stare a segno*. sed Lucretio *ae* vera diphthongos erat, cuius utraque vocalis audiebatur.

653. PROPOSITUS SI PLANI. Corrector quadrati et impressi PROPOSITUM *si* PLANE.

658. OPTURCESCIT. Corrector oblongi OPTURGESCIT.

662. QUI SUNT. Idem QUIA.

663. ET SATIS HAEC TELLUS MORBI CAELUMQUE MALI FERT. Immo ORBI: alterum enim absurdum est, sive tellurem caelumque satis *morbi mali*, sive tellurem satis *morbi* et caelum satis *mali* ferre dicas, *Unde queat vis immensi procrescere morbi*. Lambinus dederat *nobis*, 'ex codicibus Florentinis' inquit, id est ex coniectura Marulli.

667. CONCUSSO MOVERI. Correctores veteres CONCUSSA.

674. ET FLUVIUS, QUI VISUS, MAXIMUS EI QUI NON ANTE ALIQUEM MAIOREM VIDIT, ET INGENS ARBOR HOMOQUE VIDETUR. Admirantur haec Wakefieldus et Forbiger: aliis supervacaneum et molestum videbitur illud *qui visus*, neque *est* abesse potest ex usu Lucretii. optime Bentleius *fluvius* QUIVIS EST *maximus ei*.

676. ET OMNIA DE GENERE OMNIS. Itali *de genere* OMNI.

683. FERES ILLI CUM. Corrector oblongi *fere* SILICUM.

685. VENTUS ENIM. Hoc versu Isidorus utitur de natura rerum 36, 1.

687. QUA CONTIGIT. Itali et Brixiensis editio *qua* CONTINGIT.

690. FERT ITQUE ARDOREM LONGE. Olim impressi *Fecitque*, Antonius *Fervitque*, Marullus *Funditque*, Vossius *Vertitque*, Wakefieldus cum suis, ne nihil egisse videantur, *Vortitque*. quid clarius quam scribendum esse *Fert* ITAQUE?

695. AESTUMQUE RESOLVET. Itali eximie RESORBET.

697. HAC IRE FATENDUMST ET PENETRARE MARI PENITUS RES COGIT APERTO ATQUE EFFLARE FORAS. Haec una sententia est, *fatendum est hac*, id est per speluncas, *ire et penetrare* aestum maris resorptum *atque efflare foras*. in hanc sententiam illa non intrant, *mari res cogit*, in quibus sententiae subiectum latere apparet. hoc vero non

Digitized by Google

tale fuisse quale modo simplicius posui, resorpta maris, sed potius calefactas maris partes, ostendit adiectum *penitus:* hoc enim ad *penetrare* pertinere non est veri simile, cum in fine versus super sit *aperto*, debeant autem *in apertum penetrare* quae efflatura sunt. ergo et litteris et sententiae prorsus convenit *Et penetrare* MARIS *penitus* PERCOCTA IN APERTUM, nec potest profecto Lucretius aliter scripsisse.

701. IN SUMMO SUNT VERTICENI CRATERES. *Vertigeni* quadratus. Marullus *vertice item:* sed Turnebus in adversariis XXII, 19 rectius *vertice* ENIM.

705. IACERET. Itali et Brixiensis editio IACERE.

708. NAM QUE EUM. Itali NEQUE.

710. UTRUM GENERE ALIQUID ESSE EX HOC QUOD CONTIOITEL. Horum ultima littera quadratus caret, in ceteris cum oblongo consentit. Marullus VERUM. Avantius cum Antonio Marii ALIQUID GENERE. Isaacus Vossius optime *quod* CONTIGIT EI.

716. QUIETES IRE ESSE FERUNTUR. *Qui* ETESIAE Itali et corrector quadrati. Isidorus originum XIII, 11 ex Lucretio *Etesiae autem flabra sunt aquilonis, quibus nomen inditum est quod certo anni tempore flatus agere incipiunt.* ex his Isidori, non ex ipso Lucretio, in Taciti historiarum libro II, 98 in medium *etesiarum* vocabulum illata esse *flabra aquilonis* ostendit I. F. Gronovius in observationum libro IV, 2 p. 30.

719. FLABRO FERUNTUR. Itali et impressi FLABRA. Isidorus *Haec cursum rectum a borea in Aegyptum ferunt, quibus auster contrarius est.*

723. EXORINS. Correctores veteres EXORIENS.

726. RUI INTUS. Iidem RUIT.

727. LIBER MINUS EXITUS AMNIS. Marullus AMNI.

729. AD CAPUT EI. Itali et Marullus *eius*. correctionis causam non perspicio, et quaerendum puto quis ante Hirtium Horatium Vergilium Vitruvium dixerit *caput amnis, fontis, Rheni*, genetivo addito. supra versu 636 *et ad caput amnibus omnis Confluit*. in Trinummo Plauti 940 Ritschelius haud scio an non recte cum Guyeto scripserit *Ad caput amnis, qui de caelo*, cum vetera exemplaria *quod* habeant; quocirca videbatur mihi poëta dedisse *Ad caput, amnis quôd e caelo exoritur sub solio Iovis.*

730. QUO ETESIA. Hoc ferri non debet, quia *tum* se-

Digitized by Google

quitur, *Tempore* eo *quo etesia flabra aquilonum Nubila coniciunt in eas* tunc *omnia partis*. QUOD *etesia* Marullus.

736. IN CAMPOS ALBOS DECEDERE NINGUES. Servius ad Aeneidos IV, 250 ALBAS *effundere ningues*. recte Lambinus DESCENDERE.

740. PRINCIPIO QUOD AVERNA VOCANTUR NOMINE, ID AB RE INPOSITUMST. Consentit cum libris nostris Nonius p. 14, 8, ubi est *id a re Impositum est*. sed mire Gervasius Tilleberiensis Anglus in Otiis imperialibus, quae ex regno Arelatensi ad Ottonem quartum Augustum scripsit circa annum 1211, in Leibnitii scriptoribus, tomo I p. 966, *Principio quod Averna vocantur, nomen aornis Impositum est, quia* etc. potuit hoc ab homine non nimis erudito effingi ex versu Prisciani in Vergilii Aeneidos librum VI, 242 illato, *Unde locum Grai dixerunt nomine Aornon*. sed multo sane magis proprium loquendi genus in his apparet, *nomen id ab re Inpositumst*, quae Antonius Florentinus et Marullus dederunt, quam quod libri habent, *quod nomine Averna vocantur, id ab re inpositumst*. itaque non dubito quin poëta scripserit *Principio*, QUO *Averna vocantur nomine, id ab re Inpositumst*.

743. REMIGIO OBLITAE. Absurda scribendi ratione Wakefieldus *Remigiom*, quem caeco impetu Forbiger sequitur, ut versu proximo typographum Eichstadii, ubi is fecerat *Et regione*. prudentius his Marullus *Remigii*, nisi quod ne hoc quidem ita scriptum probari posse vidimus ad librum V, 1006. dixit Lucretius REMIGI *oblitae*, ut Ennius *Scipio invicte*, ut Vergilius *Insulae Ionio*, ut Iuvenalis *Arbori incertae*. alterum huius modi apud Lucretium exemplum medio in versu est, *etesiae esse* VI, 716, ut apud Catullum *Uno in lectulo erudituli ambo*; sed eadem condicione, hoc est eo loco qui elisionem non recipiat: nam praeter haec vocabula Creticum pedem efficientia tantum modo in monosyllabis hiatum admisit in media dactyli syllaba; Ennius vero etiam in disyllabo, *senis Enni imagini' formam*, quod minus eleganter dixisset *Ennii imaginis* aut *Enni in imagine* longa vocali cum brevi syllaba coalescente. quam collisionem Plautus quoque interdum hiando declinat. in Bacchisin I, 2, 26 *Ibidem égo meam operam perdidí, ubi tu tuam*. II, 3, 73 *Qui illíc sacerdos est Diánae 'Ephesiae*. IV, 9, 36 *Post úbi tabellas ad senem tetulí, ibi occidi Troilum*. V, 2, 12 *Vidén limulís obsecró ut intuéntur*? in

Digitized by Google

Captivis III, 4, 2 *Núnc enimvero ego occidi. eunt ad ted hostes, Tyndare*. in Casina I, 46 *Cum mi illa dicat, mi animulé, mi Olýmpio*. II, 3, 40 *Quói homini hodie peculi nummus non est plumbeus*. in Mostellaria I, 3, 102 *Una operá ebur atramento cande facere postules*. V, 2, 43 *Si hóc pudet, fecisse sumptum, supplicí habeo satis*. in Menaechmis II, 1, 33 *Nam itást haec hominum natió Epidamnia*. in Mercatore I, 1, 4 *Vidí amatores facere, qui aut nocti aut dii*. in Poenulo I, 1, 48 *Se amáre velle atque obsequí animo suo*. I, 2, 31 *Sorór, cogitá, amabo, itém nos perhibéri*. 67 *Mílphió, ubi es? ássum apud te eccum. at ego elixus sis volo*. IV, 2, 2 *Quói homini erus est consimilis, velut ego habeo hunc huius modi*. similiter Accius apud Nonium p. 15, 33 *Méleagró, ubi torris esset interfectus flammeus*. Afranius apud eundem p. 73, 33 *Septémbris here kalendae, hódie ater dies*.

746. AUT IN AQUAM, SI FORTE LACUS SUBIRATUS AVERNI. Brixiensis editio ex emendatione (nam Veronensis non consentit) SUBSTRATUS. hoc verissimum. tum Lambinus, nescio unde, *Avernost*, casu nominis parum apto, sed *est* recte addito secundum consuetudinem poëtae. id vero aptius inseremus ante *si*, hoc modo, EST *si forte lacus substratus Averni*. ita in V, 606 *Opportunus ita est si forte et idoneus aër*.

747. HIS LOCUS EST CUMAS APUT, ECRI SUIPER MONTIS OPPLETI CALIDIS UBI FUMANT FONTIBUS AUCTI. Quadratus *Is locus* et *montes*. oblongus ante quam corrigeretur *egri*. in his *Is* et *montes* orthographia tantum differunt ab *Iis* et *montis*. mittendum est *his*, quod non puto satis antiquum esse: *montis* cur servari possit, dixi ad I, 805. vocabula corrupta Salmasius Vossius Bentleius optime restituerunt ita, ACRI SULPURE *montes Oppleti*. et *sulpure* Servium hic legisse constat, qui ad librum VI Aeneidos 239 *sane sciendum* inquit *Lucretium et alios physicos dicere aërem corporeum esse; unde aves sustinet: sed hunc cedere vapori sulphureo; unde aves in illis locis, desertae aëre quo portari solent, concidunt non odore sed pondere*. quae apparet sumpta esse ex versu 830 et novem proximis: sed ibi est *vis atque aestus Averni*, vaporem autem illum *sulphureum* esse in hoc nostro versu poëta dicit.

749. EST ET ATHENEIS IN MOENIBUS, ARCIS IN PISO VERTICE. Quadratus *athenis*. corrector oblongi *in* IPSO.

Digitized by Google

Et coniunctionem aliquotiens dixi tam raro in hoc poëmate pro *etiam* poni, ut videatur librariis potius quam scriptori deberi. neque aut frequentior hic usus est apud Plautum aut usquam sine metri sententiaeve damno. ut in Persa IV, 3,7 *Sed ut [et] ego hodie fui benignus! ut ego multis credidi!* in Sticho III, 2, 45 *Quaen [et] ipsa deciens in die mutat locum?* in Poenulo I, 1, 14 *[Et] Ego nunc amore pereo: sine te verberem.* in Mostellaria I, 3, 138 *Mea Philematium, potare tecum conlibitumst mihi. [Libet] Et edepol mihi tecum: nam quod tibi libet, idem mihi libet.* in Milite IV, 8, 31 *Bene quaeso inter vos dicatis et me absentit tamen*, ubi legendum est *dicatis hanc et me absentis tamen*. nescio cur Handius in hunc censum rettulerit illa e Curculione IV, 2, 7, *Memento promisisse te — . meminero: de istoc quietus esto: Et nunc idem dico. set haec conmeminisse ego volam te*. ita enim haec scribi debent; in quibus *meminero et idem nunc dico* inter se coniuncta sunt. neque haerendum in his, quae idem Handius male distinguit, in Amphitruone I, 1, 109, *Et enimvero, quoniam formam cepi huiusce in me, et statum Decet et facta moresque huius habere me similes item*. quod autem ex Rudentis prologo 8 attulit in Tursellini tomo II p. 505, ad hanc rem non magis pertinet: nam cum ibi is versus qui illum praecedit mutilus sit, addendum est *et ego*, in hunc modum, *Noctu sum in caelo clarus atque inter deos: Inter mortalis ambulo et ego interdius, Et alia signa de caelo ad terram accidunt*. superest id genus quod ibidem commemorat, *salve. et tu salveto*, item brevius *salve, Tyndare. et tu:* quibus paria sunt *iam vale. et tu bene vale*, item *vale. et tu, frater*. multorum huius modi exemplorum numeros subieci, quo credibilius fieret, quod Handius dicere neglexit, in eis *etiam* omnino locum non habere. Poen. V, 2, 116 Mil. IV, 8, 5 Rud. II, 4, 3: Capt. V, 4, 12 Cas. III, 2, 11 Poen. V, 2, 79 Sticho I, 2, 33: Bacch. IV, 2, 23 Mil. IV, 8, 42 51 Poen. III, 6, 13 V, 6, 21: Aul. II, 1, 54 Persa IV, 6, 27 Eun. I, 2, 111 Hecyra I, 2, 8. multum enim ab his differt *etiam nunc vale*, quod est in Milite IV, 8, 63. sed Handius, ut in his *et* alio quam vulgari modo dici demonstraret, uno exemplo usus est sane mirabili ex Mostellaria III, 1, 42, ubi est inverso vocabulorum ordine *salve et tu*. quod si hoc unum in hoc genere esse neque usquam huic simile legi animadvertisset, videre poterat ita scribendum esse, *Salvere iubeo te, Misargyrides, bene. Salveto. quid de*

Digitized by Google

argentost? abi sis, belua. quibus gemellum est in Asinaria II, 2, 31 *Iubeo te salvere summa voce, quoad vires valent. Gymnasium flagri, salveto. quid agis, custos carceris?* itaque nihil ab hac parte praesidii est his quibus haec adscribo, *Est et Athenaeis in moenibus:* debuit enim *etiam* esse, ut paulo post 786 *Est etiam magnis Heliconis montibus arbos*. quare hic quoque librarios peccare iudico, nec dubito quin Lucretius scripserit *Est* UT. ceterum ex his existimari potest quam falso Bentleius Terentio hoc *et* pro *etiam* positum ter quaterve adfinxerit.

754. GLAIUM. Sic quadratus. in oblongo prima manu videbar mihi legere *claium:* corrector fecit GRAIUM.

755. SED NATURA LOCI OPUS EFFICIT IPSA SUAPTE. Hic prima offensio in hiatu est, cui nullum similem esse paulo ante ad versum 743 dixi. Avantius vitium vitio redemit, cum scripsit *Sed natura loci hoc opus:* nam Lucretius vocabula ïambi pedis mensura comprehensa, quae in vocalem desinunt, non copulat cum insequenti vocali. quid ergo? hiatus facilius ferri potest quam elisio, praesertim sequente vocali brevi. at pronomen postulat sententia. ita est: sed repudiat *opus*, nisi forte cornicum opus dicemus esse eorum fugam et discessum. scio quidem *opus* pro effectu dici, sed de re operosa et magni moliminis, ut in I Lucretii 153 *formido mortalis continet omnis, Quod multa in terris fieri caeloque tuentur, Quorum operum causas* —, et in Aetna Lucilii 25 *Qui tanto motus operi, quae causa perennis Explicet immensum flammas* et cetera, et ibidem iterum 115 de re magna *non est hic causa docenda, Dum stet opus causae*. quam ob rem huic loco ne hoc quidem convenire iudicabimus, *Sed natura locusque opus efficit ipse*, sed *operis* vocabulum ante omnia delebimus, non tamen ita ut in eius locum nihil sufficiamus: quod cum neglexisset in quadam Varronis sententia O. Müllerus, omnem rem sese pervertere non sensit. de lingua Latina libro VII p. 283 haec habet Florentinus codex. *nec mirum, cum non modo Epamenidis* OPUS *post annos* L *experrectus a multis non cognoscatur, sed etiam Teucer Livii post* XII *annos ab suis qui sit ignoretur*. Lagomarsino tamen potius apparuit *opes*, nisi quod ei prima et tertia littera incertae visae sunt: huic super scriptum olim fuisse quasi *m*. iam illud *cognoscatur* tempore praesente positum ostendit scriptoris nomen

Digitized by Google

a Varrone significatum esse: ergo nihil certius est quam scribendum esse *Epimenides meus;* quamquam Victorio ad Varronem emendandum non profuit satiram eius quae *Sexagessis* inscripta fuit memoriter contulisse, in variis lectionibus XXIV, 1. sed in Lucretii versu quaerendum est etiam quid sit *suapte*. id pro *sponte* dici somnium est Isaaci Vossii ad Catullum p. 113, cui quae aliquam speciem conciliare possunt non attulit. scilicet Accius in Nyctegersia dixit *Illos suapte induxit virtus: tu laudem illorum levas*, apud Nonium p. 336, 30; quod tamen facili opera ad notum loquendi genus reduci potest sic, *Vi illos suapte*. item Varro de lingua Latina V p. 111 *Deinde postea quam desierunt esse contenti his quae suapte natura ferebat sine igne, in quo erant poma;* ubi tacet Müllerus, sed *suapte sponte* legitur in rerum rusticarum III, 7, 1, et apud Columellam in IX, 1, 6 *cibis quos suapte natura terra gignit*. nam quod apud Charisium extat p. 195, *Seorsum. Cato senex, Suapte natio sua separata seorsum*, id non puto quemquam intellegere posse. diversum est *sapsa res* apud Festum p. 325, 29, recto casu; quod est ea ipsa, et scribitur *eapse* in Plauti Cistellaria I, 2, 17 et in Rudente II, 5, 21, *ease* in Milite II, 1, 63. *suapte* igitur in hoc Lucretii versu, quamvis parum explorata tam miri usus origine, Accio et Varrone auctoribus fortasse tolerandum esse dicerem, si reliqua expedita essent. hoc tamen tamquam monstrum Lambinus ut procuraret, scripsit *opus efficit ipsa sua vi;* in quo apparet eum arti non magis quam Avantium satis fecisse. et erat tamen res facillima non modo sedem vitii cognoscere, sed etiam ipsam veritatem adsequi. est autem scribendum *Sed natura loci* VI IBUS OFFICIT *ipsa suapte*. de *ibus* satis dictum est ad librum IV, 934. *vi* cum *et quo* colliditur in II, 549: neque esse cur id cum brevi syllaba non fiat, dixi ad librum I, 1091.

757. QUADRIPEDES QUOQUE QUO SIMUL AC VESTIGIA PRIMUM INTULERINT, GRAVITER VIS COGAT CONCIDERE IPSA, MANIBUS UT SI SINT DIVIS MACTATA REPENTE. Hunc immanem soloecismum, *quadripedes mactata sint*, interpretes castissimo Latinitatis auctori impudenter adscribunt, quibus satis est quod *quadripedes* alio nomine *animalia* vel *iumenta* vocari possunt. hoc vitium nullo alio modo elui posse puto, nisi ut scribamus *Manibus ut si*

Digitized by Google

FIT *divis* MACTATU' *repente*, id est victimarum immolatio, ut in libro primo *Hostia concideret mactatu maesta parentis*.

761. ET QUIBUS E FIANT CAUSIS APPARE ORIGO. Correctores veteres APPARET. sed mira est *e* praepositionis traiectio; qua poëtam cur usum esse dicam nescio, cum posset simpliciter scribere *Et quibus e causis fiant*, ut in v, 752 *Pluribus e causis fieri*. aut hoc igitur, quod Marullus voluit, eum dedisse puto, aut potius *quibus* EFFIANT *causis*. in libro III, 1055 *E quibus id fiat causis*. dixit *effieri* Plautus in Persa v, 1, 9, *confieri* vero Lucretius saepe, iidemque *interfieri* et *interfiat*, et hic in III, 332 fortasse *effiunt*.

762. IANUA NE POTEIS ORCI REGIONIBUS ESSE CREDATUR. Antiquus corrector oblongi *potis*, itaque olim impressi. sed alio modo adiuvanda est scriptura vocis, ut dicamus PUTEIS; quod Turnebus quoque vidit, qui tamen mire interpretatur in adversariis XXII, 19 de ianua puteorum Orci. immo *Puteis regionibus;* id est Puteolanis (*Poteoli* in grammaticis Vindobonensibus p. 101): nam lacum Averni Cumas inter et Puteolos esse constat. in re certa et perspicua de illa mirabili adiectivi forma dubitandum non est, qua neque Lucilius usus erat, cum scriberet in satirarum tertio *Inde Dicaearchium populos Delumque minorem*, neque eam post Lucretium alius poëta periclitatus est. dicebantur tamen *putei* et *putea* genere ambiguo; quo fieri potuit ut paulo minor esset in *puteis regionibus*, quasi puteosis, offensio. horum vocabulorum rationi simillima sunt *clupeus clupeum Clupea* civitas, neque aliena haec nomina substantiva tergemina, *araneus aranea araneum*, *acinus acina acinum;* quae ab adiectivis translata esse fidem faciunt non nulla pariter mutabilia, quae eadem adiectiva sunt, ut *nuntius nuntium*, *mundus mundum*, *cubitus cubitum*, *arvum arva*, *clivus clivum*, *canticum canticula*, *posticum postica*, *lupinus lupinum*, *labrusca labruscum*, item *forus forum* cum adiectivo *foras*. eiusdem generis alia permulta sunt, quae adiective dici olim desierunt, *fluvius fluvia*, *labium labea*, *apium apius*, *corium corius*, *nerviae nervia*, *ostreae ostrea*, *horreum horrea*, *caseus caseum*, *balineum balineae*, *latrina latrinum*.

764. INFERNA. Lambinus INFERNE.

767. A VERE. Itali et impressi *a* VERA.

768. NAM DE RE NUNC IPSA DICERE CONOR. *De re* non

Digitized by Google

habet oblongus : sed causam video nullam, cur quadrato et schedis non sit habenda fides . Antonius Marii *nam nunc ipsa de re dicere*, olim impressi *nam nunc ipsa tibi dicere*.

770. CULUSQUE MODI. Correctores veteres CUIUSQUE.

771. MULTA CIBO EQUE SUNT VITALIA. Recte Wakefieldus, et quidem primus, edidit *cibo* QUAE *sunt*. sic versu 1095 *Et contra quae sint morbo mortique necessest Multa volare*.

777. PER AURAS. Marullus *per* AUREIS.

778. INFESTA ATQUE ASPERA TACTU. *Tactus* hoc loco pro odore inepte dicitur, quia statim sequitur *tactu* simpliciter positum proprio sensu. nulla cum specie Lambinus *odore*, Bentleius *sensu*. legendum est *aspera* ADACTU. libro v, 1330 *feros dentis adactus* . in III, 171 *vis horrida teli intus adacta* . idem est *adiectus*. libro IV, 673 *quo pacto naris adiectus odoris Tangat*. in I, 689 *nostros adiectu tangere tactus*.

780. TRISTITIA. Quadratus *tristicia*. TRISTIA Itali et impressi.

781. SINT. 782. INFESTO SENSU SPURCEQUE GRAVESQUE. Apud Nonium p. 394, 18, *sint* omisso, *infestu sensu spurcae gravisque*.

787. TAETRO CONSUETA NETARE. Corrector oblongi NECARE.

788. HAEC INDEOTRIS EX. Marullus IDEO TERRIS *ex*.

791. UBI ACRIS NIDORE OFFENDIT NARES, CONSOPIT IBIDEM. Primus, nisi fallor, Lambinus ACRI *Nidore*. ceterum Vossiani habent *consopit*, non *cum sopit*, quod Havercampi inventum est.

798. LABEFACIANT. Itali et impressi LABEFACTANT.

799. DENIQUE SI CALIDIS ETIAM CUNCTERE LAVABRIS PLENIOR EFFLUERIS, SOLIO FERVENTIS AQUA QUAM FACILE IN MEDIO FIT UTI DE SAEPE RUINAS! Quadratus *etiam cumtere*. corrector oblongi *lavaris*. Itali et impressi *ferventis* AQUAI. Marullus *fit uti* DES. in *lavabris* haerendum non fuit; quod tam Latinum est quam *et flueris* pro fluxeris barbarum et Eichstadianum. *lavabro* et *labro* simillima sunt *lavatrina* et *latrina*, quorum illud pro altero reddendum est Pomponio apud Nonium p. 504, 25 *Ita velim facias . iam pridem volo lavatrinam lavi*, et minus nota forma vocabulum *praevides*, id est praevades, in lege Thoria versu 46 47 100, in qua eadem lege nihilo minus semper scriptum

Digitized by Google

est *praes* et *praedia*. propter Chr. Iahnium, qui Heinsio ad Ovidii artem I, 161 recte praecipienti non credidit, observabo haec omnia a verbis primae declinationis deducta natura longa esse, *labrum* et *labellum* pro vase, *flabra*, *flabellum*, *velabrum*, *ventilabrum*, *volutabrum*, *candelabrum*, *dolabra*, *Dolabella*, *curia calabra*, *anclabris mensa*. de ceteris interpretes ne id quidem intellexerunt, quod tamen ante omnia quaerendum fuit, apodosin incipere ibi, *solio in medio quam facile fit*. in protasi et *effluveris* monstro simile est, neque *si cunctere* per se satis apertum: non enim cunctari aut morari in balneo periculosum est pleno ventre, sed lavari. Lucretio nihil convenit nisi simplicissimum et aptissimum: id est autem *Denique si calidis etiam* CUNCTARE *lavabris Plenior* ET LAVERIS.

793. CONCIDERE ET PUMOS QUI MORBO MITTERE SUEVIT. In hoc versu comparationem morbi comitialis inesse manifestum est. quae quia neque in eo qui luminis extincti odore consopitus est neque in ceteris qui hic enumerantur locum habet, nisi in eo qui in solio caldae concidit, in qua sede hic versus reponendus sit dubitari non potest. id interpretum nullus ne suspicatus quidem est, neque iidem emendando quicquam promoverunt, praeter hoc unum quod Lambinus Memmiano codici recentiore manu *spumas* adscriptum vidit. excipit quidem Lambinus, *agi spumas*, non *mitti*: sed spumas, cum funduntur, cur *mitti* non dixerit qui et *fumum mitti* et *sanguinem* et *sanguinis signum* et *imbrem* et *laticis guttas mitti* dixit? itaque hic versus ita rectissime formabitur, *Concidere et* SPUMAM UT *qui morbo mittere suevit*. recte enim *spumam* singulari numero, ut Ovidius metam. VIII, 417 *Stridentemque novo spumam cum sanguine fundit*. idem in eodem 288 *Fervida cum rauco latos stridore per armos Spuma fluit*. Columella in VII, 5, 19 *et spumam quandam tenuem taetri odoris expergit*. et observa *qui suevit* scriptum esse, non *qui suerunt*, ne forte alium huic versui et aptiorem locum quaeras.

803. QUAM FACILE IN CELEBRUM, NISI AQUA PRAECEPIMUS ANTE. *Caelebrum* quadratus, Itali CEREBRUM, et iidem AQUAM. oblongus prima manu *precipimus*.

804. AT CUM MEMBRA DOMNUS PERCEPIT FERVIDA SERVIS, TUM FIT ODOR VINI PLAGAE MACTABILIS INSTAR. Quadratus *fervidafervis*: Ioh. Bapt. Pius Haec duo

Digitized by Google

carmina' inquit 'mutila sunt et praecerpta ea incuria ut sensus nullus elici possit: ceterum in lectione prisca sic emendata reperio, *At cum membra domus percepit fervidus ignis, Tum fit odor viri*.' rectissime hic emendator (nam de prisca lectione cave Pio credas) *membra* DOMUS, quod Brixiensis quoque editio habere fertur, et egregie tuetur Gronovius in observationibus III, 5 p. 467. Gesnerus in thesauro de his *membris* multa rettulit, item in rei rusticae scriptorum indice, sed neglexit Lucretium et Gronovium. porro optime idem vetus emendator *odor* VIRI, qui genetivus est in libro II, 476. quamquam miror eum qui hoc vidisset ab omni sententia cum ceteris Gronovioque ipso aberrasse, cum posset tamen *at* coniunctio vel sola indicio esse poëtam hic non de alia re dicere quam de illo ipso *carbonum odore*, in quo versus duo proximi versantur. quare certissimum est legi debere *percepit* FERVIDIOR *vis*. ceterum *mactabilem* odorem et plagam nihil aliud esse quam *letalem* satis apertum est. ita Attius in Medea *liberorum leto tabificabili*.

806. SULPUR IN IPSO. Corrector quadrati et Itali *in* IPSA.

808. ARGENTO VENAS AURIQUE. Itali ARGENTI.

810. QUALIS EXPIRET SCAPTENSULA. Ita et membranae et Festus p. 330, 15 atque ex eo Paulus p. 147, nisi quod apud hos *Quales* scriptum est. iidem Scaptensulam in Macedonia esse tradunt et a fodiendo dictam, cum in Thracia Macedoniae parte sit et a solo silvestri fosso nomen duxerit. nam Fabrum errare puto, cum nomen generale esse dicit, quo materia fossilis significetur, id est metallum. hunc tamen Creechius et Wakefieldus cum servitiis secuntur, qui nomen appellativum faciunt, Dacerius eundem suo more expilat ad Festum. Mülleri verba subieci, quae aliis fortasse clariora sint quam mihi. 'Hoc oppidum, Thucydidis exilio nobilitatum, primum Σκαπτὴ ὕλη, deinde genitivo in nominativum deflexo Σκαπτησύλη dicebatur, Scaptensula autem ex tribus casibus factum pessima consuetudine invaluit.' mihi certum videtur Scaptesylitas in nomine suo sigma litteram in *silvae* vocabulo ex ultima antiquitate deductam retinuisse, in quo aliarum regionum scriptores a sua consuetudine deflectere non potuerint (quamquam in inscriptione Attica est εκ σκαπτεσυλεσ, in corpore inscriptionum Graecarum n. 146,

Digitized by Google

39 52), Romanos autem milites parvo oppido formam deminutivam convenire ratos syllabam paenultimam corripuisse: nam de *n* interiecto non laborabit qui *Termensium maiorum Pisidarum* et *Chersonensi* et *thensaurorum* meminerit.

811. AURATA METULLA. Corrector oblongi METALLA.

813. NONNE VIDES AUDIRE. Optime Itali AUDISVE.

815. QUOS OPERE IN TALI COHIBET VIS MAGNA, NECESSEST. Oblongus prima manu *Quò*. quadratus, ut saepe, *necesse est*. hic mirabile est quam crassa vitia interpretes praeterierint. vide enim quae praecedant. primum hoc, *Nonne vides audisve perire in tempore parvo quam soleant?* huic aliquis adiungendum putet quod sequitur, *et quam vitai copia desit?* sed hoc illud *necessest* in extrema sententiae parte non patitur. dicendum ergo haec esse exclamando affirmantis, *et quam, vitai copia desit Quos opere in tali cohibet vis magna, necessest!* ita recte loquetur qui causam, cur id necessario eveniat, appositurus est (hoc autem poëta non facit); non is qui modo dixerit te visu vel auditu iam scire quam brevi tempore illi perire soleant. accedit quod illa *vis magna*, quae eos in auri fodiendi opere contineat, qualis sit non satis diserte dictum est, cum servitus intellegenda sit. itaque apparet priori membro nocere illud *necessest*, alteri deesse significationem *necessitatis* qua in opere metallorum coërceantur. miram rationem Turnebus excogitavit in adversariorum libro XXVI, 13, qua haec inter se coniungerentur, *necessest vis magna*, id est *vis magna necessitas;* qualia certum locum tenent neque extra artes procedunt, ut est in iure *interdictum unde vi*, item *do lego legatum*, et quod item in iure dici Agroecius grammaticus testatur p. 2271 *damnas esto legatum*, non *legamen*, ut est apud Putschium. quare omnino scribendum est, prioribus ad *Nonne vides* reiectis, *Quos opere in tali cohibet vis magna* NECESSIS. hanc enim genetivi formam et Donatus agnoscit et senatus consultum de bacchanalibus factum. Donatus ad Terentii Eunuchum v, 5, 28 *Necesse* (legendum *Necessus*) *est nomen: nam necessus* (addendum *et necesse*) *necessis et necessitas et necessum lectum est*. in aere Vindobonensi v, 4 *Sei ques esent quei sibei deicerent necesus ese bacanal habere*. quod intellegendum est *necessis* sive necessitatis *esse*, legitima genetivi forma, quam solam habet eadem tabula in *nominus Latini* 7 et *u* propter alterum *u* in *o*

Digitized by Google

mutato *senatuos* 8 17 21 23: nam *promagistratuo* ibidem 12 vitiosum est et debet esse *pro magistratud*, *necessus* autem propter *esse* recto casu accipi non potest. eo qui usus sit Aulum Gellium in Atticarum noctium libro XVI, 8 (ibi est *necessus fuit*) solum invenio praeter Terentium, qui habet *necessus fuit* in Eunucho V, 5, 28, *ut sit necessus* in Heautontimorumeno II, 3, 119. si in Bembino codice Andriae actus secundus eiusque scaenae secundae versus 35 lectus esset, ibi quoque haberemus *Quasi necessus sit*. sed ante vocalem Terentius *necesse*, *necesse est*, *Non fuit necesse habere* Phorm. II, 1, 66, item accusativo casu *necesse habeo*. Plautus recto casu *necessumst*, *necessust*, *necesse est*, accusandi *necessum esse* in Milite IV, 3, 25 et *necesse esse* in Asinaria I, 1, 9. accusativo neutri generis Lucretius in II, 289 mire adiectivum addidit; *necessum intestinum*. sed *necessu*, quod exemplaria vetera habent in eodem libro 468, non potest intellegi. *necessu est* oblongus in IV, 516.

817. IN APERTUM PROMPTAQUE CAELI. Ita quadratus et schedae: oblongus et olim impressi *in aperta*, Antonius Marii *in apertaque*.

818. SIC ET AVERNA LOCA MALITBUS. Corrector quadrati, Itali, Marullus, *loca* ALITIBUS. *et* particulam hic ferri non posse satis supra, nisi fallor, evici. et ne dixit quidem alibi Lucretius *Sic etiam*, sed simpliciter, ambiguitatem non evitans, *Sic hominum genus est* in III, 307, et in hoc libro paulo post 895 *Sic per eum fontem*. ad hoc exemplum scribendum est *Sic* EA *Averna loca*.

820. UT PATIUM CAELI QUODAM DE PARTE VENENET. Correctores veteres *Ut* SPATIUM. Itali et impressi QUADAM. *venenet* quadratus et schedae: *veneni* oblongus a correctore, neque apparet quid a prima manu fuerit. Itali et olim impressi *veneni*, Marullus *venenet*.

825. RELIQUIAS VITA. *Relliquias* oblongus. VITAE Itali.

831. TERAMQUE. Itali et impressi TERRAMQUE.

832. PROPE UTI LOCUS HINC LINQUITUR INANIS. Quadratus *linquit*, Itali et impressi LINQUATUR. sed praeterea scribendum HIC.

833. CUIUS UBI E E REGIONE LOCI. Alterum E delevit corrector oblongi.

836. NIXARI NEQUEUNT. Festus p. 177, 7 Nictare *et*

Digitized by Google

oculorum et aliorum membrorum nisu saepe aliquid conari dictum est ab antiquis. ut Lucretius l. IIII *Hic ubi* nexari *nequeunt insistereque alis*. ex ipsa scriptura apparet Festi errorem esse, qui Verrium male contraxerit.

CUR AQUA IN PUTEIS AESTATE FRIGIDIO SIT. 840 QUE FRIGIDIOR PORRO IN PUTEIS. Schedae COR et *frigidior sit*. capituli loco spatium vacuum habet quadratus, ut semper: idem, *Q* littera item de more omissa, *uae;* schedae *Que* cum oblongo. hoc in olim impressis *Cur* factum Itali iam sustulerant, neque hos qui secuti sunt sibi quicquam ultra quaerendum esse existimarunt. supra libro V versus LII a 928 usque ad 979 duas codicis antiquissimi paginas fuisse vidimus. inde usque ad versum 1444 sunt carmina CCCCLXV, capitula tria: hi versus CCCCLXVIII efficiunt paginas XVIII. in pagina unde vigesima fuerunt Lucretii versus reliqui tredecim et capitula libri sexti propter spatii angustiam hac fere ratione disposita. in oblongo index capitulorum versus XXVI tenet, quorum numeros praescripsi.

TITI LUCRETII CARI DE RERUM NATURA
LIB. V. EXPLICIT. INCIPIT LIB. VI.

1 Qui procurationem dis attribuit mundi, sibi ipsum de dis immortalibus sollicitudines constituere.
De tonitru.
De fulgure. In Syria quadripedis.
5 In nubibus seminet Cur aqua in puteis frigidior ignes inesse. sit aestate.
De fulmine. De fonte ad Hammonis.
Ignis ex fulmine natura. In aqua taedam ardere.
Fulmina in crassioribus De fonte Aradi in mare.
10 nubibus et alte gigni. De lapide magnete.
De tonitribus et terre motu. Fluere ab omnibus rebus.
Autumno magis fulmina et tonitrua fieri.
De nubibus.
15 Spiracula mundi.
De imbribus.
De arquo.
De terre motu.
Quare mare maius non fiat.
20 De Aetna.
De Nilo fluvio.
De lacu Averni.
Cornicis Athenis aedem Minerve non esse.
Raras res omnis esse.
25 Pestilentia unde creatur.
DE PESTILENTIA ATHENIENSI

libri sexti versibus ab initio DCCCXXXIX adnumerandi sunt tituli XIX, fiunt DCCCLVIII: eae sunt paginae XXXIII. his si illas XIX paginas, quae erant libri quinti pars, addideris, videbis ab hoc capitulo quod est *Cur aqua in puteis aestate frigidior sit* initium capere paginam quinquagesimam tertiam sive schedam XXVII. hic calculus ineundus fuit, ut appareret nihil obstare quo minus hic scheda aliqua ex codice eo qui nostrorum parens est excidisse existimetur. satis autem causae esse cur hic lector editoribus Lucretii paulo attentior haereat, demonstrari facillime potest: nam neque ipsa res quam poëta hic tangit satis pertractatur, neque ab Averno ad frigora et calores fontium sola hac coniunctione,

Digitized by Google

quae est *porro*, interiecta transiri potuit. quid quod testes non desunt, qui nobis eorum quae hic amisimus partem rettulerint. quid enim huic loco aptius esse potuit quam splendida illa argumenti nimis ampli recusatio, qua Lucretium alicubi usum esse Servius auctor est? huius haec verba sunt, adscripta his Vergilianis in VI Aeneidos 625, NON MIHI SI LINGUAE CENTUM SINT ORAQUE CENTUM, *Ferrea vox. Lucretii versus sublatus de Homero. sed ille* AEREA VOX *dixit.* idem Servius iterum ad eadem carmina in georgicon II, 43 posita *Lucretii versus: sed ille aenea vox ait, non ferrea.* sed ibi et in lemmate peccatur (praescribitur enim *Non ego cuncta meis*) et *aenea* trisyllabum vitiosum est. deinde alio loco Servius rem indicat quam exsecutus fuerit poëta, ubi hoc quod nos legimus ab eo *exempli causa* positum dicit, ad georgicon IV, 51 *pulsam hiemem sol aureus egit. Secundum physicos, qui dicunt, quo tempore hic hiems est, aestatem esse sub terris, et versa vice, cum hic aestas, illic hiemem. quod etiam Lucretius exequitur, et trahit in argumentum putealem aquam, quae aestate frigidissima est, hieme vero calidissima.* quis igitur dubitet quin huc ea referenda sint quae Claudius Sacerdos habet p. 26? *S vero littera*, inquit, *eliditur sola, si a consonanti incipiat altera pars orationis. ut Lucretius* MENSIBUS FRIGUS, *et alibi* (I, 186) *Ex infantibus parvis.* scilicet *aestivis mensibu' frigus.* quin et eodem pertinent quae apud Charisium leguntur p. 43 et in excerptis orthographicis apud Putschium p. 2779, *Camara dicitur, ut Verrius Flaccus affirmat, non camera per e. sed Lucretius Cameraeque caminis exteritibus dicendo etiam cameram dici posse ostendit.* in his Charisii codex aliquotiens peccat: Lucretii verba in excerptis ita scripta sunt, *cameris ex teretibus.* mihi certum videtur Lucretium scripsisse CAMERAEQUE CAMINIS, sed illud *exteritibus* non possum certa ratione emendare. postremo Philargyrium commemorabo, qui ad georgicon III, 136 haec habet, *Lucretius* NE OBLIMET *pro obturet et obcludat.* haec quoque in eadem re locum habere potuerunt: certe cur Lucilio potius tribuenda sint nullam causam video. nam quae Nonius habet p. 229, 1 *Lucretius, Tantus conduxerat omnia torpor*, ea huc pertinere non pugno; quamquam, si *conduxerit* scribendum est, possunt de hiemis tempore dicta esse.

841. ARESCIT QUIA TERRA CALORE, ET SEMI SI-

Digitized by Google

QUA. Lambinus RARESCIT optime. SEMINA Itali. superest ut scribatur *si* QUAE: ita enim semper Lucretius, *si quae* genere neutro in IV, 199 804, feminino *aliquae*, *ne quae*, *ecquae*, *ecquae nam*.

842. PROPRIE. Oblongus *propriae*. PROPERE Marullus, item impressi omnes.

843. EFFETA. Sic oblongus: quadratus *effecta*.

846. FIT SCILICET IN COEUNDO. Primus, quantum scio, Lambinus UT *coëundo*. licet Wakefieldus cum suis eum vituperet.

848. ESSE APUD HAMMONIS. Oblongus et schedae *Essapud*. *Est* (sic Itali et impressi), quia neque auctorem habet neque sensum, Eichstadius et Forbiger probant.

849. FRIGIDAS ET. Correctores antiquissimi FRIGIDUS.

851. FERVESCERE PARTIM. Lambinus rectissime RAPTIM.

857. SUPER. Marullus SUBTER.

858. PERQUOCERE UMOREM ET CALIDO SOCLARE VAPORE. Impressi veteres *sol dare*. *sociare* Antonius et Marullus sine sensu. recte Pius 'lego' inquit '*calido* SATIARE *vapore*'.

860. SUM RADIIS. Antiqui correctores SUUM.

861. TERRA MAGIS QUOD PARA TENET CIRCUM FONTEM QUAM CETERA TELLUS. Quadratus *Partene circum*. egregie Lambinus et Turnebus adversariorum XXVI, 13 RARA, sed mire iidem non viderunt scribendum esse TEPET. nam sine hoc argumentum non procedit, neque aut *tenet* terra *fontem*, aut terra *rara* magis *tenet* sive cohaeret quam cetera.

864. TERRAM NOX OBRUIT UNDIS, EXTEMPLO SONITUS FRIGESCIT TERRA. Prorsus egregie Marullus UMBRIS. sed idem non recte *subtus*, quo vocabulo Lucretius non utitur; quare scribendum est PENITUS.

868. LATICIS TACTUM ATQUE VAPOREM. AQUAE legendum esse dixi ad versum 552. SAPOREM videtur a Lambino esse: sed alterum ferri non potest, cum vapor quoque tactu percipiatur.

870. CALIDO MISCENTE VAPORE. Eleganter et vere

Digitized by Google

Wakefieldus GLISCENTE. hunc Eichstadius et Forbiger libentius secuntur, cum peccat.

874. SOLIS RADIS IACTATUR AQUA UMOR. *Radi* quadratus, RADIIS corrector oblongi. hoc est apud Macrobium in Saturn. VI, 4, sed ibidem *aqua* ut in Lucretii exemplaribus.

877. DEMITTAT, QUASI. Primus, puto, Lambinus DIMITTAT. haec apud Priscianum p. 685 vitiosissime scripta sunt, et quidem hoc modo, si Krehlio fides. *Propterea fit uti quae cumque habet in se Mittat, quia saepe gelum, quod continet in se, Emittit.*

878. NOBOSQUE. Corrector oblongi *novosque*. optime Antonius Marii NODOSQUE.

879. FRIGUS EST. Itali et Brixiensis editio FRIGIDUS.

880. STUPPA LACIT FLAMMAM. Correctores veteres IACIT.

887. NON ITA MUITA TAMEN. Isaacus Vossius MULTA.

888. PRETEREA DISPERSA. Oblongus *d* in litura habet, quadratus *Praetere dispersa*. scribendum PROPTEREA, quod iungatur prioribus. nulla in his nova causa.

889. CONCILIARE. Lambinus CONCILIARI.

890. QUOD GENUS ENDO MARIS PARAT FONS. *Endo* hic semel codices, alibi *indu:* sed corrector oblongi *inde*. in oblongo titulus est ante versum 888 DE FONTE ARIDI (schedae *aridia*) IN MARE: in capitulorum indice ante librum sextum Leidensis uterque *De fonte aradi in mare*. Strabo in libro XVI p. 754 multa habet de fonte in freto maris prope Aradum scaturiente. haec omnia cum sciret Isaacus Vossius, noluit tamen scribere *endo* MARIST ARADI *fons*, quod erat simplicis et recti iudicii (itaque nuper Iacobus Bernaysius), sed maluit ter peccare scribendo *endo mari Aradio fons:* nam Lucretii arti conveniret *endo mare Aradio est fons*, nisi *Arados* prima brevi esset. Dionysius Ἄρχι δὲ Φοινίκης Ἄραδος μεγάλῳ ἐνὶ πόντῳ. Avienus *Lata dehinc Aradus Phoenicum praeiacet oram*. Priscianus *Nec procul est Arados Phoenices aequore cincta*. neque aliter Silius in I, 380 *Hic magno socios Aradum clamore vocantem*.

892. PRAETER. Itali acute et vere PRAEBET.

894. QUOD DULCIT. Iidem DULCIS.

896. QUE CUM CONVENIUNT AUT INDEDA CORPORA

Digitized by Google

ADHAERENT. *Aut* prima manu non habet oblongus. QUO *cum* Lambinus, Wakefieldo frustra obnitente. *aut in* TAEDAI CORPORE *adhaerent* Is. Vossius, melius quam Marullus, qui fecit *aut in taeda cum corpora adhaerent*. recte *in corpore taedae*, ut paulo ante 863 *corpus aquai*.

898. QUI MULTA QUOQUE IN SE SEMINA HABENT IGNIS STUPPAE TAEDEQUE TENENTES. *Qui* veteres, non *quod:* recte Marullus QUIA. sed *habent in se tenentes* molestum est et sine exemplo. Lucretium scripsisse puto *Semina ignis* TEPENTIS, id est calidi, qui nondum exarsit.

900. NOCTURNA AD LUMINE. Oblongus *limine:* huius corrector *limina*. quadrati LUMINA, et sic Antonius impressique.

907. LAPSI HIC. 908. QUAM. Quadratus *Quae*. huius corrector item Antonius, LAPIS et QUEM.

909. MAGNETUM QUIA FIT PATRIIS IN FINIBUS ORTUS. Impressi *quia sit*, parum Latine. melius scribemus ORTU.

912. QUI NEQUE ETENIM. Corrector quadrati et Itali QUINQUE.

913. ORDINE DEMISSO LEVIBUS IACTARER AURAS. Corrector oblongi IACTARIER AURIS. Lambinus prudenter *Ordine* DEMISSOS.

915. VINCIAQUE. *Vintiaque* oblongus. huius corrector VINCLAQUE.

916. PERMANATER VIS PERVALET EIUS. Itali et Marullus PERMANANTER. sed *pervalet* mirum vocabulum est neque alibi lectum: recte Turnebus adversariorum XXVI, 13 et Bentleius PERVOLAT.

919. AMBAGINIBUS. Corrector oblongi AMBAGIBUS.

921. AB REBUS. Ita quadratus, neque aliter usquam Lucretius. oblongus *a rebus*.

922. MITI SPARCIQUE. MITTI SPARGIQUE corrector quadrati et Itali. ita in IV, 676 *mitti volgo spargique*. supra in IV, ubi iidem versus sunt, 216 *mira fateare*.

923. CORPORA AQUE. In libro quarto QUE.

925. FRIGUS UT FLUVIS, CALOR A SOLE. In quarto et apud Nonium *Frigus ut* A FLUVIIS, *calor* AB *sole*. ante *s* litteram semper scriptum est *ab*, *ab se*, *ab sensu*, *ab sensibus*, *ab sensiferis*, *ab sole*, *ab summo*, *ab stellis*. quare certo rei-

Digitized by Google

cienda sunt *a se* II, 1135, *a saxo* VI, 1047, *a stirpe* IV, 1222, et in IV, 288 verius est *av speculo* quam *a speculo*.

927. NEC VARII CESSANT SONITUS MANARE PER AURAS. In libro quarto *variae voces volitare*. horum utrumque a Lucretio esse credo: sed alterutrum utrobique legeretur, si poëma ipse edidisset. mihi quidem allitteratio blanditur. paulo ante *litora circum*, in quarto *litora propter*.

928. VENT UMOR. Correctores veteres VENIT, ut in quarto.

929. DILUTAQUE CONTRA 934. CUM TUIMUR. Haec in sexto quoque libro coniuncta legebat Priscianus, qui ea inde excitat p. 838. eius libri partim *Contuimur*, omnes *amara*.

931. REQUIS. Corrector oblongi REQUIES, ut in quarto.

933. CERNERE ODORARI LICET ET SENTIRE SONARE. Dixi de hoc versu ad librum IV, 229.

937. CLARE. Itali optime CLARET.

938. PERTINET ARDES. *Artes* quadratus: eius corrector et ceteri AD RES.

940. FIRMARA. Corrector oblongi FIRMARE.

941. NIHIL ESSE IN PROMPTUM SI CORPUS MIXTUM INANI. Corrector oblongi *in promptu* NISI. tum Antonius Marii et Brixiensis editio MIXTUM CORPUS *inani*. Wakefieldus *corpus mixtum in inani*, alio sensu, sed absurdo.

942. SAXA SUPERNA SUDENT UMORE. Legendum puto SUPERNE. alterum nescio quid adfectati habet.

944. MANAT ITEM NOBIS E TOTO CORPORE SUDOR. Interpres Veronensis Aeneidos II, 173 sine poëtae nomine ...*que* (*Namque* Maius: non minus rectum *Atque* vel *Usque*) *laborando manat de corpore sudor*. fefellit illum memoria, ut opinor: certe melius est nostrum. Henricus Keilius p. 86, 20 versum mirabilem effecit hunc, *Salsus namque laborando manat de corpore sudor*.

955. MORVIDA VISQUE SIMUL, CUM EXTRINSECUS INSINUATUR. Wakefieldus ridiculus est, qui *simul* ita capit quasi *item* scriptum sit, et ad haec ex superioribus verbum quodcumque intellegendum scribit, sive *permanat*, sive *penetrare suëvit*, quae praecedunt sane haec 952 953, sive denique *permananter valet* ex versu 916. melius egerunt ii correctores quos Lambinus secutus dedit *Morbida vis quaecumque extrinsecus insinuatur*. sed nihil clarius esse potest quam

Digitized by Google

hunc versum non suo loco legi, qui in suo repositus satis facit, ita. *Diditur in venas cibus omnis, auget, alitque Corporis extremas quoque partis unguiculosque, Morbida visque simul, cum extrinsecus insinuatur*. ita haec ego correxeram, cum vidi Arnobium quoque in hoc loco *unguiculos* cum *morbo* proxime coniunctos legisse. sic enim ille in II p. 77, *Quid enim si hominem dicas captum membris omnibus et eiulantem ex cruciatibus asperis idcirco esse* sanum, *quod unius* unguiculi *nullum perpetiatur dolorem; aut esse* auream terram, *quod in verrucula collis unius insint exiguae* miculae, *quibus nascitur colliquefactis aurum?* quorum alterum quoque membrum ex Lucretio detortum est, et quidem ex libro I, 839 *Ex aurique putat micis consistere posse Aurum, et de terris terram concrescere parvis*.

952. PERVOLITANT, PERMANAT ODOR FRIGUSQUE VAPOSQUE. Quadratus *frigus quaposque*. olim impressi *vaporque*. Nonius p. 487, 6 *Vapor et vapos, et timor et timos, et labor et labos, ita sunt ut color et colos. Lucretius lib.* VI *Pervolitas, permanat ados frigusque vaposque*. hinc Lambinus edidit *odos* et *vaposque*, alterum recte, alterum a librariis Nonio temere illatum.

954. QUA CIRCUM CAELI LORICA COERCET. Avantius *colli*: Wakefieldus interpretatur circulum colli, Vergilium testem citans, qui lorica collum cingi dixerit. at ille dixit, ut hominem sanae mentis decet, *Loricam galeamque inter, qua colla sedentis Lucent*. Marullus fecerat *corpus*. Antonius Florentinus *corii*. sed Lucretius scripsit GALLI *lorica*. Varro de lingua latina libro V p. 121 *Lorica, quod e loris de corio crudo pectoralia faciebant. postea subcidit Galli e ferro sub id vocabulum, ex anulis, fere iam tunica*. ita enim haec scribenda sunt ex Florentino codice, qui tamen habet *ferream tunicam*. *subcidit* autem rectius hic scriptum existimo quam alibi *succedere*, ut in VIII p. 454 *ante quam sub magistratus* (immo *magistratuom*) *nomina, qui eos liberarunt, succedere coeperunt*, in IX p. 503 *quae sub mensuram ac pondera potius quam sub numerum succedunt*, in X p. 552 *cum npx succedere debeat sub casuum ratione*, immo *succidere sub rationem*.

956. ET TEMPESTATEM TERRA CAELOQUE COORTA IN CAELUM TERRASQUE REMOTAE IURAE FACESSUNT. *Iure* quadratus et a correctore oblongus. non dubito quin in codice antiquo fuerit *iure*, supra adscripto *a*: verum est

Digitized by Google

IURA. praeterea scribendum est *tempestate* IN *terra*, quod in oblongo esse Havercampus non vere refert. versus facillimi interpretibus nescio quomodo obscuri visi sunt. omnia rara esse dicit, et tempestatem quidem non minus quam caelum et terram: hanc enim, cum in terra et caelo cooriatur, tamen non constare, sed mox tempestatis in caelum terrasque resolutae iura facessere.

958. QUANDOQUIDEM NIHIL EST NISI RARO CORPORE NEXUM. Haec absurda sunt: nullum est enim rarum corpus quo res inter se coniungantur. immo res ipsae raro corpore sunt, sive, quod idem est, *raro* CORPORI' NEXU.

962. TERRAM QUO EXQUOQUIT. Corrector quadrati, Antonius Marii, Marullus, SOL. *excoquit* corrector oblongi. idem in versu 858 fecit *Perquocere*, ubi quid a prima manu fuerit perspicere non possum: quadratus ibi habet *Percoquere*.

963. ET ALTIS MONTIBUS ALTAS EXTRUCTAS NIVES RADIIS. Non inepte Naugerius *alte Extructas ningues:* sed verius, nisi fallor, Marullus *altas Extructas* QUE *nives*. at Wakefieldus parum Latine *altas Exstructas ningues*, et Eichstadius, perditus antiquarius, *ningueis radieis*.

969. DURATA CALORI. Oblongus prima manu *colori:* eius corrector CALORE.

971. EFFLUAT AMBROSIAS QUASI VERO ET NECTARE TINCTUS. Quadratos *Efluat*, oblongus *et nectar et intus*. versus est suavissimus, si recte legatur. primum *quasi vero* in orationis membro aliunde suspenso locum non habet: *iuvat eo usque quasi* recte dicitur, *iuvat eo usque quasi vero* non item. quare ne Fronto quidem p. 111 scribere potuit *Sed heus tu, videbis ne delator existas neve indicio pareas* (immo *meve — prodas*) *apud filiam, quasi vero ego te quam illam magis diligam*, sed scripsit *quasi vere*. neque magis coniungere possumus *vero et nectare*, quia Lucretius *et* coniunctionem alteri voci non postponit. ergo ante omnia scribendum est *Effluat quasi* VERE. tum Marullus fecit *ambrosia;* quod vehementer probo, aliter atque ipse voluit acceptum casu recto, *Effluat ambrosia quasi vere*. eadem quantitate vocalis Cicero *Andromeda* dixit et *Electra*, Vergilius *Ephyra Gela*, Tibullus *Amalthea*, Ovidius *Electra Phaedra Rhea* dea (differt enim *Rhēa sacerdos*) *Amalthea Leucothea elegia*, *cinara* Columella, Martialis

Digitized by Google

Glycera. neque *ambrosia* quasi Latinum brevi *a* elisa quisquam posuit, non magis quam *historia* vel *sophia*. nam Conradus Schneiderus ipse sibi auctor est, cum dicit in grammatica Latina p. 28 *a* correpta *historia* et *stoa*. *historia* bis in pentametri exitu Propertius (Ausonium enim non curo), *stoa* nullus scriptor Latinus usus est: *pyra*, quod tertium Schneiderus posuit, corripuit epitomator Iliados 1053. *Gela*, item *Himera*, corripere Silius ausus est in XIV, 218 233, *Phaedra* et *Electra* Seneca, idem *Oechalia* in Hercule altero 422, cum tamen *Megara* in furente 203 1009 Graeco more efferat; Latina mensura *elegia* Statius et Martialis. quod contra Ovidius, cum corripit *Dia* in arte I, 528, male vulgo Δία scribi ostendit: idemque cum *Ascra* dicit *a* brevi, testatur Graecum Ἄσκρη, de quo dixit Meinekius ad Stephanum Byzantium p. 133, 12. neque Ovidius scribere potuit quod est in epistula XVII, 150 *rettulit Aethra mihi*, et ibidem 55 *Dat mihi Leda Iovem*, et in VIII, 78 *Leda suumque Iovem*. sed haec quam parvo post Ovidium temporis intervallo peccari coeptum sit ostendunt: ipse non scripsit amorum II, 4, 42 *Leda fuit*, sed *Lyda fuit nigra conspicienda coma;* neque in artis I, 744 *Quantum ad Pirithoum, Phaedra pudica fuit*, sed *Cressa*. apud veteres in hoc genere magna fuit *a* litterae a Graecis productae observatio, quamquam eam elidere interdum ausi sunt, ut Plautus in Amphitruone V, 1, 25 *Tua Bromia ancilla*, idemque *Palaestra* saepius in Rudente. sed in eadem I, 4, 17 addito *ne* scribendum puto *'Ampelisca. hém quis est? égo. Palaestráne? sum;* ut in Epidico IV, 1, 40 *Fáx videam, si mé vis vivere. ého istinc, Canthará, iube*. quid quod idem *Aetna mons* ad regulam non revocavit, sed ita ut vulgus a Siculis didicerat sibi dicendum putavit, in Milite IV, 2, 73 versu anapaestico, PY. *Tum argénti mons*. PA. *nam mássas habet, Aetná mons non aeque áltust*. pauca iam tum mutabant; primum ea in quibus diphthongos est, ut *Troia*, ut apud Ovidium, Valerium Flaccum, Iuvenalem, *Astraea;* deinde appellativa quaedam usu Latino olim trita, ut *purpura*, ut *comoedia luget* in versu hexametro Plauti, item *hora lyra hydra petra aura*, *symphonia* Horatii, apud Ovidium *pharetra*, *pera* apud Martialem XIV, 81, quamquam hic *Leda* quoque et *Hygia* (XI, 60) corripuit. itaque *Cassandra* Latine dicebatur ut *Alexander* et *Euandrus*, eademque similitudine *Cleopatra;*

Digitized by Google

denique gentilia, ut *Syra*, in Mercatore IV, 5, 6 *Adstáre ante aedis. Sýra. quis est qui mé vocat?* et propria quasi ex adiectivis gentilibus, ut *Ilia* Ennii, *Pythia* Lucretii, *Lesbia* Catulli. regionum quoque nomina ab usu Graeco desciverant, ut *Bithynia Achaïa;* item adiectiva omnia, ut *Rhamnusia*, ut *Lernaea*, ut *fides Cyllenia*. postremo *Philomela*, quod Vergilius et Ovidius corripiunt, antiquioris poëtae, fortasse Accii, errore invectum suspicor. Ionicae autem vocali, quam Hertzbergius ad Propertium II, 14, 5 III, 19, 19 poëtis Latinis in casu recto producendo solam concedit, in multis ne locus quidem est, neque credibile est ea unice usos esse quibus *Andromedan Glyceran Phthian Glaphyran Malean Electran* dicere placuit; praesertim cum eà quae Latine corripienda erant rarissime ad Ionum morem inflexa produxerint, ut adiectiva gentilia, Vergilius *Aonie Aganippe*, Statius *Paphie*, *Paphien* Columella et Martialis, Silius *Ortygie Arethusa*, idemque, ut puto, *urbs Syracosie* XIV, 277, ubi membrana cui soli fides *Syracosae*. cuius generis non multo plura his invenientur; nisi quod Statius, qui cum antiquioribus produxit *Nemea Pasithea Tegea Malea Midea*, cum Polynicis uxor *Argia* recto casu dicenda esset, *a* quinquiens produxit in libro XII Thebaidos, item *Argian* in IV, 91, nimis Graecanice, sed sine littera Ionica, idemque *a* brevi septiens *Argia* in II III XI XII. haec paulo curiosius tractanda putavi, ut et grammaticorum levitatem notarem et in Lucretii versu huic nominativo, qui est *ambrosia*, fidem facerem. nam genetivo *ambrosias* forma Graeca hunc poëtam dixisse non credo, qui in paris condicionis vocabulo *harmoniam* et *harmoniai* dixerit. ceterum sententiae uterque casus aeque convenit, ablativus autem non convenit: nam *oleaster* neque ambrosia et nectare *effluit* neque ut Lambino visum est *diffluit*, sed forte *affluat;* neque idem nectare aut ambrosia quasi colore *tinctus* est. nihilo minus haec interpretes patienter tulerunt, cum manum poëtae minima opera restituere possent scribendo *Effluat ambrosia* (vel *ambrosiae*) *quasi vere et* NECTARI' LINCTUS. capellis enim quid magis proprium est *linctu?* et hoc vocabulo non modo Plinius usus est, sed potuit omni tempore quivis uti. haec fere disputavi in proëcdosi, quae facta est anno MDCCCXLVII die XXIV Iulii, neque nunc muto. sed quamvis recte *ambrosia* dicatur ultima longa,

Digitized by Google

tamen, cum veteres talia non tam quaesivisse quam vitasse animadverterem, mox iudicabam veri similius esse Lucretium ita scripsisse, *Effluat ambrosius quasi vere et nectari' linctus*. nam Näkius ad Diras p. 238 cur Catullum *ambrosio* primum dicere ausum esse suspicaretur non videbam, cum praesertim ne dixisse quidem id Catullum concederem carmine 99, 13. tandem vero intellexi huic poëtae non tam id quod elegantissimum esset, quam quod simplicissimum, convenire: id est autem *Effluat* AMBROSIAE *et nectari' linctus*, eique simillima est Cyclopis Homerici vox, quam a Lucretio expressam esse nemo dubitare potest, Ἀλλὰ τόδ' ἀμβροσίης καὶ νέκταρός ἐστιν ἀπορρῶξ: ἀπορρῶγα enim veteres interpretantur ἀπορροήν, *effluvium*. de *a* producto autem in nominibus Graecis commemoratione dignum est ex eo genere nihil habere, quantum quidem sciamus, Ennium, tragicos, Terentium, Lucilium, Varronem, Lucretium, Catullum, Horatium. quo fit ut prope putem in his, ut in aliis Graecis, de quibus Varro in x de lingua Latina p. 583 584, non eandem omnes consuetudinem secutos esse. nec debebam omittere, quem admodum heroidum epistularum scriptor *Aethra Leda* vocali correpta dixit, Catullum quoque in galliambo scripsisse *Trepidante eum recepit dea Pasithea sinu*. sed *Pyrrhia*, quod Horatius habet hoc versu, *Ut vinosa glomus furtivae Pyrrhia lanae*, neque Graecae neque Romanae feminae nomen est, nec potest dubitari quin illud a librariis ita corruptum sit.

972. QUA NIHIL EST HOMINI QUOD MARIUS FRONDE AC EXSCET. Ita prima manu oblongus *exscet*, a correctore *exstet*: quadratus *extet*. *quod* AMARIUS FRONDEAT olim Itali: sed, quod indignor, *Qua* ESCA nemo scribendum vidit, sine quo lepidissimis versiculis sua elegantia non constat.

973. DENIQUE MARACINUM. Brixiensis editio *amaricum*, Marullus AMARACINUM.

977. SPURCITIES, EADEM SUBUS HAEC CIVUNDA VIDETUR. Quadratus *haec inunda*. apud Nonium p. 394, 21 *Spurcitiis idem sub rutunda videtur*. recte Marullus IUCUNDA, itaque Antonius Marii *iocunda*. cum caenum nobis taeterrima sit spurcities, subus eadem haec caeni spurcities videtur iucunda esse. nulla causa erat cur haec Lambinus reprehenderet, nisi quod Gifanius hic aliquando verum vidisset.

Digitized by Google

986. ALOQUE SAPOREM. Oblongus *aloquae*, corrector eius recte ALIOQUE. nam nihil opus est cum Lambino *alia* scribere: primum enumerantur quae alia *alio* penetrent ad *varios sensus*, secuntur quae alia *aliunde* veniant. haec autem quia a se invicem separari non debent, is ordo versuum verus est quem Wakefieldus fecit: nec nisi speciebus absolutis ad causam ita rediri potest ut poëta se eam *paulo ante ostendisse* dicat, quod fecerat versu 981 et duobus proximis. versum 990 solum adfert Nonius p. 227, 26.

991. PRAETERE MANERE. Correctores veteres PRAETEREA. Itali et impressi MANARE.

992. ATQUE ALIUD IGNIS. Antonius Marii et Marullus *tignis*, Lambinus *per ligna*. verum est quod Havercampus temere Vossianis adscribit, LIGNIS, de resina lignis manante accipiendum.

997. VARIANS, 989. VARIANT. Ita codices.

1000. ET OMNES. Correctum in oblongo OMNIS.

1001. PELICIAT UM. Oblongus *perliceatum*. Marii filius et Marullus PELLICIAT VIM, recte: non potuit aliter hic scribere Lucretius quam scripsit in v, 1005 *Subdola pellicere in fraudem*. Lucilii versus a Velio Longo p. 2227 relatus videtur in hunc modum emendari posse, *in praeposito per Pelliciendo, hoc est inducendo, geminato l.* id est, in *pelliciendo*, quod fit *per* praeposito, *l* litteram geminare debes. Putschius haec dedit, *Nec aliter apud Lucilium legitur. in praepositione per* L *liciendo, quod est inducendo, geminat l.* sed quae secuntur, *pellicere malunt quam perlicere*, ea Velii Longi esse, non Lucilii, apparebit, si quae praecesserunt legeris.

1005. 1017. VACE FIT. Quadratus *vacesit* utrobique. ceterum mihi adhuc quaerendum videtur quibus auctoribus vulgo in oratione soluta scribatur *vacuefactus*. nam mihi certo constat hoc genus vocabula, de quibus alia dixi ad librum III, 906, neque trisyllaba esse nisi composita sint, ut *obsole fieri*, neque monosyllaba nisi *e* littera abiecta, *calfacere olfacere*. praeter haec tamen concedendum est Terentium duabus syllabis in unam conflatis dixisse in Adelphis I, 1, 29 49 III, 3, 60 *consve feci, consve facere, consve facio:* nam vocabulum dactylicum versuum ratio non admittit. contra syllabis diductis Prudentius cathemerinon hymno VII, 84 *Fulmen benigni mansuëfactum patris*. plura horum et similium

Digitized by Google

exempla in versibus non inveni: contrahuntur autem tam recte quam *suo*, *Ordine se svo quaeque: suescit* enim qui aliquid suum facit aut suus fit. in apocalypsi Iohannis 8, 11 bonus et antiquus codex Laurentianus habet *de aquis*, *quia amare factae sunt;* quod non debet ita intellegi quasi sit *amarefactae*, sed, quomodo accuratius Fuldensis, *amarae factae*. Nonius tamen *obscurefacere* dixit p. 246, 28 suo periculo; quem supra vidimus horum verborum rationem parum tenere, isque etiam *purefacere* dixit p. 114, 19 370, 4, quod unde deductum sit non intellego.

1006. PRIMORDIA FERRE. Oblongus prima manu *primodia ferrae*. Itali FERRI.

1007. FIT UT QUI. Marullus *fit ut quae:* Naugerius *fit* UTQUE, recte. *fit ut* est pro uno vocabulo, sic in IV, 944 *fit uti pars inde animai Eiciatur;* id est *inde fit uti*. in VI, 204 *Hac etiam fit uti de causa mobilis ille Devolet in terram*. et 727 *Quo fit uti pacto liber minus exitus amni Et proclivis item fiat minus impetus undis*.

1009. PRIMORIBUS ELEMENTIS. Ex addidit corrector quadrati, Antonius Marii, Marullus.

1011. QUAM VALIDI FERRI NATURAE FRIGIDUS HORROR. Corrector oblongi fecit *horro*, quod non intellego. sed inconditam orationem scite correxit Wakefieldus scribendo NATURA ET.

1012. QUOD DICITUR EX ELEMENTIS. Lambinus ne monito quidem lectore dedit *quod paulo diximus ante*. Wakefieldus id quod libri habent restituit, irae studio interpretari oblitus. mihi dubium non videtur quin poëta scripserit QUO DUCITUR *ex elementis*, conciso quodam dicendi genere, cuius simile exemplum non possum promere, qualia forent *ducere ex manu*, *ex fune*, *ex catena*. Graeci haec frequentant ad significandam instrumenti, quo aliquid ducitur, continuitatem. scilicet anulus ex elementis ferri cohaerens iisdem elementis in vacuum ducitur.

1013. E FERRO. Oblongus *te ferro:* hinc olim impressi *referre*, Itali *de ferro*.

1014. ANULLUS. Corrector oblongi ANULUS.

1016. CAECISQUE IN EO COMPAGIBUS AESIT. Oblongus *caecis qui*, et prima manu *compaginibus*, ut versu 919

Digitized by Google

ambaginibus. quadratus *saesit:* corrector oblongi HAESIT. quadratus supra 914 *supter aderens*.

1018. SIVE ET TRANSVERSO. Marullus *ex*. rectius E Antonius Florentinus. sic semper ante *t*, *e terra*, *e terris*, *e tenebris*, *e taedis*, *e toto*, *e tantis*, *e thuris glebis*.

1020. PLAGIT. Itali et Brixiensis editio PLAGIS.

1021. SPORTE SUA. Corrector oblongi SPONTE.

1022. HUC ACCEDIT ITEM, QUARE QUEAT ID MAGIS ESSE. HAEC QUOQUE RES ADIUMENTO MOTUQUE IUVATUR. Vitium in his manifestum est, simillimum ei quod erat in libro I, 753. hoc igitur eodem modo curabimus scribendo *Huc accedit* UTEI — *Haec quoque res* — IUVETUR. ceterum quod Havercampus hunc versum *Haec quoque res* in Vossianis post 1032 *Trudit et inpellit* scriptum perhibet, mendacium est: verum est eo loco legi *Continuo fit uti*, quem versum Marullus in vera sede reposuit. eidem Havercampo ne credas illa carmina oblongo codici deesse, *Omnibus est rebus* et *Hic igitur*, praeter morem meum adnotabo oblongum ibi prima manu habere *qui in ferost abidus*.

1025. LOCUS MAGNIS. Impressi MAGIS.

1033. LOCACATUS 1026. ERAT ERGO. Corrector oblongi LOCATUS. Marullus AER *a tergo*.

1032. QUASI NAVEM VELAQUE VENTIS. Pius recte dedit VENTUS.

1035. SUNT CORPORE. Ita quadratus, *a* eadem manu super *e* apposita: oblongus et olim impressi *corpora*. Antonius *corpore*.

1040. SCILICET. ILLO EODEM FERTUR. Ita quadratus: oblongo abest *illo*. Itali et Marullus non recte *atque*, ex quo Wakefieldus fecit *isque*. apertum est scribendum esse ILLE *eodem fertur*.

1045. ET RAMENTA. Ita oblongus: quadratus prima littera omissa *Tramenta*.

1046. IN SCAPIIS. Quadratus *schapiis*, ut in Mediceo Vergilii codice Aen. VIII, 278 *schypus*. corrector oblongi SCAPHIIS, recte, nisi quod *scapiis* potest a Lucretii manu esse. *scapium* exemplaria Martialis XI, 11, 6, item Vitruvii VIII, 1, 4.

1047. A SAXO. Immo AB, ut dixi ad versum 925.

1056. ILLUD IN HIS HIS REBUS MIRARI. Quadratus

Digitized by Google

mirare: in oblongo litura est post *mirari*. huius corrector alterum HIS delevit.

1059. AT PARTIM. Oblongus prima manu *Ad*, impressi *Ac*. verum est ET *partim*, quod legitur in IV, 57 918, in V, 952. *pars etiam* in II, 99.

1062. INTER UTRASQUE — LOATA. INTERUTRAQUE, ut saepe dixi. LOCATA corrector oblongi.

1064. INPELLANT UT EUM MAGNESIA FLUMINA SAXA. Quadratus *Impellant ut eo*. Marullus EAM. Itali et Brixiensis editio FLUMINE.

1067. QUE MEMORARE QUEAM INTER SE SINGULARITER APTAM. Itali APTA. tum Forbiger dedit *sing'lariter* barbaro scribendi more ab Anglis ante annos paulo plus ducentos invento, quo apostrophus et in vocabulorum initio et in mediis vocabulis et inter duas consonantes ponitur. nos Germani, quibus in vocabulis scribendis nihil nimis monstruosum videtur, talia imitamur: veterum scripta huius modi sordibus inquinari non debent. praeterea vereor ne illa contractio auribus Latinis intolerabilis fuerit; quamquam quid iis durum fuisse putabimus, quos hodie plerique credunt fortiter dixisse *s'ne d'lo m'lo* et *qu'dem* et *quod'st* et *morbis'st* et *Metrophanes'st?* sed nec *singlos* Plautus usquam dixit (nam in Amphitruonis prologo, versu 65, scribendum est *conquaestoribus* ex Varrone de lingua Latina libro VI p. 255, itemque in eodem prologo, versu 82, et in Mercatore III, 4, 80) neque Catullus 113, 4 *Singlum*, neque ullum scriptorem novi qui *anglum cinglum stranglare exunglare perglam virglam digtum* contraxerit, cum dicerent tamen *vinclum avonclum hercle circlos asserclos* (glossaria Labbaei p. 17[d]) *surclos* (Varro rerum rusticarum I, 40, 4) *Asclum musclum* (Charisius p. 74) *crustla* (in Orellii inscriptionibus n. 686) *perviglanda figlinam striglibus frigdaria infrigdatum*. scio quidem plerosque sic sentire, Ennium eum versum qui est apud Festum p. 325, 19 ita scripsisse, *Virgnes nam sibi quisque domi Romanus habet sas:* sed scio eos imperite agere, qui ignorent primum in hoc versu Verrium *sas* interpretatum esse *eas*, non *suas*, deinde in scriptionibus Catullo antiquioribus ante *nam* orationem necessario incidi; ex quo apparet aut *Virgini* scribendum esse aut *Virgine*. item versui Terentiano qui est in Eunucho IV, 3, 12 convenit *Virginem, erae quam dono dederat*

Digitized by Google

miles, non quod libri habent *Virginem quam erae*. accedit quod Lucretius bis dixit *singillatim:* quis igitur eum aliter dixisse putet quam *singillariter?* cui simile est *singillarium* e Tertulliano in lexica relatum. illud autem in versum recte intrabit *se* deleto, hoc modo, *Quae memorare queam inter* SINGILLARITER *apta;* scilicet *interapta*, ut apud Livium in XXII, 30 *tum dextrae interiunctae*. nec versui sua deest caesura, quae est inter syllabas conliquescentes, *queam* | *inter singilláriter apta*. sic in III, 258 *Nunc ea quo pacto* | *inter sése mixta quibusque*. in eodem 612 *Dissolui. quod si* | *inmortális nostra foret mens*. 715 *Haut erit ut merito* | *inmortális possit haberi*. in V, 165 *Desiperest: quid enim* | *inmortálibus atque beatis*. in VI, 197 *Conplerunt, magno* | *indignántur murmure clausi*. Lucilius apud Gellium IV, 17 *Scipiadae magno* | *improbus objciebat Asellus*, ubi tamen verius puto *Improbu' Scipiadae magno:* nam in eodem Gellio XII, 4 correctores importuni non tulerunt *Serviliu' sic compellat*, sed fecerunt *compellat Servilius sic*. Lucilius apud Nonium p. 84, 15 *Hiberna intuba, momento* | *omnicolóre colustra:* sic enim haec scribenda puto, scilicet 'verni temporis vicibus ex ove colostra', quem admodum idem Lucilius in libro XXVIII sive XXIX dixit *Serena caeli momina et salis fretus:* libri habent *Hiberam insulam fomento* et (Non. p. 205, 29) *Serana caecili nomine*. porro non alia caesura Lucilius apud Nonium p. 321, 28 *In vino esse, ubi qui* | *invitávit dapsilius se*. Vergilius Aeneidos XI, 758 *Portat ovans. ducis exemplum* | *eventúmque secuti*. idem in XII, 144 *Magnanimi Iovis ingratum* | *ascendére cubile*. Horatius in sermonum II, 3, 134 *An tu reris eum occisa* | *insanísse parente?* idem in arte 87 *Cur ego, si nequeo* | *ignoróque, poëta salutor*. ibidem 377 *Sic animis natum* | *inventúmque poëma iuvandis*. Propertius III, 17, 11 *Quem modo felicem invidia* | *admiránte ferebant*. Silius in V, 497 *Pars trepidi celso* | *inter téla cacumine pendent*. in VIII, 327 *Cautus ama. siqua interea* | *invitáverit aura*. in XII, 146 *Rumpere compagem impositam,* | *expalléscere caelum*. in XIV, 631 *In morem pecudum* | *effudére cubilibus atris*. in XV, 13 *Si gentem putat infaustam* | *inter bústa suorum*. Statius in Thebaidos III, 71 *Aspicias, bellum infandum* | *ominibúsque negatam*. 283 *Progeniem caram* | *infaustósque dabas Hymenaeos*. Iuvenalis X, 358 *Qui spatium vitae extremum* | *inter múnera ponat*. XIV, 108 *Inviti quoque avaritiam* | *exercére iubentur*. ex his ami-

Digitized by Google

longi et Brixiensis editio *aegros*. Antonius Marii *pigris* BALANTIBUS *aegros*. Marullus *pecudum balatibus aegris* ex Ovidio metam. VII, 540. sed servandum est *aegror*, et reddendum Pacuvio in Periboea sic, *corpusque meum tali Merore aegrore macore senet:* in Nonii exemplaribus p. 137, 1 legitur *errore*. item Accium in Eurysace scripsisse puto *Persuasit maeror, anxitudo, aegror, dolor;* non *error*, ut est apud Nonium p. 72, 27.

1135. AN CAELUM NOBIS VITRO NATURA CORUMPTUM DEFERAT AUT ALIQUID. *Defer aut aliquid* prima manu oblongus. ULTRO Avantius. *rumptum* et *rumperit* in digestis Florentinis legi notum est, ut appareat in hoc veterem librarium sui saeculi more peccasse. *coruptum* prima brevi Lucilium dixisse Consentius narrat in arte de barbarismis et metaplasmis p. 30, cuius verba subieci. *Poëtae faciunt metaplasmos, cum ipsi iam scripturam relinquunt corruptam, ut est Relliquias Danaum, et tanton me crimine dignum Duxisti: addidit enim unam litteram per metaplasmum l, item contra* (addendum *dempsit litteram per metaplasmum e*), *sicut Lucilius ore corupto: dempsit enim unam litteram per metaplasmum r; et Ennius Huic statuam statui maiorum [et] ab otu Athenis. et hic quoque per metaplasmum dempsit litteram r*. versus Ennii in hanc fere sententiam conceptus fuerit, *Huic statuam statui maiorem horto* (id est *hortor*, ut Quadrigarius dixit *cohortarent*) *auream ahenis:* Lucilius autem *ore corupto* non potuit dicere nisi irridendi causa aut forte in recte loquendi legibus demonstrandis; cuius modi est illud, *pretor ne rusticu' fiat*. apud Lucretium infeliciter Lambinus *cruentum*. aptius est Bentleii *alienum:* sed verum, ni fallor, *ultro* COORTUM. in libro V, 367 *coperta* scriptum est ubi debet esse *coorta*. *cohorta* oblongus in VI, 458 1096 1100, *cohortus* idem ibidem 1186. *coartam* quadratus in III, 15, *hortus* idem in IV, 432. ceterum poëta cum dicit *caelum aut aliquid*, intellegit aërem, aquam, cibos. Isidorum autem hic *caelum coruptum* agnoscere non miror. sic ille de natura rerum cap. 39. *Sicut enim* (confer versum 1103) *caeli novitate, vel aquarum, corpora advenientium temtari consueverunt adeo ut morbum concipiant, ita etiam aër corruptus ex aliis caeli partibus veniens subita clade corpus corrumpit atque repente vitam extinguit.*

1138. HAEC RATIO QUONDAM MORBORUM ET MOR-

Digitized by Google

TIFERAE FINIBUS IN CECROPIT FUNESTOS REDDIDIT AGROS. Oblongus prima manu *funestus:* eiusdem corrector *Finibus in Cecropiis*, quod Wakefieldus grammaticae imperitus recepit. vide quae dixi ad librum v, 85. rectius apud Macrobium in VI, 2 *Finibus in* CECROPIS. nam frustra Lambinus, quasi ex libris veteribus, *Finibu' Cecropiis*. quod enim non nulli dixerunt, *Cecropis* nomen a poëtis Latinis prima correpta positum non inveniri, neque momentum facit neque verum est. in Ovidii metamorphoseon xv, 427 codices fide digni omnes *Nec non et Cecropis, nec non Amphionis arces:* neque is versus delendus est, sed tres qui eum secuntur. sed in Lucretianis vulgo probant quod est apud Macrobium, *et mortifer aestus*. id vero cum prorsus ineptum sit, nisi porro corrigas *et mortiferi aestus* (quis enim has res diversissimas coniungat, *haec ratio et mortifer aestus morborum?*), tamen ab homine venit a lectione huius poëmatis non alieno: ac paene suspicor Macrobium ipsum, cum hunc locum exscriberet, ita ex tempore versum imperfectum sanare conatum esse. neque Lambino melius successit temptanti *et mortifer aër*. felicior hic Wakefieldus fuit, cum scriberet *ratio morborum et mortiferae vis*. sed nullus hic ingenio exercendo locus est, cum id ipsum quod libri exhibent verissimum sit, si recte explicetur, *Haec ratio quondam morborum et* MORTI' FERAI. quamquam fatendum est ita perire generis masculini vocem, a qua ea quae secuntur pendent,

1141. NAM PENITUS VENIES AEGYPTI FINIBUS ORTUS, AERA PERMENSUS; ubi recte corrector quadrati et impressi codices VENIENS. sed haec ipsa *penitus veniens Aegypti finibus* cum sufficiant, cur, quaeso, molesta verbositate *ortus* adicitur? quis igitur hoc vocabulo supervacaneo eiecto dubitabit id quod necessarium est scribere? id autem esse MORBUS demonstratione non eget, quamquam Avantius dedit *Orcus*.

1143. INCUBUIT TANDEM POPULO PANDIONIS OMNE. Oblongus *omnem*, quadratus *omne;* ut appareat id quod in fine versus certo cognosci non potuit errore habitum esse pro signo M litterae, cum esset potius I. recte igitur Avantius OMNI. codex Neapolitanus Propertii IV, 1, 22 *duplicei fenore*, de quo genere dixi ad librum IV, 602. sic in dativis

Digitized by Google

apud Frontonem *centumviralei* p. 126, *petentei* 142, *mihei* 122. apud eundem in genetivis *Pergamei* p. 72, *corpusculei* 135, *ingeniei tuei* 155, *agrei* 163. Bernensis codex Horatii apud Orellium *cicerrei* in sermonum I, 5, 52. Vaticanus antiquissimus in Ciceronis pro Fonteio oratione 2, 3 et 3, 5 Nieb. *huius furtei*. *mense Quintilei* in epistulis ad Atticum II, 1, 11, *satietate nostrei* 5, 1. Bambergensis Plinii *sulpurei* in libro XXXV §. 180.

1147. ATRAE SANGUINE ET VICERIBUS VOCIS VIA SEPTA COIBET. *Atrae* Macrobius quoque, non *atro*. *visceribus* quadratus: ULCERIBUS corrector oblongi et Macrobius. tum *voci saepta coibet* quadratus. Macrobius COHIBAT. *cohire* quadratus in III, 395.

1150. MALIS — ASPERA TACTA. Quadratus *magis*, apud Macrobium *molis*. TACTU corrector oblongi et Macrobius.

1153. OMNIA TUM TUM VERO VITA CLAUSTRA LABABANT. Antonius TUM semel. tum quadratus *vero ita clautra*. oblongus prima manu *lababat*. VITAI Brixiensis editio et Antonius Marii.

1156. ATQUE ANIMI PRORSUM VIRES TOTIUS, OMNE. Itali et impressi *et omne*. gravius est quod Wakefieldo placuit, *prorsum* TUM. sed idem male *Utque animi*. mox codex uterque *laeti*, ut infra 1208 *limina laeti*.

1165. SED TOTIUS. Ita quadratus et corrector oblongi, in quo fuit *iotius* vel *lotius*. Marullus POTIUS.

1166. VICERIBUS. Corrector antiquissimus ULCERIBUS.

1167. VI EST PER MEMBRA SACER DUM DIDITUR IGNIS. Corrector oblongi UT *est*. idem *cum diditur* ubi prima manus *dumditur*. *dum* servandum erat: ut est sacer ignis, *dum* per membra diditur.

1170. NIHIL ADEO POSSES CUIQUAM LEVE TENVEQUE MEMBRIS VERTERET UTILITATEM, AD VENTUM ET FRIGORE SEMPER. Optime Lambinus *Nil leve tenveque membris* VERTERE IN *utilitatem:* sed idem frustra, nisi fallor, *quicquam*, et omnino male *posset*, cum non intellegeret *ad* coniunctionem esse, haec autem verba *at ventum et* FRIGORA (sic Marullus) *semper* necessaria esse ad exprimendum Thucydidium ΓΥΜΝΟΊ, ΜΗΔ' ἄλλο ΤΙ Ἢ ΓΥΜΝΟΊ ἀνέχεσθαι.

Digitized by Google

alioquin *semper* et *partim* inter se non coëunt. sed omnes pariter frigora semper quaerebant, partim membra in undas dabant. *ad* coniunctio in utroque Leidensi scribitur III, 640 IV, 473 997 V, 1427, in oblongo V, 1120 VI, 322 414 619 673 804 967, in quadrato II, 74 388 1017 III, 25 191 198 356 536 906 1068 IV, 414 1007. Charisius p. 203 εὐφωνότερον esse dicit ut per *d* scribatur *ad ita*.

1178. MULTI PRAECIPITES NYMPHIS PUTEALIBUS ALTE 1174. INCIDERUNT. Oblongus *precipites nimphis*. Itali LYMPHIS, recte: nam *lymphas* deas novi, *nymphae* pro aquis non dicuntur. verum ordinem versuum Naugerius praeclare restituit.

1175. INSEDABILITER SITIS ARIDA CORPORA MERSANS. Quadratus solus (schedae non item) *inerrans;* haud male, si scribatur *corpore inerrans*. sed *inerrare* non videtur satis antiqui coloris vocabulum esse, quamquam eo usus est auctor panegyrici in Messallam anno Varroniano DCCXXIII scripti, 202: quare hoc *inerrans* saeculo decimo per errorem natum existimo, cum librarius *m* et *s* litteras pro *in* et *r* habuisset, quomodo in scriptura currente facilius quam in antiquiore peccatur. in IV, 1062 quadratus *oberratur* pro *obversatur*, ibidem 1076 *mireris* pro *miseris*.

1177. ULLA MARI. Apud Macrobium MALI, sed versu proximo male *missabat*.

1180. QUIPPE PATENTIA CUM TOTIENS ARDENTIA MORBIS LUMINA VERSARENT OCULORUM EXPERTIA SOMNO. Oblongus et olim impressi *Quippe patientia*. Lambinus, ne commemorata quidem membranarum scriptura, *totas ardentia nocteis*. Wakefieldo placuit compositio parum concinna, *patentia ardentia morbis Lumina*, placuit inepte iniecta *morborum* mentio, cum paulo ante recte esset *ardentia morbo* 1172. vix dubito quin poëta scripserit *patentia* AC NUNTIA MORTIS *Lumina oculorum*.

1182. TUM SIGNA. Quadratus *cum*, apud Macrobium *tunc*. apud eundem mox *Perturbati animi*.

1186. CREBER SPIRITUM. Apud Macrobium SPIRITUS.

1187. SUDORISQUE MADENS PER COLLUM SPLENDIDUS UMUM. Apud Macrobium *Sudoribusque —— splendidus* HUMOR. idem mox *contracta colore*.

1189. PER FAUCES RAUCA VIX AEDITA TUSSE. Qua-

Digitized by Google

dratus *vix sedita*. apud Macrobium RAUCAS *vix* EDITA *tussis*. Marullus TUSSI.

1190. NERVI TRAHERE ET TREMERE ARTUS. Oblongus *artu*. Lambinus *trahier*. idem supra 595 *artus invitos cogens tremere atque moveri*, ubi habemus in libris *mòvere*. *terra movet*, *hastae Martiae movent*, quibus nulla movendi facultas est, neque qui moveat apparet: vivi hominis *artus moventur* vel sponte eius vel ab externa causa; quae si sub oculos non cadit, *movere* possunt. item *nervi* aegrotantis *trahunt*, si non quaesieris qua causa motum efficiente vel *trahantur* vel homo ipse eos *trahat* sive, quod est in versu 1161, item in v, 1223, *corripiat*. ceterum haec ita accipienda sunt, ut passivo semper locus sit, activum in scriptoris iudicio positum. itaque Statius Thebaidos VIII, 754 *trahi* dixit *oculos*, et *sensum lumina trahere* Lucretius in III, 362. quid quod Cicero in versu scripsit *Aut cum se gravido treme fécit corpore tellus*, de divinatione I, 18.

1192. AD SUREMUM DENIQUE TEMPS. Corrector quadrati, Itali, Brixiensis, SUPREMUM. Itali et impressi TEMPUS.

1195. INHORETIACET RECTUM, FRONS TENTA MEBAT. Quadratus *inoretiacet rectum*, apud Nonium p. 181, 27 *in ore iacens rictu*. sed *h* littera, quam oblongus habet, veram lectionem monstrat. ita quadratus *aborret* I, 945, *orror* III, 29, *orrorem* II, 411 III, 291, *orrifico* III, 906, *Orrida* VI, 1269. corrector quadrati, qui metri incuriosus esse solet, *inhorret iacet*. recte Ianus Rutgersius INHORRESCENS RICTUM. sed in extremo versu Nonius *tenta manebat*, corrector quadrati et Marullus *meabat*, Lambinus *minebat*, Rutgersius *minabat*, Creechius *micabat*; quae omnia absurda sunt. unice verum est quod est omnium simplicissimum, *frons tenta* TUMEBAT.

1196. NEC NIMIO RIGIDA POST ARTUS MORTE IACEBANT. Marullus *prostrati*, Lambinus *post strati*, Brixiensis editor *strati artus*. hi omnes recte senserunt haec verba *artus iacebant rigida morte* sententiam non explere; quae omnibus numeris absoluta erit, si scribemus *Nec nimio* RIGIDI *post artus morte iacebant*.

1198. AUI ETIAM. Correctores veteres AUT.

1199. QUORUM SIQUIS, UT EST, VITARAT FUNERA LAETI. *Vitaret* quadratus. ultimam *funera* vocis litteram ob-

Digitized by Google

longus habet in litura. sed *ut est* caret sensu: debebat certe esse *ut erat*. itaque mihi librarii hic videntur non recte legisse, cum UTĒ scriptum esse opinati sunt ubi erat UIX: hoc enim sententiae convenit, *Quorum siquis* VIX *vitarat funera leti*. in V, 1394 pro *iucunde* quadratus *uixunde*.

1200. VICERIBUS. Corrector oblongi *Visceribus*. Lambinus ULCERIBUS ex Thucydide, cuius ope interpunctionem absurdam corrigere neglexit. Isidorus de natura rerum 39, 2 *atque inde languescens morbo corpus aut ulceribus tetris aut percussione subita exanimatur*.

1204. HUC HOMINIS TOTAE VIRES CORPUSQUE FLUEBAT. In alvum aut nares totae vires et quasi ipsum corpus confluebat. malebam *morbusque*, ut mox *in nervos huic morbus et artus Ibat*, itaque Thucydides ἐπικατιόντος τοῦ νοσήματος ἐς τὴν κοιλίαν et διεξῄει γὰρ διὰ παντὸς τοῦ σώματος τὸ κακόν. Columella libro VI, 5, 4 *in eam deinde auriculam omnis vis morbi pestilensque virus elicitur*. sed recte *totae vires corpusque:* ita in IV, 535 *quid corporis auferat et quid Detrahat ex hominum nervis et viribus ipsis Perpetuus sermo*.

1205. PROFLUVIUM PORRO CUL TAETRIS SANGUINIS ACRE EXIERAT. Itali et Marullus *cui* TETRI. recte Lambinus QUI.

1212. METUS IIS INCUSSERAT ACER. Marullus HIS, de quo dixi ad librum IV, 933. Lambinus Latine INCESSERAT. Gronovius in usu neutrorum saepe errans *incusserat* probavit in observationibus II, 7 p. 260.

1213. ATQUE EIAM. Itali et impressi ETIAM.

1217. EXCIRET ODOREM. Brixiensis editio *exiret*. scribendum EXEIRET. *Eitur in antiquam silvam* legebat in Aeneïde Terentianus Maurus p. 2393.

1219. ILLIS SOLIBUS ULLA COMPAREBAT AVIS, NECTIA SAECLA FERARUM EXICBANT SILVIS: LANGUEBANT PLERAQUE MORBO. Quadratus *noctia* et *Exibant*. apud Macrobium *illis sedibus* et *nec tristia seda ferarum Exuperant sylvis languebat*. hinc Brixiensis editor suscepit *sedibus* et NEC TRISTIA, alterum male, alterum rectiore iudicio quam qui aut *noctibus* scripserunt aut *noxia* vel *fortia*. ceterum *Exicbant*, quod oblongus habet, non *Exiebant*, est EXEIBANT. mox *fida canum vis* e Lucretio commentator Horatii Cruquianus p. 2[b].

Digitized by Google

1225. INCOMITATA RAPI CERTABANT FUNERA VASTA. Hoc vero plane portentum est, *funera rapi certantia*, dignum sane quod Lucretius Thucydidis narrationi intexeret. at huic quidem loco nihil eius modi convenire potest. reponemus igitur hunc versum, ut eo ubi opus fuerit utamur. et in hac pagina, quae est libri sexti duode quinquagesima, a versu 1223 usque ad 1248, alium quoque versum traiectum esse Marullus iam vidit, qui 1245 posuit post 1241, satis bene, quamquam malui eum cum Bentleio post 1236 collocare. quoniam poëta hic ordinem verborum Thucydidis curiose observavit.

1227. ALI. Ita codices nostri: apud Macrobium *alis*. dixi de hoc ad librum IV, 637.

1228. TEMPLA TURI. Corrector oblongi TUERI, itaque Macrobius.

1232. MORTI DAMNATUS UT ESSET. Aptius, nisi fallor. *morti damnatu' quasi esset:* falsum est enim nullum morbo correptum sanatum esse. *ut* pro *ut si* quam recte dicatur ignoro: legi tamen apud Valerium Flaccum V, 93, ubi est *fulsere undae, sol magnus ut orbem Tolleret aut nubem quateret polus*.

1234. ANIMAM AMITTEBAT. Oblongus *imittebat*, olim impressi *mittebat*. Marullus mirabili errore, sed digno quem Eichstadius et Forbiger sequerentur, *animam et mittebat*. optimi scriptores ita dixerunt, *amittere animam*. de *et* coniunctionis recto positu alibi satis.

1235. APISCIT. Itali et Brixiensis editio APISCI.

1238. FUGITABANT UTSERE AD EGROS. Oblongus prima manu *utsaere:* quadratus *utseredeat aegros*. Lambinus et ante eum Antonius Marii optime VISERE *ad aegros*.

1240. POENIBUS AT PAULO POST. Oblongus *et*. egregie Turnebus POENIBAT.

1241. INCURA. Itali et impressi INCURIA.

1247. 1248. INQUE ALIIS ALIUM POPULUM SEPELIRE SUORUM CERTANTES LACRIMIS LASSI LUCTUQUE REDIBANT. Oblongus *redebant* prima manu. sed haec carmina scatent monstris. primum *in aliis* mortuis suos sepelire quis potest, tamquam in busto mortuo? porro cum in aliis *alium populum* suorum sepelire certant, quot quisque populos habet suorum? putaveram singulis singulos esse, ut Niobae Ovidianae, quae ita dicit metamorph. VI, 198, *fingite demi*

Digitized by Google

Huic aliquid populo natorum posse meorum. ad extremum quomodo illi optimi homines *certantes redeunt?* qui debebant primum exire, deinde certare, denique certamine finito redire. haec omnia quam absurda essent nullus interpretum vidit: unus minimam partem perspexit Tanaquil Faber, qui correxit *Inque aliis alius*. nobis autem, si versum paulo ante sepositum huc revocaverimus, licebit Lucretio carmina sua et dulcissima reddere hoc modo. *Incomitata rapi* CERNEBANT *funera vasta*, *Inque aliis alium populum sepelire suorum Certantes: lacrimis lassi luctuque redibant*. scilicet omni labore obito, cuius extrema pars erat cura funeris, foedissima quaeque fieri videbant, funera obscena sine comitatu proripi, inque aliis funeribus alium suos certatim sepelire: his visis luctu et lacrimis fatigati redibant.

1249. INIECTUM. Antonius Marii *in letum dabantur*, quod debebat esse aut *ad letum* aut *in Orcum*. Marullus Latine IN LECTUM.

1250. QUEM NEQUE MORBO. Itali MORBUS.

1251. TEMPORE TALI. Sic oblongus, *i* littera in litura scripta a correctore. quadratus *telec*, *a* super priore *e* scripta et *c* deleta prima manu. perspicuum est in archetypo fuisse TALEI, ut supra 1143 *omnei*.

1256. EXANIMIS PUERIS SUPER. Sic oblongus: quadratus *Exanimi*, cuius corrector fecit *pueri*.

1260. LANGUENS QUEM CONTULIT AGRICOLARUM COPIA CONVENIENS EX OMNI MORBIDE PARTE. Corrector quadrati, Itali, codices impressi, MORBIDA. hoc ut certum est, ita orationem inepte onerat, *languens copia conveniens morbida*. ergo quod his superest, *languens*, si fieri poterit, cum superioribus coniungemus, quibus deest subiectum, *Nec minimam partem ex agris maeroris* (*meroris* oblongus) *in urbem Confluxit*. adde his LABES: utrique membro consultum erit. at viri docti in priore haerentes varia non optime temptarunt. Hauptius in observationibus p. 45 ita interpretatur quasi scriptum sit *Nec minimi maeroris partim ex agris confluxit*, prope ut Lambinus, qui scribebat *Nec minimum ex agris maeroris partim confluxit*, ut *nec minimum* esset *et valde*, de quo usu Handius egit in Tursellini tomo III p. 615 n. 4. sed ego *maerorum partim* intellego, *partim maeroris* Latine dici non credo. alio modo idem Lambinus *maeros is*,

Digitized by Google

melius certe iis qui pueriliter peccantes fecerunt *maeror is*. sed hoc neque sententiae aptum est (quis enim maiorem partem agricolarum, cum aegrotare coepissent, in urbem confluxisse credat?), et qui versum facere didicisset aut *ex agris is maeror* scripsisset aut potius *hic ex agris maeror*. denique septimo urbis conditae saeculo nemo, nisi fallor, dicere potuit *maeros*. dixit quidem Lucretius *colos* et *vapos*, item alii *honos odos labos lepos*, sed omnia post brevem syllabam praeter *arbos* femininum. contra *aegros* et *umos* in hoc libro Lucretii 1132 1187 nullos auctores habent. *clamos*, quod Quintilianus in I, 4, 13 veteribus adscribit, Ennium dixisse non negabo illis versibus, *Tollitur in caelum clamos exortus utrimque, Clamos ad caelum volvendu' per aëra vagit*, in quibus *clamor* est apud Macrobium in Saturn. VI, 1 et apud Varronem de lingua Latina VII p. 381: sed in alio, qui est apud Festum p. 375, 8, eodem iure *Qui clamos* scribi potest et *Qui clamore oppugnantis, vagore volanti*.

1262. OMNIA CONDIEBANT LOCA TECTAQUE; QUO MAGIS AESTUS CONFERTOS ITA ACERVATIM MORS ACCUMULABAT. Corrector oblongi *condebant:* sed recte Lambinus CONPLEBANT. tum quadratus *co magis estus*. hic idem Lambinus *quo mage eos tum:* sed *mage* ultima vocali elisa non dicitur in versu hexametro, cum e contrario in Plauti ac Terentii fabulis non inveniatur nisi ante vocales scriptum. mihi non videtur dubium esse quin scribendum sit ASTU *Confertos*, ablativo casu: nam Priscianus p. 1012 *astu*, inquit, *nomen est indeclinabile quomodo cornu*, et *in asty* eodem casu scribitur apud Vitruvium in praefatione libri VII §. 17, item in VIII, 3, 6.

1264. MULTA SITI PROSTRATA VIAM PER PROQUE VOLUTA CORPORA SILANOS AD AQUARUM STRATA TACEBANT. Impressi IACEBANT. in his *corpora siti prostrata strata iacere* dici valde probant exquisiti iudicii viri, Eichstadius, Orellius, Forbiger, cum Wakefieldus hic unus omnium ad rem manifestam oculos applicuisset. sed idem infeliciter temptavit *silanos ad aquarum structa iacebant:* hoc enim omnem modum superat. scribendum est *Multa siti* PROTRACTA *viam per proque voluta*, videlicet siti protracta ex aedibus. supra 605 erat *substructa* pro *subtracta:* in IV, 411 415 quadratus *substracta* et *stracta* pro *substrata* et *strata*.

Digitized by Google

1270. PELLIS SUPER OSSIBUS UNA VICERIBUS TAETRIS PROPE IAM SORDEQUE SEPULTA. *Vicaeribus* quadratus, corrector oblongi *Visceribus:* ULCERIBUS Lambinus. idem SORDIQUE. sed de pelle sordibus *prope iam* sepulta nugae sunt, quasi consuetudinis sit mortuorum pelles humari. quare prudenter Marullus scripsit *sepultis;* nisi quod oratio aptiore vinculo iungetur, si scribemus PELLI *super ossibus una:* nam in hac ablativi forma nulla offensio est, neque dubito quin in Ciri 505 recte plerique scripserint *Crura nova macies obduxit squalida pelli*. nihilo minus hic versus, *Corporis inluvie, pelli super ossibus una*, valde molestus est, cum modo praecesserint *semanimo cum corpore membra Horrida paedore*. itaque hunc versum a Lucretio non eo consilio scriptum esse existimo, ut ceteris ita ut nunc leguntur constitutis servaretur. similiter iudicavi supra de iis quae sunt in II, 522, de versu libri III 1031, de 1230 et 1328 quinti, itemque de huius libri 85 cum proximis. his convenit nota, de qua haec scripta extant in libello de notis Probianis. *antisigma cum puncto ponebatur cum eiusdem sensus versus duplices essent et dubitaretur qui potius legendi. sic et apud nostros.*

1272. DELUBRA RELLERAT. Corrector oblongi REPLERAT.

1273. ONERATAQUE PASSIM CUNCTA CADAVERIBUS CAELESTUM TEMPLA MANEBAT. Quadratus *manebit*. in hoc vocabulo ea scheda codicis archetypi desinebat qua paginae libri sexti XLVIII et XLIX continebantur, eaque erat paenultima codicis; quo minus mirum est, siqua litterula hic librariis nostris non satis clara fuit. iam totum sententiae ambitum considera. omnia delubra *mors* corporibus *repleverat* et templa deorum cuncta cadaveribus gravata *tenebat;* quae loca aeditui hospitibus *complerant* vivis et salutem quaerentibus. Thucydides τά τε ἱερὰ ἐν οἷς ἐσκήνηντο νεκρῶν πλέα ἦν, αὐτοῦ ἐναποθνησκόντων. posui id verbum quod orationem arte et eleganter conecteret, hoc est TENEBAT, eoque solo poëta hic uti potuit. at Marullus Italos secutus nec satis proprie scripsit *onerata templa manebant*, et eo modo ex duobus membris tria fecit, quorum ultimum in eiusdem vocis repetitione non satis ex arte ad primum respicit. *aedituentes* pro aedituis in carmine suo Lucretium appellare Gellius rettulit libro XII, 10.

Digitized by Google

1279. QUO PIUS HIC POPULUS. *Quo* quadratus, oblongus *Huc*. cum oblongo faciunt olim impressi: inde factum apud Antonium Marii *Ut*, emendatione prava. scilicet cum vetus codex hic sordibus obductus esset, primum legerunt HUC, postea, cum singulos apices accuratius tractassent, viderunt esse QUO. tum quod oblongus habet *pius*, quadratus autem *prius* (olim impressi *pius*, Antonius Marii *prius*), dubitari non potest quin R aut supra scriptum fuerit aut subnotatum. Lucretii ingenium parum cognoverunt qui praeoptant *prius*.

1280. TREPIDABAT. Sic quadratus, oblongus et cum Italis olim impressi *repedabat*. de his repetendum est id quod modo de *Quo* et *Huc* dixi.

1280. ET UNUS QUISQUE SUUM PRO RE MAESTUS HUMABAT. Hic membranam in medio versu perforatam fuisse apparet. Marullus addidit *consortem* (Antonius Marii *suum consortem pro re*), Avantius *cognatum*, utrumque inepte. quid Lucretius dederit dici non potest: ad rem facit CONPOSTUM.

1282. MULTAQUE SUBITAFET PAUPERTAS HORRIDA SUASIT. Quadratus *subita fit*, oblongus *subita et*. horum librariorum neuter id quod scriptum erat recte videtur legisse: praeterea hiatum membranae indicare neglexerunt. poëtam scripsisse puto *Multaque* RES SUBITAE ET *paupertas horrida suasit*. Marullus cum Italis sine sensu *vis subita et*, nec multo melius Wakefieldus *vi subita* vel *re subita*. nunc ex Orellii eclogis disco Pomponium Laetum scripsisse *res subita et*.

1285. SUBDEBANTQUE FAUCES. Ex oblongo erasum *que*. Antonius Marii et Brixiensis editio FACES.

CAP. I, 1. CAE APITRATON. Rectius scriptum infra II, 22 Graecis litteris. est inter κυρίας δόξας Epicuri prima, τὸ μακάριον καὶ ἄφθαρτον οὔτε αὐτὸ πράγματα ἔχει οὔτε ἄλλῳ παρέχει, ὥστε οὔτε ὀργαῖς οὔτε χάρισι συνέχεται· ἐν ἀσθενεῖ γὰρ πᾶν τὸ τοιοῦτον. nota haec erant Servio, qui quae scripsit ad Aeneïdos VI, 134, ea repetita sunt in scholiis ad Statii Achilleïdos III, 84.

9. DE VENTO. Haec, quae habent oblongus et Italici, in schedis esse Henrichsenius non annotavit. habet tamen interstitionem quadratus quoque.

Digitized by Google

Post 14. CORPUS ET INANE etc. Haec et oblongus et Italici habent, item schedae quasi versum poëtae exhibent: sed in quadrato iis recipiendis spatium relictum est nullum. in archetypo videntur ad marginem scripta fuisse: certe in calculo paginarum ineundo e versibus primis DCCLV unum praetermittendum esse dixi ad libri primi versum 734.

18. DE MOLLI NATURA etc. In schedis haec sunt ante versum 523.

23. TO GAR PEPIRASMENON ACROE. Sic oblongus. mirum vocabulum ἀκροῖ non Epicuri licentia peperit, sed spatii angustia. nam schedae habent paulo rectius PEPERASMENON *agron*, hae quoque omisso ECHI, quod addendum est. Diogenes in x, 41 ἀλλὰ μὴν καὶ τὸ πᾶν ἄπειρόν ἐστιν· τὸ γὰρ πεπερασμένον ἄκρον ἔχει, τὸ δὲ ἄκρον παρ' ἕτερόν τι θεωρεῖται.

II, 1. SARCOSEUS STATES CATASTEMA. Hoc est Epicuri illud σαρκὸς εὐσταθὲς κατάστημα καὶ τὸ περὶ ταύτης πιστὸν ἔλπισμα, quod exagitat Cleomedes de meteoris II p. 107 et 112. vide ibi Bakium p. 428 et Madvicum ad Ciceronem de finibus II, 92.

13. Quadratus interstitionem facit non ante versum 400, sed ante 404, ibique schedae *de absentio*.

19. IN TERRA SEMINA INESSE. Sic oblongus. verus titulus periit, qui fuit huius modi, *Inter se similia infinita esse*.

32. EMULTOS SIMILIS. Titulus non suo loco positus. sed nihil reconditi subest: scribendum ET *multos similis*, idque Italici exhibent.

III, 16. INTERISSE ET QUAE NUNC EST NUNC. ESSE CREATAM. Ita in oblongo versus 678 ab hoc loco alienus pro titulo iterum scriptus est rubrica, in olim impressis scripturae genere eodem quo ceteri versus poëtae. omiserunt eum quadratus et Antonius Marii, sed quadratus spatio vacuo relicto.

17. NON ESSE PARATAM. Immo PRIVATAM: sunt enim haec ex ipsis Lucretii verbis sumpta.

IV, 5. Libro quarto quinto sextoque in utroque Vossiano indices capitulorum praefixi sunt. horum ea quae intus inter versus neque in oblongo repetita sunt neque aut in quadrato aut in utroque spatiis relictis subindicata, sine numeris exhibui, qui neque certe dici possunt neque in paginarum ambitu definiendo respiciendi sunt. quae intus scripta sunt,

Digitized by Google

cum indicibus desint, uncis inclusi. de hoc autem titulo, qui est *Esse item maiora*, dixi ad IV, 126.

9. 10. Verum ordinem tenent indices, intus paginae commutatae sunt.

11. VIDERE NON POSSE. Ita oblongus intus. debet esse VIDERI.

V, 2. MUNDUM ET NATUM ET MORTALEM ESSE. Sic intus: indices *De mundo*.

17. CUM SIT MORTALIA. Immo SINT.

Post 22. DE LUNA. Sic indices. intus eo loco quo hic titulus ponendus erat, ante versum 575, librarii pro eo iterum inferserunt illum versum qui paulo ante recte scriptus erat, *Perveniunt nostros ad sensus et loca fulgent*, sed atramento scriptum, non rubrica ut III, 16.

VI, 3. SEMINA IGNITA INESSE. Sic oblongus intus. indices *seminet* vel *eminet Ignes inesse*.

5. EX FULMINE. Oblongus intus *et fulmine*, a correctore *et fulminis*.

Digitized by Google

INDEX.

A *et* ab *sequente* b 355, c 126, l 180 340, m 340, n 112 340, r 340 402, s 202 402. av 355.
-a *finale productum in Graecis primae decl.* 405.
abhinc 196.
abiete *trisyllabum prima brevi* 129, *eadem producta* 130.
aborisci 308.
absorta 254.
ac *ante vocalem* 22 289.
Academĭa 159.
accidere *cum accusativo* 242 302.
accubuo 307.
accumbere mensam 302.
accusativi propriorum Graecorum primae decl. 313.
Achillĕ *et* Achilli *sexto casu* 49 50.
Acragantinus, Agragantinus 48.
actus 263.
adactus 393.
adaugmen 382.
adauctus, adauctare 139.
adsequē 304.
adsimili ratione 70.
adultum tempus 339.
advorsum ead 104.
ae *pro* e 339 384.
aegret 147.
aegror 415.
Aeolia 48. Aeolis 280 281.
aequanimo 118.
aëriae aurae 167 186.
aetheriae orae 167 186.
aethra 127.
Afranius 116 121 166 227.
Agroecius 396.
-aï *in genetivis scriptum* -a 19, *non in dat.* 40.
alcyon, Alcyone 165.
algus, algu 310.
ali, alii 249.
alideusia 270.
aliquae *pro* aliqua 249.
alioqui 168.
altarium 82.
alte 303.
ambustus pruinis 54.
amma, anima 165.
ammissu veniens 273.
-amus *pro* -avimus 291.
anademata, mitrae 269.
anas, anitum, anetinus 16.
anguimanus *plur.* 107.
anima, amma 165.
animatus 78.

Digitized by Google

animi ratio 95.
antire 118.
Antisthenae 50.
Appulcius 300 304.
aptus terram 342.
Apulia, Apulides, *prima producta* 37. *non* Apulicus 37. Apulus *pro importuno* 206.
aqūa 379.
Arachne *pro* aranea 165.
Arados 401.
arbita 320.
Arnobius 107 189 204 404.
artibus, artubus 334.
Asconius 314.
astu 424.
asyndeton, proelia pugnas 80.
at, credo, 282.
-ât *pro* -avit 290.
atque *traiectum* 173.
atquin 168.
Attius 90 149 162 167 218 244 346 391 416.
augura *pro* auguria 129.
Aviani fabulae 25.
aurea *disyllabum* 82 122. aurea purpura 102 122.
Ausonius 114.
aut *postpositum* 355.
b *pro* v 87.
balatro 195.
blandiri 84.
Boëthi *non disyllabum* 136.
bracchium, brachium 371.
brattea 253.
c *pro* ch 129 317, *pro* g 148, *pro* qu 220.
Caecilius comicus 223.
caeli fulmen 42.
Caesar 128 136 242 355 375.
caesura legitima hexametri 134 255, *inter vocales collisas* 413.
cancer 303.
Caper grammaticus 357.
capulus, *feretrum* 142.
caput amnis 386. capud 165.
Cătillus, Catilus 36.
Catullus 36 57 66 67 99 117 152 178 187 192 196 197 241 245 287 290 367 408 412.
Q. Catulus 122.
cavernae *in navibus* 108.
caulae *templorum* 374.
Cĕcrops 417.
Censorinus 29.
centimanus, centimani 107.
Charisius 15 36 112 117 146 265 306 399.
Cia, Coa 269.
cĭam 214. inciti 90. cita regio 241.
Cicero orator 16 18 19 29 30 35 50 66 71 74 78 81 86 90 92 94 98 114 133 144 150 159 165 189 204 220 227 231 272 280 281 286 287 305 324 351 362 364 379. Q. Cicero 63.
Cilici *ablat.* 49.
cinefactus 190. cinus cineris 190.
Ciris 53 162 274 425.
citare io bacchae 76.
clamos 424.
clarigare, clarigitare 321.
Claudius Quadrigarius 242.
Cleanthas 50.
Clitori 49.
cluet 216.
Coa, Cia 269. Cŏo 159.
coaptare 135 248.
coemisse *trisyllabum* 135. coëmptio, comptus, comptionalis 135.
coëpit 247.
coiugatus 136.
colescere 134 135.
colleximus 350.
Columella 236.
com *pro* quom 71.
comedus 139.
con- *et* co- 136.
conectere 136.
conflictus 80.
confragus 306.
confultus 80.

Digitized by Google

cŏnicere 188. conicciant 128. coicere 136.
coniti 136.
conlectus, coniectus 128 150 235.
conquaestor 412.
conquinare 135.
conscire causam 349.
conscrĭbillent 36.
consentire 115.
Consentius 416.
consequë, consequius 304.
consistere 349.
consue facere 409. consuetus domi 265.
convalescere 91.
convalles, valles 241.
conubium 136, *trisyllabum* 193. conubia *trisyllabum* 193. conubis 279. conubi 280.
conventus 137.
coperire 134 135 136.
coptare 135.
cor *pro* cur 172 398.
Cornelius Nepos 94.
corripere 285.
coruptus, corumptus 416.
cŏturnix 37. cocturnix 251.
crisare 276.
Culex 136.
cumque 288.
cuppedo 278.
cura frigida 267.
curalium 119.
curare [ut] 362.
cycnus, cygnus 143.
-d *pro* -t 347, ad 320 331 418, adque 381, quod 155, capud 165, quead 281.
dactylica vocabula in versu non ponuntur pro trochaeo 116.
damnare 273.
damnas esto legatum 396.
dare colloquium 244, discessum 214.
decellere 88.
degere bellum, otia 264.
deiecerentur, dehiciam 128.
densere 294.
dèrrare 20.
derectus 247.
deses 20.
desît 208.
despica 307.
dèsse 20.
desuescere 277.
desuper, de supero, de superno, de supernis 375.
devinctus studio 264.
Dicaearchium *genet. plur.* 193.
Digesta Iustiniani 33 102 128 314 325.
Diomedes *declinatur Latine* 50.
Diomedes grammaticus 28 276 277.
diploidi *ablat.* 49.
Dirae 246 324.
dispessus, dispansus 201.
dispicere, despicere 236 384.
dissicere 128 188.
dissoluit 151.
dissors 317.
dividus, dividuus 306.
divum, dius *subst.* 226, dius *adiectivum* 227, dius *adverbium* 227.
dominia *trisyllabum media brevi* 129.
domo, domui, *dat.* 341.
dona, donare 113.
Donatus 74 396.
donique 139 140 308.
Doriis 280 281.
duellicus *trisyllabum* 112.
dum modo 116.
e *et* ex *sequente* c *vel* q 296, l 97, n 47 296, r 296 303, s 202 375, t 411, *post* quibus 296. ducitur ex elementis 410.
e *pro* ae 25.
-e *anceps in ablativis Graecorum* 49 50, *Ionicum in adiectivis gentilibus* 407.
-ea *pro una syllaba* 122.
efferre laborem 26.
effieri 156 392.
-ei *pro* i *in plur. sec. decl.* 242 243,

Digitized by Google

in genetivis et dat. 151 164 244 417 423. eidem 24. -eis *in accusativis* 342.
-ēī *in quinta declin.* 151.
ciece 128.
elisio m *litterae* 131, *vocalis in vocabulis iambicis* 92 194 196 390, *in puris vocali paenultima longa* 158, *longae vocalis* 66 219, *longae in Graecis* 272 273, *longae sequente brevi syllaba* 71. *elisio in paenultima pentametri syllaba nulla* 66.
eminare 380.
enim *adversativum* 183.
Ennius 17 19 24 29 36 73 76 80 99 100 106 116 122 129 150 152 189 206 214 222 235 248 279 328 412 413 416 424.
Epĕus 159.
epicuri 78.
ergo *post* quoniam *vel* cum 225.
erigere 346.
-erunt *et* -ere *in perfectis* 41.
es *omissa vocali* 29 65 66 67 200.
est abundans 138. est, *licet, prodest* 297. est *omissum* 23 24 70 82 86 313 385 388. est *omissa vocali* 29 65 159 200 272. vocitatust, situs 65 122, *non in vocali longa* 122 412.
et *pro* etiam 58 152 154 302 348 389 397 422, *in comparatione* 378, *in fine hexametri* 102.
evalescere 91.
Euhan, Euhius, euhoe 309.
Euhenus 310.
Euphorionis cantores 165.
excursum spatium 210.
exemplarium 82.
exim 148.
exiri 210.
expletus 240.
extenta longe flumina 31.
externare 266.
extispicium *genet. plur.* 51.
fabricanda fulmina 369.
facere are, arefactus 191. vace fit, consue facere 409. faciant *disyllabum priore brevi,* facias *eadem longa* 129 130. factum 63.
facul 166.
fastigia 223.
fert fors alicui 201.
fertus 364.
fervĕre 79.
Festus 152 235 280.
fetet, fetidus 271.
ficedula, ficetula, ficella 204 205.
filum 300.
finis *femininum* 43 139.
fio *eliso* o 160. fit utque 410.
flābrum, flābellum 394.
flêmus 291.
florescendis rebus 44.
fluvii, fluviae, *genet.* 326.
foede, *non* fede, 23.
forcipium *genet. plur.* 51.
freta anni 369.
frigida cura 267.
Fronto 40 101 264 352 405.
frudem 85.
fuat, *non* afuat defuat 180.
fucus 114.
fulgĕre 310.
fulgor, *fulgur* 359.
furvus, fulvus 372.
g *pro* c 148.
Gabi 252.
Gellius 32 44 55 136 152 280 313 314 349 413.
genetivus, genetrix 15.
genialia 15.
quod genus 85 86 231.
Germanicus 25 38 193.
glŏmus 36.
Glossaria 15 108.
Graeca Latine inflexa 272.
Graj, Grăi 152.
Grammatici Vindobonenses 15.
gravida nubes 365.
h. his 388. Euhius 309. aud, aut 156 178, ora, ostis 287, aurire,

Digitized by Google

austra 295, aesit 411, orror 420, peribet, adibe 176.
habendo 212.
haedus 143.
heiā 163.
Heliconi *sexto casu* 49.
Hermeraclas 50.
hiatus in m *littera* 99 131, *in puris vocali paenultima producta* 159, *in vocabulis iambicis* 195 196 199 200, *longae vocalis ante brevem syllabam* 387.
hic. huius *priore correpta* 27 160. haec *pro* hae 372.
Hieronymus 62 63.
hilarus 139.
Hippocratae 50.
Homerus Latinus 143 305.
Horatius 17 37 66 76 77 82 102 121 123 143 161 168 197 199 204 206 213 219 227 238 266 288 297 324 326 327 338 358 381 408.
horrende 236.
Hyginus gromaticus 314.
i *vocalis pro consonante* 115 130 192 193. i *delitescens* 26 129. j 152 188.
-i *et* -ii *in genetivis* 33 326 387. -i *pro* -ii *in plur.* 252.
-i *in ablativis tertiae decl.* 104, *in Graecis* 49.
-ia *pro una syllaba* 72 115.
iambus *non disyllabum* 193. iambionicum carmen 276.
ictus 243.
idem. eidem *nominat.* 24, *dat. disyll.* 152. eaedem, hosdem 372.
Idomeneus *genet.* 192.
ii *pro* i *inter duas vocales* 41 371.
illaec 267.
illim 189.
inbutus 117.
incidere *cum accusativo* 242.
incītus 90.
incomitiare, inconciliare, *non* incohibere 171.
incultu, *non* incultum 40.
incumbere *cum accusativo* 242.
induta colores 117.
inerrare 419.
infande 236.
infesta flammis 104. infesta pericla 349.
infinitivus indignantis 74, *pro substantivo* 229.
ingenii lumina, ingeniosus poëta 18.
inpendere *cum accusativo* 242 374. impensum 374.
Inscriptiones 65 245.
insessa flammis 104.
insuescere 277.
intactus 40.
intellegisse 350.
interapta 413.
interim quidem 40.
interpolator carminis Lucr. 20 35 40 132 168 169 182 215 257 325 345 362.
interutraque 104 155 314.
introsum 144.
invalescere, *non* invalere 91.
invocatu 40.
ire. iīt 207, ît 209, ivit 23. transiet 207.
is. eius *priore correpta* 27 161, *monosyllabum* 26. ei *monosyllabum* 152, ej, eiei, iei, ii 152 245. eum *pro* id 232. id quoque 351. eae 372. ibus, is 262.
-is *in accusativis tertiae decl.* 50, *in nominat.* 56, *pro* -iis *in dativis Latinis* 279.
Isidorus 34 338 356 415.
istaec 267.
istim 189.
iterare 243.
iugererum 363.
-ium *in genetivis, ut* municipium, 51.
Iuvenalis 25 50 76 192 204 327 387.
labea, labium *etc.* 273.
Lactantius 21 176.
lacus 266.

Digitized by Google

laedere 324.
Laërtius Diogenes 39 301 357.
Lamia 272.
lammina 205.
langidus, langor 46.
largiter auferre, discrepare 283.
larua, larva 379.
lavābrum, lābrum 393.
lavatrina, latrina 393.
Lavinia *trisyllabum* 115.
leges componere 264.
Leges. Cornelia de xx quaest. 374. xii tabularum 349. Iulia municipalis 135 286 339. Rubria 135 340. Servilia 56 57 128. Thoria 123 155 207. de Termesibus 24. s. c. de bacchanalibus 104 136 207 230 245 396. sententia Minuciorum 56 65.
lemūres, lemŭria 36.
lidere 324.
limare 143.
linctus 407.
Livius 40 321.
ll *post longam vocalem* 204, *quando fiat* l *simplex* 32.
loca 243.
longe deerrare, *non* longi 47.
luca bos 343.
Lucanus 76 160 209 278 280.
Lŭceres 36.
Lucilius 20 26 29 37 51 66 67 71 72 73 79 81 82 86 99 106 113 116 122 129 136 141 150 160 165 170 181 188 193 194 201 205 212 245 248 268 272 276 296 300 302 329 355 362 392 409 413 416.
lucuna 205.
luella 203.
lychni 270.
Lycomedem 50.
m *finale facit longam syllabam* 130.
Macrobius 15 75 217 253.
mactabilis 395.
Maeotis *non correpta prima* 38.
mage *ante vocalem* 424.
magne *adverbium* 236.
Mamŭrius 36.
Mămurra 36.
Manilius 27 50 109 114 161 167 236 252 305 328 338 343 370 414.
mansuescere 277 345.
manticulari 107.
manufesta 125.
Martialis 56 66 67 99 122 143 244 279 314.
materia, materie 30.
Maximus Victorinus 26 89.
maxuma 125.
me dius Fidius 227. me hercule, mercule 152. mei *pro* mihi 246.
medella 204.
membra domus 395.
memorari, *meminisse* 80.
-men *in nominibus cum praepositione compositis* 382.
merdăceus 36.
Messalla 204, Messalina 33.
micare 380.
miluus, milvus 379.
minere 380.
minuere 133.
mitrae *et* anademata 269.
modō 140.
monerula 205.
mora 372.
movere, moveri 420.
mulcere 300.
multimodis, *non* multimodus 187.
multisignis 96.
municipium *pro* municipum 51.
murra 102.
mūsae Heracliti 46.
mūto, mŭtoniatus 36.
nam *postpositum* 246 412.
Naucratae 50. Naucratē 49.
navigium 325.
nec, neque 187.
necesse necessis 396, necessus *et* necessum 397.
neglegerit 350.

Digitized by Google

nequiquam 141.
nescio *disyllabum* 115.
ni *pro* ne 117.
nihĭl 27 28, nil nilo nihilo 27 28.
nisei 91, nise 91.
nītedula, nitella 204, nitelinus 33.
nĭtella 204.
noenu, noenum 149.
nominativus in comparatione respondens obliquo 176.
non videre! 74.
Nonius 29 50 51 52 57 89 104 125 139 140 149 152 190 197 232 236 271 404.
Novius 49.
numen 111.
Numeri servandi 329.
nymphae, lymphae 419.
o *pro* u 19.
ŏbicere 188. obieciemus 128.
oblivius 306.
obscurefacere 410.
obsecuus, obsequē 304.
offa, ofella 36.
olla 204.
omnia *disyllabum* 72.
omnigénus 118. omnígenus 292.
oportet 52 258.
opus 390.
orae 223.
oriundi *trisyllabum prima brevi* 129.
Orphea *disyllabum, non* Orpheum 193.
-os *pro* -or 424.
ostrea *disyllabum* 122.
Ovidius 15 23 28 33 38 49 64 66 82 122 123 163 167 170 183 192 199 207 236 242 243 253 263 274 278 282 290 308 326 357 406 417. halieutica 379. epistularum pars quae ei falso ascribitur 28 50 67 199 273 406. Pedo 243.
pacare silvas 338.
Pacuvius 81 108 117 230 288 416. *idem* Pacvius 306.
Paeŏnius 280.
Pălatium 37.
pallefactus 190.
parenthesis 169.
pars. ex parte, a parte 259.
participalia cum in *negativo monoptota* 40.
participia passiva vocali brevi et longa 54 55.
partim 423.
paullus, paulisper 33.
Paulus diaconus 191.
pedetemtim 296.
pelli *ablat.* 425.
percurrere *absolute* 366. percurrere per 367.
perditur 121.
perdius 227.
perfica 139.
perfigere 368.
permanere aliquo 24.
perpes 20.
Persius 37 414.
perstridere 368.
pervadere fines, *non* finem 43.
pervenire *absolute* 367.
petere puellam 271. petiīt 207, petît 208, petivit 23.
Petronius 362.
Phaëthon, Phaethon 114.
Phaedrus 143.
pingue, *pinguitudo* 31.
Piraeus, Piraeeus 114.
Plauti, Plautii 328.
Plautus 16 27 64 74 80 91 98 106 112 116 120 128 129 130 150 151 159 161 184 188 189 195 200 208 210 211 231 246 249 250 261 262 265 279 286 290 297 304 307 313 362 379 386 387 389 406 412.
Plinius 33 216 254 270 327.
Plotius grammaticus 212.
pluria 109.
plusculum 247.
Polla, Polio 33.

Digitized by Google

Polynicĕ 50.
Pompeius grammaticus 28.
Pomponius comicus 197 262 362 392.
Pomponius Mela 281.
pondera 380.
pontos, *mare* 294.
Popilli pugna 329.
Porsĕna, Porsenna 37.
post modo 116. postéa 104. pos 274 276. posquam 118.
pote 313. potissit, potĭ' sint 314. poterint 238.
praefica 139.
praemium 135.
praepes, praepitis 20.
praerogare 135.
praesse 135.
praeterea quam 257.
praevides, praes 393.
precantia *trisyllabum* 115.
preci 174.
Priapea 36 197 199 327.
principium *pro* principum 51.
principio 127.
Priscianus 148 191 210 284.
pro quam 348.
probeat, probet, *a prohibendo* 134 188.
proclive, proclivei 98.
procudere 229.
prodius 227.
profluvius 306.
projcere, proicere 188.
proin, proinde 148.
promitti 253.
Propertius 56 66 102 161 181 225 226 252 253 271 279 326 327 367.
proporro 82 288 331.
prospica 307.
prosum, prorsum 144.
protrudere 229.
proxuma 125.
publicum mare 37.
pulvīs 59.
punicus, Puniceus 123.
purefacere 410.
putare *cum accusativo* 353.
Puteis regionibus 392.
putescere, putrescere, putor 188.
quaad, quoad 331.
qua propter 35.
quasei 91, quase 91. item quasi 98. quasi vero 405.
quattuor *disyllabum* 193.
-quē 34 75.
quem ammodum 118.
qui. cuius *monosyllabum* 26. si quae 400. animus, quam mentem vocamus 145. quod superest 225. quod *cum indicativo* 304. quod sin 168. quo citius? 226. quo magis, tam magis 109.
quia nam 45.
quid si enim 184.
quin 44.
Quintilianus 29 137 184 213 245 280 286.
quisque. quam quoque magis, tanto quique magis 372. sua quaeque *etc.* 94.
quisquis. quidquid 147 340. cuiuscuius 101, cuicui modi 27. quicquid *pro* quicque 286, *sic* quemquem quoquo quaqua 286 287.
quod *pro* quot 155.
quom 58 71.
quó modŏ 118 116.
rapidus 253 317.
reboare 240.
reccidere 303.
redhalat 377.
redducere 303.
regio viae, regio recta 88.
relicuus 305.
rellatus 303.
relligio, relliquiae 281.
reloquus 306.
rememorari 80.
reperire, repperire 210.
repetentia 186.

Digitized by Google

reses, resedes 20.
respondere 224.
restringere 333.
retinentia 186.
revalescere 91.
Rhea 405.
Rhoecus *Samius* 136.
rimare 143.
robor, robur 140.
rŭdere 37.
russus, rusus 217.
rusum, rursum 144.
rūta caesa 36.
rutundus 96.
s *impuro praemissa* i in hi his e 231. *eadem ante* s *impurum omissa* 232. s *in fine vocabuli omissum* 28 29 316, *non recte* 100. ss 367. -os *pro* -or 424.
Sabellus, *in proverbio, simplex* 206.
Sacerdos grammaticus 28 248.
sanguīs 59.
scaena 217.
scapium, scaphium 411.
Scaptensula 395.
Scholiasta Iuvenalis 124 350, Lucani 82, Statii 242, Vergilii Veronensis 108 403.
scilicet, scire licet 120.
Scipiadas 206.
secus 155.
Seneca 115 130 148 160 188 193 194 196 279.
senescendorum hominum 44.
seorsum, sorsum 134 135.
Serenus Samonicus 17 119 164.
Servius 16 47 87 202 222 234 341 347 399.
setius 366.
Sextus empiricus 186.
si credis, si intellegi potest, *irridentis* 69. mirum est si *cum indicativo* 374.
sic ut, sicut 105, sic utī 106.
Silius Italicus 22 196 207 250 294 375 383 414.
singillariter 413.
smyrna, smurna 102.
Socratae 50.
solacium 348. solacia somni, *non* somno 346.
speculo videre 219.
spuma 394.
stare *cum participio passivo* 85.
statio. in statione 360.
Statius 115 130 142 159 160 280.
ste sta stic *etc. pro* iste *etc.* 197 232.
stelio 33.
stilla, stilicidium 33. stillata 376.
strĭges 36.
suapte 391.
suaviloquus 105.
subare 274.
subdiale, subdival 227.
subditat 381.
subiungere equos currui 343.
subsicivum 16.
substantiva binorum ternorumve generum 392.
suescere 410.
Suetonius 15.
suffimen 383.
suffiunt 214.
sufflamen 382.
suffundere 144 155 294.
Sulpicia Caleni 193 208.
summittere poplites 263.
super, *insuper* 375.
suppus, suppare 149.
suremi, sumpsi 135.
sursum 377.
suus. sua quaeque, sui quique, suo quoque, sui cuiusque, suo utroque 94 95 214.
syllaba finalis brevis extra caesuram producta 17, *in caesura* 75 76 77 208.
synizesis et crasis 114 115 134 135. aurea 122. oriundi liberius puer 129. alveum 193, *non* igneus 192. condiat 192. fuit 193.

Digitized by Google

-t *pro* -d. quit aliut 53, alit 286, at 352.
tabe, tabi 173 174.
Tacitus 274 386.
tale' *pro* talis 29.
tam. quo magis, tam magis 109.
tamen 173.
tendere oculos 21.
tenet imber 376.
tenvia *disyllabum* 115, tenvior *disyllabum* 192.
Terentianus Maurus 37 50 152 280 384.
Terentius 64 74 81 116 129 136 140 151 160 161 162 189 208 210 250 252 265 297 328 389 397 412.
teres, teris, teritis 20.
terrae Aegypti *et* Italiae 48.
thalassina vestis, thalassicus color 270.
Thraca, Thrace, Thracia 278.
Tibullus 75 159 207 246 267. Lygdamus 53 246.
tintinant, tintinnabulum, tĭnire 37.
Titinius 262 277 379.
Tomitis hiems 38.
torres, *calor* 192.
tortae convalles 241. torte 219.
totmoda 187.
trahere, trahi 420.
traiecere *pro* traicere 128.
transviare 368.
tremibundus, tremebundus 23.
trepidus 253.
tripodi *sexto casu* 49.
tuditantia 166.
tunc *ante consonantem* 25. cum — tunc 25.
tutimet, tutin 261. tete 261.
u *pro* o 19, *pro* b 30 231 355. heuvantes, Euvodia 309. maxuma, manufesta 125. u *vocalis pro consonante* 130 193 379. ue *pro una syllaba* 129, *item* uiu 26 27, uor 193, uī 130, uō 130.
vaccillare, vacillare 37.
vace fieri 190 191 409.
vagari, vagare 178.
vale facere 190.
Valerius Flaccus 54 297 302.
vallere, valle facere, vallare 191.
valles, convalles 241.
vappones 165.
Varro 186 218 270, in saturis 14 29 56 85 96 122 141 178 192 196 227 276 306 327, de lingua Latina 24 29 44 50 56 91 95 96 102 111 123 143 156 176 184 218 223 226 227 280 300 306 311 314 324 328 331 343 390 391 404, rerum rusticarum libris 94 95 118 121 188 253 316 331 352.
vas, vaso 363.
Vatĭcanus 37.
ubique 251.
vehemens, vemens 133.
Velius Longus 20 146 334.
velle puellam 271.
Velleius Paterculus 280.
venditur 121.
venenum 99, veneno est 52.
vensica 357.
verbum. sub verbo 256.
Vergilius 50 56 72 75 76 87 94 100 115 160 165 167 189 196 209 236 242 252 272 278 279 280 292 326 328 367.
Verrius Flaccus 44.
versus hypermetri et conexi 81 82, *spondiazontes* 59 110 150.
vervella 204.
videlicet, videre licet 120.
viĕtus 37.
virgines, *non* virgnes 412.
virus, viro 124, viri 395.
-uis *genet. quartae decl.* 141.
viscera 323.
Vitruvius 49 84 95 139 297 375.
Ulixĕ 50.
umidulus 248.

Digitized by Google

undans 48.
unorsum, unose, oinvorsei 230.
voluntas fidei commissorum 265.
út 197. ut *de tempore* 363, *pro* ut si 422.
uter 313 314, nec uter 314.
utīn 250.
utique 250.
utraque 104 376.
-uus *et* -us *in adiectivis brachysyllabis cum praepositione compositis* 305.

Digitized by Google

IMPRESSUM BEROLINI

IN OFFICINA RUDOLFI DECKERI

D. XI IUL. MDCCCLV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSITY OF MICHIGAN
3 9015 01428 7562

B
A

UNIV. OF MICH.
LIBRARY

DO NOT REMOVE
OR
MUTILATE CARD

23-520-002

Digitized by Google

Digitized by Google